

LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM

PARS PRIMA.

Bruni, Leonardo Aretino

LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM LIBRI VIII

AD FIDEM CODD. MSS. SUPPLETI, ET CASTIGATI

Et plusquam XXXVI Epistolis, quae in Editione quoque Fabriciana deerant, locupletati

RECENSENTE

LAURENTIO MEHUS

ETRUSCAE ACADEMIAE CORTONENSIS SOCIO,

Qui Leonardi Vitam scripsit, Manetti, & Poggii Orationes praemisit, Indices, Animadversiones, Praefationemque adjecit, Librumque Nonum, ac Decimum in lucem protulit.

ACCESSERE

Ejusdem Epistolae Populi Florentini nomine scriptae nunc primum ex Codd. MSS. in lucem erutae.

PARS PRIMA.



FLORENTIAE. MDCCXXXXI.

EX TYPOGRAPHIA BERNARDI PAPERINII.

Sumptibus Josephi Rigaccii.

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

ANGELO MARIAE

S. R. E. CARDINALI PRESBYTERO

QUIRINO

SEDIS APOSTOLICAE BIBLIOTHECARIO

EPISCOPO BRIXIENSI

ec. ec. ec.

LAURENTIUS MEHUS FELICITATEM.



DUae res, & eae plane non contemnendae, PRINCEPS EMINENTISSIME, me impulerunt, ut ego ho-

mo Tibi novus, & nullo adhuc titulo benevolentiam Tuam promeritus ad Tuum Patrocinium, clientelamque confugerem. Nam cum omne ſtudium, cogitationemque meam ad id potiſſimum contulerim, ut eum mihi patronum compararem, qui & auctoritate ſua invidorum impetus propulſaret, aliorum vero animos nominis ſui claritate ad legendi ſtudium excitaret; Tu unus, PRINCEPS EMINENTISSIME, mihi prope divinitus oblatus es, in quem tanta, ac manu tam larga congeſſit DEUS OPT. MAX., ut ſumma eruditio cum maxima auctoritate, maxima vero auctoritas cum ſumma eruditione certare videatur. Et quidem undenam

exordium ſumam, PRINCEPS EMINENTISSIME? An ab illa admirabili, ac prope divina Majorum Tuorum virtute, quam per abavos, atavosque ad poſteros tranſmiſſam, totam in Te uno conlocatam intuemur, ac veneramur? Sed egone haec generis Tui praeconia longe clariſſima in laudem Tuam, PRINCEPS EMINENTISSIME, conferam, qui quamvis avitis illis Familiae Tuae ſplendoribus caruiſſes, Tu unus fuiſſes eorum amplitudinem, ac gloriam non aequiperaturus modo, ſed longo ſuperaturus intervallo. Et quidem propter egregias virtutes Tuas ad eum dignitatis apicem evectus es, ut paucos habeas pares, ſuperiorem ve-

ro fere neminem: tantis praeterea omnigenae eruditionis adminiculis imbutus, tantaque utriusque linguae cognitione instructus, ut difficile dictu sit, utrum plus Tibi laudis afferat aequabile illud Tuum, ac ornatum dicendi genus, an veterum Scriptorum, ac numismatum monumentis veluti quibusdam luminibus distincta oratio. Testes sint Ecclesiastica illa Graecorum Officia, de quibus tanta veterum Patrum ubertate disseruisti, quasi omnem aetatem Tuam in sacrorum voluminum lectione posueris. Testes, & illa Tua Corcyrae Primordia: quam multa sunt de illa Insula & gravia, & utilia a Te accurate copioseque con-

tra Marmoram, Spanhemium, aliosque disputata? Ita ut omnem monumentorum copiam, quae ex Homero, Apollonio, aliisque Graecis Scriptoribus, ac nummis peti poterat, penitus exhausisse videaris. Equidem & Corcyraeos existimo, cum ea, quae a Te de eorum patria tradita sunt, legissent, admirabilem ingenii Tui vim subspexisse, Tibique Italo Antistiti honorem tribuisse meo judicio longe maximum, ut omnem de ritibus controversiam, de quâ tamdiu disceptaverant, Tuae curae, atque integritati componendam committerent. Quod quidem opus magnum plane, ac difficillimum prudentissime a Te, & summa

cum laude confectum est. Quum vero Brixiensi Ecclesiae praefectus fuisses, tantum operae in ea excolenda posuisti, ut & Graecos caracteres advehendos curaveris, Graecaeque linguae magistrum magno evocatum stipendio conduxeris, juvenumque animos ad virtutem erexeris, atque inflammaris. Quid enim nunc commemorem Litteraturae Brixianae Specimina? In quibus improbo labore, acerrimoque ingenio id adsecutus es, ut ea litteris mandares, quae nec ante erant nota hominibus doctis, & erant cognitione dignissima. Atque ut ostenderes, quam par esses in sacrae eruditionis facultate, & veteres Ecclesiae Tuae Patres in unum

volu-

volumen redactos edidisti, & luculentissimam Ephraem Syri operum editionem omni elaboratam industria adgressus es; ita ut in quibus studiis tantum temporis ab initio tribuisti aetatis, in iisdem nunc gravissimorum munerum molestias honestissime deponas. Quae cum ita sint, PRINCEPS EMINENTISSIME, mirum non est, si amplitudinis Tuae gloria excitatus hoc qualecumque tandem sit industriae meae monumentum Tuo potissimum Nomini consecraverim: cum praesertim id efflagitare videretur LEONARDUS ipse, qui admirabilium Virtutum Tuarum fulgore invitatus in sinum Tuum evolare gestit. Sperat enim eadem Te benevolentia ex-

ceptu-

cepturum ſuarum epiſtolarum munuſculum, quâ praeſtantiſſimi olim Cardinales, ideſt Tui ſimillimi eas ſcribentem, dictantemque proſequi dignati ſunt. Hunc itaque ſerena fronte laetus excipe, qui ſe totum Tibi tradit; dum nos interim Deum obſecramur, ut Te diu ſoſpitem ſervet ad Religionis Catholicae, & litterarum incrementum.

Dabam Florentiae Nonis Martiis MDCCXXXXI.



CAN-



CANDIDO LECTORI

LAURENTIUS MEHUS. S. P. D.





Rigesimus octavus agitur annus, ex quo Vir Clar., & de Rep. Litteraria optime meritus Anselmus Bandurius *novam Epistolarum syllogen pollicitus est, in qua &* Francisci Petrarchae, & Colucii Salutati, & Leonardi Arretini, *aliorumque literarum gloria praestantium epistolas ex Codd. mss. tunc primum erutas edidisset, ejusque propositum tam laudabile patefecerant jam ab anno* 1703. *Mense Septembri* Diarii Trevoltiensis Auctores. *Sed ad hoc, quod moliebatur, opus curis aliis distentus nunquam se adcinxit, doctissimorumque*

hominum spem, quam tamdiu sustentaverat, adimplere neglexis. Et tamen nihil umquam utilius excogitari poterat, nihil praestantius, quam tantorum Heroum *Epistolas in Bibl. MSs. pulvere delitescentes in lucem producere, quarum elegantiam si spectes, ea summa est, si vero argumentum consideres, historicum plerumque, ac multiplex, ita ut ex iis, & litterarum jam tum reviviscentium incunabula, & Principum, ac Populorum res gestas summa cum voluptate percipiamus. Quod cum ego animadverterem, optimeque nossem, quam sollicite hujusmodi cimelia a Cl. Viris* Jo: Mabillonio Bernardo Montfauconio, Petro Lambecio, Stephano Balutio, Edmundo Martene, Ursino Durand, *aliisque perquisita, atque e tenebris erepta fuerint, meam quoque operam, qualiscumque ea tandem futura sit, ad hanc spartam conferre decrevi, & quid valeant humeri mei, quidve recusent, experiri. Itaque amplissimam earumdem epistolarum conlectionem aggredior, magnum profecto opus, quis neget? Sed tibi, ut spero, haud displiciturum. Nunc vero consilium meum paucis accipe. Ex epistolis Virorum saeculo decimoquinto Inlustrium nonnullae sunt, quae typis editae circumferuntur, plurimae vero in Codd. MSs. adhuc latitant. Has publici juris facere utilissimum, ac praestantissimum esse satis perspicuum*

ar-

arbitror, nec dubitandi relinquitur locus. Quis enim bonarum litterarum amore inflammatus non gestiat contemplari in his epistolis, ac veluti intueri animatam, ut ita dixerim, effigiem Colucii Salutati, Bartholomaei Fontii, Francisci Barbari, Candidi Decembrii, *aliorumque quamplurimorum, quorum tantum est in litteris nomen? Illae vero, quae typis excusae fuerunt, rarissimae sunt, innumeris praeterea mendis adeo inquinatae, ut quid sibi velint vix Oedipus ipse intelligeret. Testes sint elegantissimae* Antonii Campani *epistolae, in quibus emaculandis per litteras elaborarunt Cl. duumviri* Daumius, & Reinesius, *medicamque postremo manum adplicuit Cl.* Burchardus Menckenius. *Multa tamen* σφάλματα *adhuc supersunt, & cum ope Codd. MSs. pristino eas nitori restituerim, quis michi jure succenseat, si rursus excudendas curavero?* Jo: Albertus Fabricius (*at qualis, & quantus vir?*) *novam editionem Epistolarum* Leonardi Arretini *an.* 1724. *elaboravit, quae prodiit Hamburgi, formamque, ut ajunt, octavi prae se fert. Haec vero nihilo minus inquinata est, & ut specimen degustationis loco tibi adponam, in Epist.* VIII. *libr. IV. legitur in Edit. Fabriciana:* Quo ergo facilius, eo minori conatu maxime delectaretur rogatus, in quid laudes meas ipse concinneret. *Nulla plane sententia. Le-*

ge ex Codd. MSs. Quo ergo facilius, eo minori conatu opus est ad id, quod volumus assequendum. Nam & Themistocles ille summus vir quonam cantu maxime delectaretur rogatus, ejus inquit, qui laudes meas apte concineret. *Et Epist. XXII. Lib. IV.* Nec sane in vobis reprehendo, quod tam leviter de rebus incognitis judicium proferatis. *Cum scripserit* Leonardus, *ut patet ex MSs.* Nec id sane in vobis reprehendo: non est enim cujusque ista discernere; sed id reprehendo, quod tam leviter de rebus incognitis judicium proferatis. *In Epist. vero VIII. Lib. I. ad Nicolaum Nicolum:* Verum ego laboraturum quidem me, ne id contingat polliceor praestaturum: *Sed verba Leonardi haec sunt* Verum ego laboraturum quidem me, ne id contingat, polliceor; praestaturum vero non polliceor. *Omitto confusam periodorum distinctionem, orationis membra passim non integra, sed mutila, ac barbare truncata, alia etiam pro aliis substituta, alia praetermissa nonnulla vero adeo corrupta, ut si reviviscere* Leonardus, *suas esse epistolas sedulo negaret Quae cum ita sint, omnem operam, curam cogitationemque meam in id contuli, & conferam, ut quae editae sunt, ad fidem Codd. MSs. recenseantur, iisque adjungantur, quae publica nunquam luce donatae fuerint. Id autem*

tem omne praestitimus in Epistolis ejusdem Leonardi, *quas primas omnium nunc prodire jubemus. Harum editiones duas exstitisse scribit* Julius Niger *in Hist. Script. Florent. pag* 353. *Augustanam videlicet apud Knoblochium an.* 1521., *&* *Basileensem apud Henricum Petri an.* 1538. *His tertiam adjecit Cl.* Fabricius *Lib.* 2. *Bibl. med. & Inf. Lat., eaque est Hamburgensis, quam ipse an.* 1724. *Hamburgi edidit. Sed aliam harum omnium vetustissimam nobis recensuit Tom. XXV. Memor.* Niceronus, *quam ab* Antonio Moreto Brixiensi, & Hieronymo Alexandrino *an.* 1493. *prodiisse scribit. In quo deceptus est vir Cl. Nam cum id acceptum referat Annalibus Typographicis* Michaëlis Maittairii, *hujus verba* Tom. I. Annal. *ad an.* 1495 *haec sunt:* Leonardi Arretini Epistolae Familiares per Antonium Moretum Brixiensem, & Hieronymum Alexandrinum fol. *Haec* Cl. Maittairius, *qui an.* 1495., *non* 1493. *veterem epistolarum editionem excusam fuisse tradit. Altera tamen recensenda est, & ea quidem longe vetustior, atque a* Jul. Nigro, Jo. Fabricio, Michaële Maittairio, aliisque praetermissa, *quae an.* 1472. *lucem adspexit. Simillima, imo eadem est, atque illa, quam an.* 1495. *editam fuisse diximus, ejusque curam susceperunt* Antonius Moretus Brixiensis, & Hieronymus Alexandrinus, *hi videlicet,*

qui ſuperiorem illam praeclariſſimam nobis dederant. In utraque occurrit eorum Epiſtola ad Jacobum Zenum Epiſcopum *ea aetate* Patavinum, *quae octavo Epiſtolarum Libro ſubjecta eſt, & quum nonnulla contineat, quae in rem noſtram ſint, eam heic adponere lubet.*

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Jacobo Zeno Epiſcopo Patavio Antonius Moretus Brixienſis, & Hieronymus Alexandrinus S. P.

IN emendandis, imprimundiſque Leonardi Arretini epiſtolis, Patavine Pontifex, libenter tibi paruimus. Turpe enim erat tibi apprime erudito nolle perlibenter morem gerere, quum praeſertim in hoc & ſatisfacere tibi, ac caeteris impenſe doctis, qui minus invidia obcaecantur, & Leonardi Lucubrationibus aliquam gratiam referre poſſemus, qui de nobis tam bene meritus eſt omnibus linguam Romanam colentibus. Quoi quae viro doctrina, & eloquentia ſit, praeter aemulos omnes judicent. Doctiſſimi quoque omnes hujus viri admirabilem eloquentiam, ingenii acumen, verborum copiam, majeſtatemque ſententiarum intueri poterunt. Complectere igitur, Clementiſſime Pater, hilari fronte opus, cujus te jampridem cupidiſſi-

dissimum intelleximus. Scimus tamen plerosque livore quodam debilitari. Sed qui volunt, legant. Nos vero quanti fecerimus, hinc cognoscitur. Nam quicquid nobis erat pecuniarum, laeti impendimus. Bene vale; & nos, ut soles, ama.

Hanc itaque editionem cum non vidisset Cl. Fabricius, *plus vice simplici deceptus est. Nam Lib.* 3. *Bibl. Med. & Inf. Lat. pag.* 1122. *indicat ex MSs. Codice epistolam* Colucii *ad* Innocentium VII. *hactenus, ut putat, ineditam, quam Lib. II. ejusdem Bibl. pag.* 798. *integram adtulerat, cujus initium tale est.* Innocentio Papae Linus Colucius Salutatus post humilem recommendationem, &c. *Verum haec publica jam luce donata fuerat in Vet. Edit., quod animadvertere poterat ex Tom. I.* Bibl. Germanicae Art. V., *ubi* Jacob. Lenfantius *nonnulla ex illa* Colucii *epistola adfert, cum praesertim* Lenfantium *se vidisse fateatur ipsemet* Fabricius. *Praeterea Lib.* 2. *ejus, quam diximus, Bibl. pag.* 802. *postquam Editiones Epistolarum* Leonardi *recensuerat, haec addit.* Ab eo tempore autem beneficio meritissimi viri Joachimi Negelein Pastoris ad S. Mariae, & Professoris Norimbergensis evolvi codicem MSs., qui non modo editas illas epistolas pluribus locis emendatiores exhibebat, sed etiam epistolas adhuc

ineditas LII. quas ad praelum paratas ad nos misit, eisque libellum de Temporibus suis ex editione antiqua Veneta subjungi laudatus Negelinus voluit. *Haec* Fabricius, *qui idcirco LII. epistolas adbuc ineditas se reperisse scribit, quod Codicem illum cum Edit. Basileensi contulerat. Sed si contulisset cum Editt. Vett. multo pauciores esse dixisset, quae ineditae adhuc essent. Nam in Vett. Editt. XXXVII. Epistolae leguntur, quae & in Augustana, & in Basileensi, & in Hamburgensi desunt. Nos vero in bis epistolis recudendis Editt. Vett. expressimus, adeo ut nostra haec prae* Fabriciana *longe locupletior evaserit. Duas tamen libri VII. ex* Fabricio *accepimus, quae fato nescio quo in Vett. illis omissae sunt. Porro* σφάλματα, *quae vetustas quoque Editiones occupaverant, omnia sustulimus ope Codd. MSs. quos magno numero consuluimus. Horum primus adservatur in* Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut. LII. Cod. VI. *membranaceus ille quidem, & nitidissimo caractere exaratus, in cujus prima pagina elegantissima* Leonardi *nostri imago exhibetur. Titulus est:* Incipit Liber Epistolarum Leonardi Arretini. Liber primus incipit foeliciter. *Alter exstat in eadem* Bibl., *eodemque* Plut. num. VII. *non membranaceus, sed chartaceus, ac nullo librorum numero insignitus. Tertius quoque ibidem delitescit,* Cod. *scilicet*

XXIII.

XXIII. *pariter Chart.*, *atque initio mutilus: deest enim Epistola prima*, *ac dimidium secundae*, *ad calcem vero nonnullae desiderantur. In his tribus Codd. MSs.*, *etsi multas deesse viderim*, *quae in editis excusae sunt; aliquas tamen exscripsi*, *quas nunquam e tenebris erutas fuisse arbitror: illam puta ad* Bernabam Senensem, *quae incipit.* Multa continentur, &c. Ad Franciscum Piccolpassum: Admirabiles profecto, &c. Ad Archiepiscopum Mediolanensem, *eumdem videlicet* Franciscum: Vidi exempla, &c. Ad Marcum Dandulum. Ego tuis ornatissimis, &c. ad Franciscum Philelphum. In bonam quaeso partem accipias, &c. *Praeter hos tres Codices*, *alia MSs. exemplaria nactus sum*, *quae non solum superiorum Codd. epistolas*, *sed etiam Librum nonum hactenus ineditum mihi subpeditarunt. Ex his unum accepi a Cl.* Barone Philippo Stosch *Antiquariorum hujus saeculi facile Principe*; *qui ab* Julio Gualtierio *illud habuerat: alterum vero inveni in* Bibl. Abbatiae Florentinae Monachorum Cassinensium Cod. *nempe* XXXXIII., *in cujus fronte legitur*: Leonardi Arretini Epistolarum Liber primus incipit feliciter. *Alia duo mihi subministravit* Bibl. Marchionum Riccardiorum, *Cod. videlicet* N. I. XXI., *&* Cod. N. II. XVII. *Itaque quatuor illa MSs. exemplaria in charta exa-*

rata

rata sunt, librumque, ut diximus, nonum habent, qui epistolas XIII. continet: scilicet Ad Regem Aragonum, Laurum Quirinum, Nicolaum Cebam, Cyriacum Anconitanum, Cardinalem Columnensem, Leonardum Dathum, Andreoccium Petruccium, Jo: Tortellium, Baptistam Albertum, Alphonsum de S. Maria, sive de Carthagena Episcopum Burgensem, Jo: Cirignanum Lucensem, & Regem Aragonum, *& haec quidem omnes ineditae sunt, si unam excipias ad* Regem Aragonum, *& alteram ad* Cyriacum: *primam siquidem ad calcem editionis Hamburgensis edidit Cl.* Fabricius, *aliam vero jampridem ex* Cod. 4537. Bibl. Colbertinae *eruit* Tom. VI. Miscell. *eruditissimus* Stephanus Balutius. *Nos autem horum Codd. ordinem religiose servavimus, multaeque nos rationes movent, ut credamus, ab ipsius* Leonardi *autographo fuisse exscriptos. Nam quod epistolae in unum redactae volumen ab eo fuerint, non solum in Annalibus ad an.* 1368. *testatur* Laurentius Bonincontrius, *sed etiam* Franciscus Poggius, Jannotius Manettus, *ac* Leonardus *ipse in Epist. X. Lib. IX. ubi:* eum intellexissem, *inquit*, quasdam pro meis circumferri, quae meae non essent, conquirere illas coepi, & quas postea scripsissem, servare, non tamen omnes, sed eas tantum, quae haberent in se narrationem rei

non

non quotidianae. *Porro hos, quos diximus Codd. exscriptos fuisse ex Auctoris autographo, plane ostendit MSs. Chartaceus Epistolarum ejusdem* Leonardi, *quem possidet diligentissimus Typographus noster* Bernardus Paperinius, *in cujus fronte legitur:* Epistolae Divi, & Laureati Leonardi Aretini ex suis originalibus per Hieronymum Bartoli de Pensauro transumptae anni Domini MCCCCXXXXIIII. die X. Januarii Florentie. *Is etsi ad calcem mutilus sit, idem tamen est, atque illi quatuor, de quibus nuper mentionem fecimus, si pauca tollas, & ea quidem non maximi facienda, ut pro* Nicolao *habet hic MSs.* Nicolao Nicolo, *vel* de Nicolis, *sive* Nicolao Strozzae: *pro* Nicolae, *exhibet* Nicolae de Medicis, *& alia hujus generis quamplura. Cum hoc labore perfunctus essem, schedulasque meas typographo traderem, indicavit Cl.* Staschio Antonius Redius *Arretii Codicem adservari, in quo librum nonum aliae epistolae nunquam editae excipiebant Quamobrem humanissimum* Redium *precibus sollicitare non destiti, donec a* Mario Florio Patricio, *atque* Advocato Arretino *hujus codicis possessore ejus exscribendi copia facta fuerit. Itaque voti compos factus, eas ad calcem rejeci, librumque decimum ex his confeci, quibus etiam addidi aliam epistolam & illam quidem elegantissimam* de Origine Urbis Man-

Mantuae *ex* Codd. membr. III., & V. Plut. LII. Bibl. Laurentianae, *quam ad* Jo: Franciscum Gonzagam Principem Mantuanorum *ab ejusdem familiaribus efflagitatus conscripsit* ex Florentia VI. Kal. Junias MCCCCXIIX. *ut in fine ejus epistolae legere est*. *In* Cod. VII. Chart. ejusdem Plutei *alteram epistolam deprehendi*, *quae a* Leonardo *nostro missa fuit ad* Archiepiscopum Mediolanensem, Franciscum *scilicet* Piccolpassum, *in qua* Alphonso *respondet*. *Nam* Alphonsus de S. Maria, sive de Carthagena, *quem nunc* Alphonsum, *nunc* Episcopum Burgensem *in epistolis adhuc ineditis adpellat* Poggius, *vir ea aetate doctissimus nonnulla in* Aristotelis Ethicis *a* Leonardo *in Latinam linguam conversis reprehenderat*. *Quae improbarat* Alphonsus, *defendere conatus est* Leonardus *in epistola ad eumdem Archiepiscopum*, *quam nos Lib. VIII. num. IV. posuimus*. *Sed* Alphonso *non satisfecit*, *qui adversario reposuit* Declinationes. *Novae* Alphonsi *disceptationi objecit* Arretinus *epistolam*, *de qua verba facimus*, *incipitque* Archiepiscopo Mediolanensi. Tu michi videris optime Pater, &c. *In altero Cod. Chart. ubi plures* Panormitae *epistolae leguntur*, *exstant nonnullae ad* Jo: Marrasium Netinum *Philosophiae*, *ac. Medicinae Doctorem eximium*, *& Poëtam celeb.*, *de quo* Pirrus, Mongitorius

rius, Littara, Fabricius, *altique. Hujus carmina, & ea quidem non pauca MSs. exhibent* Codd. membr. LIII., & chart. L. Plut. XXXIV. Bibl. Mediceo-Laurentianae. *Inter haec excellit carmen, quod inscripsit* Angelinetus, *poema scilicet amatorium elegiaco versu scriptum quod ab eo aetate jam confecto elucubratum fuisse perperam tradit* Fazellus. *Hoc autem* Leonardi Arretini *nomini consecravit, cujus proemium, quoniam ejusdem* Arretini *operibus lucem aliquam adfert, heic ex Codd. subjicere lubet:* Marrasii Siciliensis Poëtae ad eloquentissimum virum Leonardum Arretinum Praefatio in Angelinetum feliciter incipit:

Hunc Leonarde tuo volui obsignare libellum
Nomine, quo titulus luceat ipse magis.
Si quoi dandus honos graii, pariterque Latini
Eloquii, & quicquid laudis in orbe fuit:
Si quoi debetur fama immortalis avorum,
Arretine tibi gloria prima manet.
Effingis priscos nimia gravitate parentes,
Et superas veteres tu probitate viros.
Non solum dicant tibi se debere Latini,
Verum & Argolici teque, tuosque colant.
Non minus in graium conversus sermo Latinus,

Quam

Quam graium per te lingua latina tenet.
Eloquitur lepida, ac ornata voce latinus
Factus Aristoteles, barbarus ante fuit.
Punica bella diu tot in annis mortua vivunt,
Rex Cicero vivit, non moriturque Plato.
Quid recitem libros te traduxisse Pelasgos
Innumeros? totidem composuisse novos?
Italiae lumen, per te venere Camoenae
In Latium, per te dicta vetusta placent.
Indulgere velis nostro Arretine furori, &c.

His itaque amicissimis verbis compellatus Leonardus Marrasio *respondit epistola quadam, cujus initium in Cod. MSs. tale est.* Leonardi Aretini viri eloquentissimi ad Cl. Adolescentem Marrasium Siculum epistola feliciter incipit: Fons quidam, &c. *Ea nempe est, a qua Liber sextus exordium sumit. Post hanc* Leonardi *epistolam sequitur in Cod. Chart.* Marrasii Siciliensis epistola responsiva ad eloquentissimum virum Leonardum Arretinum de laudibus Fontis Gaii feliciter incipit:

Non opus est scythicum senibus disquirere fontem,
Quo sibi demersis prima juventa redit.
Siccus apud scythiam per saxa latentia repit,
Funditat & lymphas ante Senense forum, &c.

Hanc

Hanc Marrasii *responsionem excipit in Codd. msf.* Leonardi Arretini epistola ad doctum Juvenem Marrasium Siculum, *quae ita incipit:* Nuper suavissime Marrasi cum apud quosdam praestantissimos juvenes, &c. *ac numquam lucem adspexit. Quamobrem hae omnes Libro decimo adcessere, easque illis praeposuimus, quas ex Cod.* Marii Flori *habuisse diximus. Porro* Philibertus de la Mare Senator Divionensis *Vir Cl., omnia* Leonardi *opera non solum impressa, sed etiam ex MSs. Codd. eruta edere decreverat, eorumque catalogum an.* 1653. *publici juris divione fecit. Inter haec promiserat* Epistolas Leonardi Aretini pro parte Communitatis Florentiae variis Dominis, *&* Communitatibus destinatas. *Itaque cum multa sint, eaque praeclara, quae ex his monumentis erui possunt, easdem quoque in lucem producere, publicoque eruditorum commodo inservire conabimur. Eam autem ortographiae rationem plerumque in his servandam putavimus, quam ab Auctore usurpatam fuisse deprehenditur. Quare* mihi, *&* nihil *per litteram* C michi, *&* nichil *edidimus, cumque* Antonius Grammaticus, *quem perperam cum* Antonio Cremonae *Epist. XVI. Lib. I. confudimus, causam a* Leonardo *petiisset, cur ita scriberet; respondit Epist. 2. Lib. VIII. se ad id faciendum impulsum fuisse auctoritate* Dantis,

tis, Petrarchae, Boccacii, *ac* Colucii Salutati, *quos eadem scribendi ratione usos fuisse testatur. Hinc excudimus etiam* leticiam, negocium, tristiciam: *sic* jocunditatem, jocundum, jocundissimum: malivolum, malivolentiam, benivolum, benivolentiam, &c. *ut prae se ferunt Codd. MSs. His omnibus adjunximus nonnullas animadversiones, nec eas prolixas quidem, sed perbreves, quas plerumque hausimus aut ex* Dialogis Pauli Cortesii, *&* Benedicti Accolti, *vel ex* Italia Inlustrata Blondi, *sive ex* Volaterrano, *vel ex* Leandro Alberto, *aut denique ex* Dialogo Lilii Gyraldi, *quem de* suorum temporum Poëtis *conscripsit. Sed maximo mihi usui fuit* Diarium *elegantissimum, quod elucubravit, & ad* Eugenium Papam IV. *misit* Cyriacus Anconitanus. *Nam cum singula loca enumeret, quae ad conligenda vetera monumenta adierat, homines quoque eruditionis gloria praestantes diligentissime recensuit. Hoc cimelium praestantissimum, & adhuc ineditum possidet in Cod. Chart. locupletissimae suae Bibl. Vir. Celeb.*, Philippus Stoschius, *eodemque humanissime adnuente cum multis aliis* Cyriaci *Epistolis publicae luci donabimus.* Leonardi *litteris vitam praefiximus, quam ex ejus operibus, synchronisque auctoribus concinnavimus, scriptorumque tam editorum, quam ineditorum catalo-*

legum subjunximus. Dolendum sane est, quod ex Annalibus Sozomeni Praesbyteri Pistoriensis *ea pars exciderit, quae ab an.* 1410. *ad annum* 1450. *producta fuerat. Nullus enim dubito, quin multa de* Leonardo *nostro nos edocuisset hic auctor synchronus, quum ad* 1370. *natalem* Arretini *annum copiosius in ejus se obitu dicturum pollicitus esset. Sed dolorem meum leniit Oratio elegantissima, quam in* Templo S. Crucis *ante cadaver habuit* Jannotius Manettus Eques Aureatus, *&* Ambrosii Camaldulensis *discipulus, qui propter Linguae Latinae, Graecae, & Hebraicae cognitionem* Trilinguis *a* Verino *nuncupatus est, de quo plura pag. IV. seq.* Italiae Orientalis *Cl.* Wolfii *notis inlustratae Celeb.* Paulus Colomesius. *Hanc* Manetti Laudationem *memoraverant jam* Naldus Naldius *in vita ejusdem* Manetti, *quam Tom. IX. Thes. Script. Ital. ediderat* P. Burmannus, *& ex Cod. MSs.* Bonaguntae Manetti *Cl.* Ludovicus Antonius Muratorius *Tom. XX. Script. Ital.* Naldio *addendi* Ammiratus, Pocciancius, Julius Niger, Oudinus, Fabricius, Zenus, *ac* Philippus Labbeus, *qui in Append. Bibl. MSs. suppl. V. pag.* 237. *tradit in Cod. MSs.* Gabrielis Naudaei *esse quinque orationes* Jannotii Manetti, *quarum prima funebris est, ea scilicet, quae dicta fuit in* solemni Leonardi Are-

tini Historici, Oratoris, ac Poëtae Laureatione. *Inde orationis principium exhibet, quod tale est:* Si immortales Musae, divinaeque Camoenae praestantissimi cives, &c. *Eamdem quoque delitescere Oxonii* Cod. XV. Collegii Lincolniensis *colligitur ex* Part. 2. Catal. Cod. mss. Angliae, & Hiberniae *pag. XXXX., ubi:* Jannotii Manetti oratio funebris in solemni Leonardi Aretini Laudatione. *Quum hanc sedulo perquirerem, ac Bibl. MSs. excuterem, eam reperi in Cod. Chart., quem possidet Illustriss. & Reverendiss.* Salvinus Salvinius Canonicus Florentinus, *atque* Antonii Mariae Salvini Viri summi *Frater optimus, atque doctissimus, qui MSs. Codicem humanissime mihi exscribendum tradidit. Eamdem quoque adservat Cod. MSs. Bibl. Illustrissimi, & Reverendissimi* Gabrielis Riccardii *Marchionis, & Canonici Florentini, e cujus Museo longe locupletissimo plura in hac sylloge producentur. Itaque etsi adeo prolixa sit, ut merito a* Naldio Liber *nuncupetur, integram tamen Auctoris vitae subjungere voluimus, quum* scripta fuerit tanto cum ornatu verborum, atque tanta cum sententiarum gravitate, ut ex ea non modo summus honor ad scriptorem veniret, verum etiam is dies, quo recitata fuit, universae Civitati honestissimus haberetur, *ut idem* Naldius *luculentissime testatur. Et quidem* Alaman-

manuus Luna *in Epist. adhuc inedita ad* Jannotium Manettum Virum, *ut ipse eum nominat*, Litteratissimum. Laudationem, *inquit*, praestantissimi Leonardi nuper a te habitam per hunc meum puerum remitto, quam a vertice ad calcem, ut aiunt, usque diligenter, accurateque perlegi, & eam tanta copia, ac suavitate refertam esse conspexi, quod procul dubio propriis eam manibus transcribere non praetereundum esse putavi, & apud me semper ipsam detinebo. Nam huic nostro admodum Leonardo tantas laudes, praeclaraque facinora tribuis, quantas, & virtus sua postulat, & meretur, &c. *& plura alia his simillima congerit. Aliam quoque funebrem Orationem dixit in obitu* Leonardi *nostri* Poggius Bracciolinus, *quam ex veteri Codice MSs. Bibliothecae* Colbertinae *edidit Clariss.* Stephanus Balutius *Tom. III. Miscell. pag.* 248., *ac post* Balutium *recudendam curavit Tom. VIII. Thes. Script. Ital.* P. Burmannus, *eamque Hamburgensi Epistolarum Editioni praemisit Cl.* Fabricius. *Eamdem & nos* Manetti *Laudationi subjecimus. In MSs. Cod. Chart., ubi nonnulla* Landini, Campani, *aliorumque carmina, & epistolae continentur, se se mihi obtulit* Elegia quaedam Caroli Arretini, *quam in obitu* Leonardi *composuit, idemque esse puto, ac* Elogia Ca-

roli Arretini, *quae in* Bibl. Mediolanensi *exstare tradit Cl.* Montfauconius, *vel* Caroli Aretini in obitu Leonardi Aretini funebre elogium, *cujus meminit ex Cod.* 80. *Bibl. Lincolniensis* Cas. Oudinus *Tom.* 3. *de Script. Eccles.*, *sive* Laudes Leonardi Arretini, *quas pag.* 119. *Script. Florent. recensuit* Julius Niger, *&* *ex* Nigro *Lib.* 2. *Bibl. med. & Inf. Lat. eruditissimus* Albertus Fabricius. *In Bibl. quoque* Gabrielis Naudaei *delitescebat* Caroli Arretini Elegia pro obitu Leonardi Arretini viri doctissimi ad Benedictum Jurisconsultissimum *ut pag.* 61. Bibl. MSs. *tradit* Labbeus. *Verum quum ea edita fuerit Tom. VI. Lat. Poëtarum Inlustrium, qui Florentiae an.* 1720. *excusi sunt, heic omittendam duximus, eo praesertim consilio, quod prolixitate sua molestiam potius, quam jucunditatem adlatura esset. Habes, Candide Lector, omnem curam, industriam, sedulitatemque nostram, quam in adornanda hac nova Epistolarum editione posuimus, eamdemque operam ponemus in aliis, quae deinceps sequentur. Sed quoniam ex nonnullis ejusdem saeculi scriptoribus paucae supersunt epistolae, & hae sane brevissimae, ut volumen conficere non possint; hinc nos postquam amplissimis collectionibus defuncti fuerimus, nostrum ad has studium potissimum conferemus, producemusque aliqua volumina, quae inscriben-*

bentur Miſcellanea Epiſtolarum, *in quibus multiplices illae variorum Auctorum epiſtolae ordine chronologico digeſtae legentur. At de his plura fortaſſe, quam nollem. Tu fruere, Lector Benevole, & vale, &c.*





LEONARDI BRUNI
VITA.





Eonardus ex Gente Bruna ab Arretio Etruriae civitate, in qua natus est, *Arretini* cognomen obtinuit. Natum fuisse anno MCCCLXX. scribit *Matthaeus Palmerius* in *Libello de Temporibus*, quem magna ex parte adhuc ineditum, & ex autographo an. MCCCCLVIII. exscriptum adservat Cod. membr. *Abbatiae Florentinae Monachorum Cassinensium*, de quo *Cap. XXV. Diarii Italici Cl. Montfauconius*. *Palmerii* verba ad an. MCCCLXX. haec sunt: *Leonardus Brunus Historicus Aretii nascitur*. *Vossius* V. Cl. quum *Lib. III. de Hist. Lat. Cap. V. Palmerium* produxisset, ea ad an. MCCCCLXX. adnotata fuisse perperam adseruit, quem operarum potius typographicarum, quam *Vossii* errorem animadvertit Celeb. *Apostolus Zenus Tom. IX. Ephem. Venet*. *Sozomenus* quoque *Praesbiter* Pistoriensis, &

auctor synchronus paria cum *Palmerio* tradiderat in *Chron:* cujus specimen *Tom. XVI. Script. Italic.* edidit *Cl. Ludovicus Muratorius: Leonardus Brunus*, habet ille ad an. MCCCLXX. *qui Florentini populi historias scripsit, Aretii nascitur, de quo infra dicetur plenius in obitu suo. Laurentius* tamen *Bonincontrius* Miniatensis ejusdem aetatis scriptor anno MCCCLXVIII. ortum fuisse scribit in Annalibus, quos eruit *Tom. XXI. Script. Ital.* idem *Muratorius* vir doctissimus. *Anno Gratiae MCCCLXVIII Leonardus Brunus Aretii nascitur vir singulari doctrina litteris graecis, & Latinis eruditus.* Haec *Bonincontrius*, de quo minime laborandum existimo, quum quoquomodo poterat & poëmata scripserit, & Historiam, ut optime de eodem observavit pag 54. *Dialogi sui Paulus Cortesius.* Sed ab his quos diximus, dissentit *Jannotius Manettus*, qui de natali *Leonardi* anno verba faciens in ea oratione, quam infra produximus: *Leonardus noster*, inquit, *Aretii antiquissima, ac nobilissima urbe, & jampridem quorumdam mirabilium ingeniorum productrice, ut a prima ejus origine ordiamur, trecentesimo sexagesimo nono supra millesimum Christianae salutis anno honestis quidem, sed non admodum generosis parentibus cum egregiis quibusdam naturae muneribus feliciter nascitur.* Pater ei fuit *Franciscus Brunus*, quod intelligitur ex *Colucii* epistola hactenus inedita, quae inscribitur: *Leonardo Cecco Bruno Aretino*, ut etiam ex altera ipsius *Leonardi*, quam nos nunc primum ex Cod. MS. erutam Num. VIII. Lib. X. edidimus: ex qua etiam constat eumdem *Franciscum* obiisse, tum cum *Leonardus* adolescens esset. Genere vero minime claro prognatum fuisse, sed a se ipso sibi nominis claritatem, & generis nobilitatem peperisse innuit his verbis *Poggius: Et genero Leonardus minime*

nime claro fuit. Sed quod natura non attulit, virtus elargita est. A se ipso enim nominis claritatem, ac generis nobilitatem traxit, quae vera est, & perfecta nobilitas. Ejus quoque parentes *honestos quidem, sed non admodum generosos a Manetto* adpellatos fuisse supra vidimus. *In Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut. LII. Cod. Chart. Num. V.* adservatur *Leonardi* nostri invectiva ita inscripta: *Leonardi Florentini oratio in nebulonem maledicum.* In ea praeter alia legitur: *Genus igitur meum qua ratione spernis? Parentes enim habui, ut leviter dicam, ingenuos, & honestos; addo etiam, siquid ad hanc rem id pertinet, nec illocupletes, & cunctis honoribus in libera civitate perfunctos.* Quamobrem etsi e genere minime claro fuerit, ex iis tamen parentibus ortus est, qui in libera civitate non solum non ignoti erant, quum ad omnes honorum gradus evecti fuissent, verum etiam inter primos adnumerabantur. Is ab ineunte adolescentia in patria Latinis litteris imbutus est, cumque ab hostibus captus in honesto quodam carceris cubiculo detineretur, ubi *Petrarchae* imago depicta erat, tanto studiorum ejus ardore inflammatus est, ut non multo post Florentiam se contulerit, in qua *uberior discendi facultas, & amplior consequendae laudis campus esse videbatur:* Quae *Poggii* verba sunt. Cum Florentiae moraretur, *Leonardi* ingenio faces veluti quasdam admovit *Jo: Ravennas* Grammaticus, ac Rhetor ea aetate celeberrimus, qui *Petrarcham* senem puer novit, atque ut ex *Leonardo* percepit *Blondus*, primus fuit, a quo eloquentiae studia tantopere tunc florentia longo postliminio in Italiam fuerint reducta. Quin imo sub eodem Grammatico Eloquentiae operam dedisse ex his *Blondi* verbis ostenditur: *Hic enim*, scribit idem *Blondus* de *Jo:* verba faciens, *suopte ingenio*

nio, & quodam Dei munere, sicut solitus fuit dicere Leonardus, eum, Petrum Paulumque Vergerium, Omnebonum Schola Patavinum, Robertum Rossum, & Jacobum Angeli filium Florentinos, Poggiumque, Guarinum, Victorinum Feltrensem, ac alios, qui minus profecerunt auditores suos, si non satis, quod plene nesciebat, docere potuit, in bonarum, ut dicebat, litterarum amorem, Ciceronisque imitationem inflammabat. Sed ad *Leonardi* eloquentiam magnum sane adjumentum adtulit *Colucius Salutatus* vir optimus, atque sapientissimus, qui Cancellarii officio apud Florentinam Remp. summa cum laude fungebatur, ac fatente *Poggio communis doctorum omnium parens, atque educatur habebatur.* Hic itaque *Leonardum* jam tum patre orbatum tamquam filium excepit; *Leonardus* vero parentis loco *Colucium* semper habuit, ita ut alicubi *patrem*, ac *praeceptorem suum* adpellet. Quanta autem eloquentiae vi, ac copia ab hac nova consuetudine utriusque ingenium auctum sit, difficile dictu est, praestatque ex ipsius *Colucii* verbis hoc percipere, qui in *Epist. ad Innocentium VII.* mutua illa studia sic describit: *Cum enim ipsum jamdiu recepissem in filium, ipse se totum conversatione domestica michi dederit, totum agnosco, totumque discussi, nec me potest in aliquo tanto tempore latuisse. Continua, & studiosa ejus consuetudo fuit, & cum de cunctis, quae componerem, judex esset, & ego suarum rerum arbiter versa vice, nos mutuo, sicuti ferro ferrum acuitur, exercebamus, nec facile dixerim, & ex hoc dulci, & honesto contubernio uter nostrum plus profecerit. Uterque tamen eruditior evasit, ut fateri oporteat, mutuo nos nobis fuisse vicissim discipulos, & magistros.* Plura ad eumdem Pontificem his similia scripsit *Colucius*. Suspicatur *Jacobus Lenfantius* in *Ep. ad Cl. de la*

Motte

Motte, inserta *Tom.* I. *Bibl. Germanicae Art. V.* duos Colucios exstitisse, qui Populi Florentini scribae fuerint & junioris familiaritate *Leonardum* usum fuisse. Nam postquam ea ipsa *Colucii* verba ad *Innocentium VII* adtulit, haec comminiscitur: *Il semble, qu'on puisse conclure de cette lettre, que si d'un côté Coluce profitoit des lumieres de Leonard par rapport aux belles lettres, de l'autre il avoit sur Leonard cette superiorité, que donne l'âge, & l'experience. Ce qui pouvoit bien être de L. Colucius Salutatus, quand même ce ne seroit pas celui, qui écrivoit en 1378., puis qu'en 1404. Leonard Aretin n'avoit, que dix-sept-ans. Ce, qui semble déterminer a croire, que ce sont deux personnages differens de la même famille, c'est, que le P. D. Mabillon nous apprend, qu'il avoit vû dans l'Abbaye de Vallombrosa un ouvrage manuscrit de Colucius Pierius de Stignano Chancellier de Florence touchant le siecle, & la religion. Il n'y a nulle apparence, qu'un même homme se donne des nom differents dans ses ouvrages, sur tout, quand il y met son nom de famille, & qu'il ne paroît point par conséquent, qu'il ait voulu se cacher.* Haec more suo, idest ineptissime *Lensantius*. Nam *Jo: Mabillonii* verba leguntur *Tom.* I. *Itin. Ital. pag.* 181., & hujusmodi sunt: *Multae sunt ibidem aliae Beatorum Domesticorum Reliquiae, quorum elogia Hieronymus Radiolensis vulgo de Reggiola ejusdem loci Monachus scripsit ad Laurentium Medicem. Hic codex haud vulgatus superest in Bibliotheca cum aliis nonnullis, uti & Colucii Pierii de Stignano Cancellarii Florentini Libri duo de Saeculo, & Religione ad Hieronymum de Uzano Camaldulensis Ordinis Monachum Florentiae apud Sanctam Mariam de Angelis, quem Hieronymum in saeculo Nicolai nomen tulisse idem auctor tradit.* Ita *Mabillonius*, qui hoc, ut

puto

puto, adnotavit, ut *Possevinam* inlustraret, apud quem *Tom. 2. Appar.* pag. 55. legitur, *Colucium de vera Religione scripsisse*. Sed quid ex his *Mabillonii* verbis erui possit, quo suffultus *Lenfantius Colucium Pierium de Stignano* diversum a *L. Colucio Salutato* esse conjiciat, haud equidem video; imo eumdem esse testantur MSs. Codices, in quibus legere est L. *Colucius Pierius Salutatus de Stignano*, ut praeter alios prae se fert Codex Pergamenus *Bibl. Menarsianae*, ut ex ejus catalogo pag. 159. didicimus. Porro labitur idem *Lenfantius*, dum *L. Colucius*, interpretatur *Lucius Colucius*, quod etiam ante *Lenfantium* perperam fecerat Cl. V. *Stephanus Balutius* quum *Tom. IV. Miscell.* pag. 510. ex Cod. 1562. *Bibl. Colbertinae Colucii* epistolam ad *Nicolaum de Auximo* edidit. Nam *Linum*, non *Lucium* legendum esse non solum ostendunt MSs. Codices, sed etiam ipsemet *Leonardus*, qui quum in Ep. VIII. lib. X. *Colucium* inrideat, quod jam senex se *Linum* nuncupare incoeperit, ita jocatur: *Itaque nescio, an graviter a te sumptum Lini vocabulum. Cum enim Colucius Salutatus bellissime dicatur secundum antiquos, qui nomina, aut cognomina habuerunt, nec linum, nec stupam adjungere necesse fuit ad tuum nomen illustrandum*. Praeterea an. 1404. *Leonardus* non agebat annum decimum septimum, ut parum considerate scribit *Lenfantius*, sed trigesimum quartum, cum an. 1370. ut supra diximus, natus sit; neque illa *Colucii* epistola ad *Innocentium VII.* scripta fuit an. 1404., sed Mense Majo an. 1405., cum *Arretinus* Pontificiarum epistolarum Magister electus est. Sed ut revertamur, unde digressi sumus, adeo *Colucii* exemplo, atque adhortationibus erectus est *Leonardi* animus, ut in *Ep. XI. Lib. 2. ad Bonifacium*, aliosque *Colucii* filios missa fateatur: *Quod graecas*

cas

eas didici litteras, Colucii est opus. Quod latinas non leviter inspexerim, Colucii est opus. Quod poetas, quod Oratores, quod Scriptores ceteros legerim, didicerim cognorim, Colucii est opus, &c. Eloquentiae praeceptis satis instructus, ad Philosophiam animum adplicuit, & Aristotelis Libros sic audivit, ut etiam publice de iis disputationes ex ordine studiorum sustineret, solidoque biennio ab illius disciplinae magistris incredibili aviditate imbutus est. Consule *epist.* XX. *Lib. IV.*, ubi ea, quae diximus, iisdem pene verbis reperies. Postquam in dialecticis biennium posuerat, ad jus civile cognoscendum se contulit, quumque in hoc quadriennium jam insumpsisset multumque profecisset, an. 1399. *Manuel Chrysoloras* magno conductus stipendio Florentiam venit, quem ab an. 1396. Venetiis commorantem *Nicolao Nicolo, Colucio Salutato,* ac *Jacobo Angeli* adnitentibus invitaverat Florentinorum Respublica. Hinc *Bonincontrius* ad an. 1399. *Emmanuel Chrysolora Byzantius per id tempus litteras graecas in Italiam adduxit, quae septingentis jam annis in Italia desierant cognosci. Hic patria a Turcis obsessa Venetiis salario illas edocebat. Deinde magno pretio a Florentinis conductus juvenes eorum publice erudiebat.* Cum itaque ludum aperuisset *Chrysoloras*, quamplurimos auditores nactus est; inter quos praestiterunt *Robertus Ruffus, Pallas Onuphrii filius Stroza, Jacobus Angeli,* ac *Petrus Vergerius Justinopolitanus*, qui Patavio, ubi florebat, ad *Emmanuelem* audiendum se contulerat. Novae linguae inlecebris adliciebatur *Leonardus*, totumque se *Chrysolorae* tradere exoptabat; sed, ut ait *Manettus*, deserendorum studiorum suorum pudore commotus transfugii crimen expavescebat. *Ego*, inquit ipsemet *Leonardus* in Comment. *per id tempus Juri civili operam dabam,*

non

non rudis tamen ceterorum ſtudiorum. Nam & natura flagrabam diſciplinarum amore, & Dialecticis, ac Rhetoricis non ſegnem operam impenderam. Itaque in adventu Chryſolorae anceps factus ſum, quum ſtudium juris deſerere flagitioſum ducerem, & tantam occaſionem litterarum graecarum ediſcendarum praetermittere ſcelus quodammodo arbitrarer, ſaepiuſque ipſe ad me juvenili motu inquiebam: Tu quum tibi liceat Homerum, Platonem, & Demoſthenem, ceteroſque Poëtas, & Philoſophos, & Oratores, de quibus tanta, ac tam mirabilia circumferuntur, intueri, atque una colloqui, ac eorum mirabili diſciplina imbui, te ipſum deſeres, atque deſtitues? Tu occaſionem hanc divinitus tibi oblatam praetermittes? Septingentis jam annis nemo per Italiam graecas litteras tenuit, & tamen doctrinas omnes ab illis eſſe confitemur. Quanta igitur vel ad cognitionem utilitas, vel ad famam acceſſio, vel ad voluptatem cumulatio tibi ex linguae hujus cognitione perveniet? Juris quidem civilis doctores paſſim complurimi ſunt, nec te deficiet unquam diſcendi facultas. Hic autem unus ſoluſque litterarum graecarum doctor, ſi e conſpectu ſe auferet, a quo poſtmodum ediſcas, nemo reperietur. His tandem rationibus expugnatus Chryſolorae me totum tradidi tanto diſcendi ardore, ut quae per diem vigilans percepiſſem: ea nocte quoque dormiens agitarem. Haec ille: quem tres circiter annos in graecis litteris ſub *Chryſolora* inſumpſiſſe auctor eſt *Manettus*; atque ipſemet in iiſdem *Commentariis* ſupra biennium ab eodem ſe fuiſſe inſtitutum tradit. Cum autem Florentiam reliquiſſet, & Mediolanum ad Imperatorem ſuum ſe contuliſſet *Chryſoloras*, ne id, quod ex praeceptore acceperat, dediſceret, ſed potius augeret, in graecorum librorum verſione elaborare coepit, ſermonemque *Baſilii ad diſcipu-*

cipulos instituendos, tam apte, atque ornate transtulit, ut summam nominis gloriam consequutus sit. Sed cum res domi angusta ejus conatibus obstaret, inopia pressus ad juris civilis cognitionem se referre necessitate coactus est. Inter haec *Poggius Bracciolinus* maxima cum *Leonardo* nostro familiaritate conjunctus a *Bonifacio IX.* tunc Pontifice Romam evocatus, non multo post, anno scilicet 1403. Epistolarum Apostolicarum scriptor factus est: cumque an. 1404. diem obierit *Bonifacius*, suffectusque fuerit *Innocentius VII.*, tunc *Leonardus Poggium* per litteras obtestatus est, ut aliquid sibi munus in Romana Curia cum utilitate, honestateque conjunctum compararet. Ut amici postulationibus satisfaceret *Poggius* duorum praesertim opera, qui Pontifici proximi erant, utebatur, ac *Leonardum* extollendo, ejusque scripta eisdem ostentando id adsecutus est, ut ille licet ignotus Romam accerseretur. *Poggii* litteris Romam accitus ad VIII. Kal. Apriles ad Urbem pervenit, ut ipsemet scripsit ad *Colucium Epist.* 1. *Lib.* 1., quod incidit in an. MCCCCV., non in an. MCCCCIV. ut *pag. XI. Poggian.* tradit *Jacob. Lenfantius*, eumque secutus Cl. *Fabricius Lib.* 2. *Bibl. Med.*, & *Infimae Latin.* Nam mense Martio an. MCCCCIV. vivebat adhuc *Bonifacius IX.*; *Innocentius* vero *VII.* an. MCCCCIV. mense Octobri Pontifex electus est. Ut primum Pontificis adeundi copia facta fuit, eidem se exhibere non omisit, qui adeo junior *Innocentio* visus est, ut rumor per Urbem diffunderetur, a Pontifice ob aetatem rejectum fuisse. Romae tunc versabatur *Jacobus Angeli* filius, quem *Jacobum Angelum Rinuccinum fuis.* ex Cod. MSs. *Bibl. Regiae* innuit *Labbeus suppl. VIII. Bibl. MSs.* pag. 317., & ex *Labbeo Lib. IX. Bibl. med. & Inf. Lat. Cl. Jo. Albertus Fabricius*. Quisquis is sit (nam *Jacobum*

An-

Angelum apud *Labbeum* sejungendum arbitror a *Rinuccino*, intelligendumque de *Alamanno*) summam graecae linguae cognitionem habuit, quam sub *Chrysolora* Florentiae hausit, ac *Cnei Pompeii* vita ab eo traducta exstat in *Bibliot. Mediceo-Laurentiana Plut. LXV. Cod. membr. num. XXVII.* adservatque *Bibl. Marciana* in Cod. membr. *Cosmographiae Ptolemaei Libros VIII.*, quos *Jacobus Angeli* e graeco transtulit, ac *Beato Papae Alexandro V.* nuncupavit. Summa quoque eloquentiae vi praestitisse testatur elegantissima epistola, quam ad *Emmanuelem Chrysoloram* praeceptorem suum de *Gregorii XII.* electione conscripsit, atque ea adhuc delitescit in *Bibl. Sanctae Crucis Plut.* XXII. *Cod. membr. num.* IX., ejusque meminit *Tom.* 1. *Itin. Ital. pag.* 162. vir eximius *Joann. Mabillonius*. Is itaque graecis, latinisque litteris probe instructus, & *Leonardo* natu major, & quadriennio jam solido in Curia commoratus acerrime petere incoepit, nihilque intentatum omisit, ut ipse dignitatem adipisceretur, animumque Pontificis adeo ambiguum reddidit, ut mensis fere totus elaberetur. Interea litterae ex Gallia a Duce Biturigensium ad Pontificem adlatae fuerunt. Tum Patres eum cohortati sunt, ut respondendi provinciam ambobus committeret: ita enim cognituros, uter utri praestaret. Quid postea factum sit, ex ipsius *Leonardi* verbis ad *Colucium Epist. II. Lib. I.* scribentis audiamus. *Rescripsi*, inquit, *uti praeceptum fuerat, biduoque post constituto tempore meae illiusque litterae Pontifici, Patribusque recitatae sunt. Quibus lectis quantum interesse visum sit, nescio: illud tantum scio, fautores illius, qui tam arroganter illum michi praeferebant, aperte jam confiteri, se falsa nimium opinione ductos errasse. Pontifex certe ipse michi statim gratulatus, re-*

rejecto illo, me ad officium dignitatemque recepit. Haec *Leonardus* ad *Colucium*: qui ubi hoc accepit epistolam quamdam *Innocentio* scripsit, quae in aliquibus Codd., & duabus Vett. Edd. est tertia Libri primi, in eaque Pontifici gratias agit, alumnumque suum pluribus commendat. Errat Cl. *Niceronus*, dum *Tom. XXV. Memor.* eamdem a *Colucio* scriptam innuit, cum nondum dignitatem adeptus esset *Leonardus*: Falsa quoque effingit *Varillasius*, qui *Lib. IV. Florent. Anecd. pag.* 161. testatur, Romanam Curiam indiguisse *Leonardi* nostri propter negocia, quae cum Orientalibus Episcopis tractabat; ideoque Romam accitum fuisse. Nam si res ita se haberet, nunquam dixisset *Poggius multas ac graves contentiones a se susceptas adversus quosdam, qui illud idem summopere ambiebant.* Dum Romae esset, nonnullas ad *Colucium* exaravit epistolas, quae *Lib. I.* leguntur, interque alias commemoranda est *Epist. IV.*, qua eum certiorem fecit de proelio, quod cum *Innocentio VII.* gesserant Romani. Decipitur *Lenfantius*, dum in *Epist.* ad *Cl. de la Motte pag.* 135., de qua supra mentionem fecimus narrat, *Colucium* a *Leonardo* monitum fuisse de tumultu, qui in electione *Innocentii VII.* accidit. Nam nondum Romam viderat *Leonardus*, dum *Innocentius VII.* electus est. Mense Augusto an. 1405 cum Pontifice Viterbium profectus est, ut colligitur ex *Epist. V. Lib. I.*, ibique per litteras cum *Colucio* disceptavit, quonam modo veteres, ac praesertim Homerus rebus, personisque nomina imposuerint. Duas illas epistolas idem *Lenfantius pag.* 136 ejusdem Epist. scriptas ad *Poggium* fuisse perperam tradidit, quum ad *Colucium* scriptae sint, qui Florentiae versabatur; *Poggius* vero utpote *Leonardi* collega in eadem urbe erat, ita ut nihil esset opus epistolis, sed prae-

sentem alloqui poterat *Arretinus*. Quum autem Viterbii aegrotasset, & ad *Colucium* scribens tamquam apud parentem questus esset, quod *nec vina, nec medicos, nec aliud quicquam aegrotantibus aptum in ea urbe reperisset*, ab eodem acerrime reprehensus est, quasi afficeretur circa corporis voluptates. Epistolae initium, quam scripsit *Colucius*, tale est: *Linus Colucius Leonardo Cecco Arretino Salutem, &c.* Rescripsit *Lonardus* paululum subiratus, ejusque epistolam ex Cod. MSs. nunc primum *Lib. X. numer. VIII.* edidimus, quae incipit. *Vereor mi Coluci, ne te poenituerit, &c.* Consule *ep.* X. *Lib I.*, in qua *Nicolum* de hac re certiorem fecit. Eadem, quae nos, adnotavit pag 132. seq. *Ep. ad Cl. de la Motte Lenfantius*, sed Romae, non Viterbi aegrotasse perperam, & contra ipsius *Leonardi* verba contendit. Illa igitur causa fuit, quae mutuam familiaritatem, tot officiis inter Leonardum, & Colucium confirmatam distraxerit. Mense Martio an. 1406. Romam repetiit Pontifex, quem *Leonardus* secutus est, quumque arma adversus *Innocentium* rursus sumeret Romanus Populus, imminerentque hostium copiae, *se auxiliorum convocandorum causa in Picenum, & Gallicum agrum dimissum fuisse* significat *Nicolio in Epist. XI. Lib.* 1. *Romae VIII. Idus Aprilis*, ut ad calcem epistolae legitur. Ariminum reliquerat, & Caesenam versus contendebat, cum ei adlatus est nuncius de obitu *Colucii*, *quo ego audito*, inquit ille, *ita mente concidi, ut post longum spacium vix me recipere valuerim. O me infelicem, qui tali parente orbatus sim?* Flebilibus hisce modis praeceptoris, ac parentis sui mortem deflet in *Ep. XXII. Lib.* 1. quam ad *Nicolaum* misit. Romam reversus ejusdem *Colucii Laudationem* elucubrare coepit, & *Nicolio* adhortante procedebat sane opus satis luculen-

te.

te. Interea *Innocentius* Pontifex, qui *Leonardi* virtutem cognoverat, eidem Episcopatum ultro obtulit, quem ille respuit. Adi *Epist.* XI. *Lib.* 2. *ad Colucii* filios scripta. Aliis quoque titulis, atque honoribus ab eodem Pontifice affectum fuisse testatur ipsemet in *Comment.* Exeunte an. 1406. diem obiit *Innocentius VII.*, evectusque fuit ad Pontificiam dignitatem *Gregorius XII.* qui votum suum, ac jusjurandum, quod pro tollendo Ecclesiae schismate fecerat, *Benedicto XIII.* adversario Pontifici per litteras nunciare, eumque ad pacem invitare debuit. *Harum litterarum cum de industria cunctis his, qui peritiores haberentur, mandata cura fuisset, tamdemque scripta seorsum cujusque Pontifici, Patribusque recitarentur, Arretina civitas, quam nonnulli contemnendam putant, judicio omnium palmam tulit, junior inter seniores, nova inter veteres, ac diu exercitatos.* Quae *Leonardi* verba sunt in *Ep. VI. Lib.* 2. ad *Nicolaum* scribentis. Increbescente itaque *Arretini* nomine, *Nicolaus Nicolus* per epistolam Decembri Mense an. 1406. scriptam *Leonardum* hortatus est, ut Cancellarii munus peteret. Florentinorum enim Respublica *Benedictum Fortinum Colucii* successorem amiserat. *Illud* (respondit *Leonardus* X. Kal. Januarias ejusdem anni) *ante omnia praemisisse velim, quoniam de morte successoris Colucii per tuas litteras admones, me, nec si praesens essem, candidatum profiteri velle, nec absentem cupere, ut meum nomen per suffragium edatur.* Quamobrem Pontifici adhaerens an. 1407. Mense Septembri Senas profectus est, quumque *Antonius Casinus Senensis* Canonicus tunc Florentinus, atque Ecclesiae Praepositus Fesulanae ad Episcopatum Pisauri sublatus esset, Canonicatum Florentinum, ac Praeposituram Fesulanam pro se petiit, quae petenti a Pontifice concessa sunt, ut de-

prehenditur ex *Ep. XI. Lib. II.*, quam adire operaepretium est. Atque ea, ut opinor, caussa fuit, qua impulsus Cl. *Oudinus* in *Indice Chron. Script. Eccles.* de *Leonardo* notaverit. *Presbyter, Summorum Pontificum Secretarius.* Quae cum ita sint, lapsus est *Niceronus*, dum *Tom. XXV. Memor. Oudinum* reprehendit, quod *Leonardum* Presbyterum nuncuparit, contenditque, numquam clericorum habitu indutum fuisse ea suffultus ratione, quod uxorem duxerit. Sed dubium non est, quin Leonardus clericali habitu processerit illo saltem tempore, quo Canonici titulo insignitus fuit. Nam exeunte Mense Octobri an. 1408. nondum se Canonicatu abdicaverat, quem postea *Salutato Colucii* filio contulit, pro quo illud Ecclesiasticum Beneficium quaesierat, moraque quadam interposita eidem, ut diximus, concessit. *Jacobus Lenfantius pag.* 134. *Ep. ad Cl. de la Motte*, quum verba faciat de his duobus Beneficiis, quae *Salutato* comparaverat *Arretinus*, ita scribit: *Il demanda pour lui-même au Pape, ce qu'il ne pouvoit obtenir pour son ami absent, & il lui procura deux Bénéfices considérables l'un à Florence, l'autre à Pesaro Ville de l'etat de l'Eglise, qui venoient à vaquer par la promotion d'un autre à l'Evêché de Fiesole.* Haec *Jacob. Lenfantius*, qui quantum a vero aberret, ex ipsa *Leonardi Epist. XI. Lib. II.* disci potest, ubi haec plenius enarrat. Nam *Antonius Casinus*, qui Episcopus creatus fuit, non ad Fesulanam Dioecesim, sed Pisaurensem assumptus est. Praeterea nullum ex Beneficiis duobus, quae *Leonardo* concessit Pontifex, Pisauri erat, sed ambo Florentiae, Praepositturam puta Fesulanam, & Canonicatum Florentinae Ecclesiae. Addit ad haec idem *Lenfantius a Bonifacio IX.* tunc Pontifice ea impetrasse. Sed hoc puerile est, quum *Bonifacius IX.*

Ecclesiae gubernacula tractarit ante *Innocentium VII.* eo videlicet tempore, quo *Leonardus* Romam non dicam viderat, sed ne cogitarat quidem. Sed ad instituta pergamus. Senis cum *Gregorio XII.* egressus, Lucam an. 1408. Mense Januario adcessit, quumque omnes fere Patres, ac plerique ex Curialibus *Gregorium* reliquissent, ipse cum nonnullis aliis Pontificem Senas repetentem Mense Julio ejusdem anni comitatus est. In hac Urbe *Leonardus* agere coepit cum *Poggio*; qui Florentiam profecturus erat, ut suo, amicorumque usus consilio curaret, ut in patriam revocaretur, idque etiam a *Nicolao Nicolio* per litteras Senis XV. Kal. Octobribus scriptas postulavit: *sed omnem*, inquit, *hujusmodi deliberationem in reditum meum a balneis reservo*. Constituerat enim ad VI. Idus Octobres ad aquas Petriolanas (mendose in textu Puteolanas) lavandi causa proficisci. Ad has profectus maximo cum honore exceptus fuit a Senensibus, quod ipse commemorat in Epist. dat. *Florentiae VIII. Kal. Decembres* 1438., qua unum Politicorum volumen Senensi Magistratui misit. *Dona siquidem*, ait ille, *& munera vel magno alicui Domino congruentia antecessores vestri tunc in Magistratu amplissimo constituti summa cum humanitate, summaque benivolentiae significatione usque ad ea loca michi trasmittere dignati sunt, ac tanto me honore affecere, quantus est pusillum hominem a Civitate maxima publice honorari*. A Balneis reversus Arretium Kal. Decembribus se contulit, ubi cum per dies multos Poggii litteras, a quibus totus pendebat, frustra expectasset, Ariminum contendit, quo confugerat *Gregorius* Pontifex. Nam *praestare censuit, ut vulgo dici solet, ruere semel, quam semper pendere*, ut scripsit ipsemet *Poggio Ep. XVII. Lib. X.* quam nos ex *Cod. Chart. Marii Flori* nunc primum

 pro-

protulimus. Cum Arimini esset, misit X. Kal. Martias an. 1409 ad *Nicolaum Nicolum* epistolam elegantissimam, in qua vetustatis reliquias, quae ea in urbe supererant, diligentissime recensuit, & ad calcem adjecit praestantissimam laudationem *Caroli Malatestae* ejusdem civitatis Principis, cum quo maximam familiaritatem habuit, ille vero eo amore, ac benevolentia *Leonardum* prosequutus est, ut hic in *Ep. VII. Lib. VI. ad Attum Militem* testetur *ita cum eo vixisse, ut neque mensa, neque venatio, neque studia litterarum ipsum ab eo sequestrarent. Qui*, sequitur ibidem, *peractis ad occasum venationibus ita redire Ariminum solebamus, ut duobus vel tribus passuum millibus disputando summis interdum contentionibus, ac desperatis prope clamoribus certaremus*. Quae quidem verba cum Cl. V. *Jo: Georgio Schelbornio* nota essent, miror equidem, qua ratione impulsus *Tom. 3. Amoenit. Litter. pag. 225. seq.* ex MSs. Cod. *Bibl. Krafftianae* ediderit *Leonardi Aretini in Carolum de Malatestis propter derogationem statuae in memoriam Maronis factae invectivam*. Nam quamvis MSs Codex *Aretini* nomen prae se ferret, ejus tamen auctorem discere poterat *Schelbornius* ex *Chronico Philippi Foresti* vulgo *Bergomatis*, qui pag. 375. de *F. Paulo Vergerio* seniore verba faciens, ejusdemque opera recensens: *Adversus*, inquit, *Sigismundum* (lege *Carolum*) *Malatestam, qui Maronis statuam e foro Mantuano dejici fecit, nobilem edidit invectivam*. Eam vero *Pauli Vergerii* elucubrationem esse aperte indicat Cod. MSs., qui exstat in *Bibl. Lipsiensi*, cujus indicem adornavit *L. Joachimus Fellerus Cygneus* apud quem pag. 295. legitur: *Petri Pauli Vergerii invectiva in Carolum Malatestam, qui Virgilio, & cunctis Poetis detrahebat*. Porro testatur Cl. *Muratorius Tom. XV. Script. Ital. pag. 112.* eamdem olim

se

se legisse in MSs. Cod. *Bibl Ambrosianae* post *Leonardi Arretini Librum de Institutione adolescentium ad Ubertinum Carrariensem*, eamque ita fuisse inscriptam: *Invectiva contra Karolum de Malatestis pro eversione, & destructione statuae Virgilii Mantuani Poëtarum maximi*. Itaque etsi auctoris nomen desideretur, tamen in fine haec leguntur: *Bononiae XIV. Kal. Octobris MCCCXCII. Petrus Paulus Vergerius de Giampietris de Sarnano*. Ex quibus verbis deprehenditur, & quis eam elucubraverit, & locus ubi elucubrata fuerit, & annus, ac mensis, quibus eadem prodierit. Quin imo quum idem *Muratorius Tom. XVI. Script. Ital.* ex MSs. Cod. *Bibl. Estensis* orationes ejusdem *Vergerii*, atque epistolas edidisset, epistola prima est: *De Virgilii statua Mantuae eversa per Carolum Malatestam ad Ludovicum* . . . . ubi *Alidosium* supplet ex Cod. olim Urbinate, nunc autem Vaticano Vir ille Celeber. Quamobrem deceptus est Clar. *Fabricius*, qui *Lib. II. Bibl. Med. & Inf. Lat. Schelhornium* sequutus pag. 803. inter *Leonardi* opera illam invectivam enumeravit, erraruntque etiam Cl. Duumviri *Edmundus Martene*, & *Ursinus Durand*, qui *Tom. III. Vet. Monument.* pag. 868. eamdem sub *Guarini* nomine ediderunt. Sed ut ad *Leonardum* redeamus, quum Arimini vitam duceret, ac *Gregorio XII.* adesset, non quod illam causam probaret, sed propter jus quoddam familiaritatis, a quo tantummodo se detineri fatebatur, gravissimo Florentinae Civitatis decreto Florentiam revocatus est, quo cum pervenisset, per crebras litteras a S. R. E. Cardinalibus evocatus, Pisas ad III. Nonas Apriles ejusdem anni 1409. commigravit. Celebrato Concilio Pisano, electoque *Alexandro V.* huic quoque Pontifici operam suam praestitit, cum quo per autumni tempus Pisis abiens, Pistorium concessit, ibique tota

hyeme commoratus circa initia veris anno 1410. Bononiam cum eodem profectus est. Paulo post e vita decessit *Alexander V*, suffectusque *Balthassar Cossa*, qui *Johannes* XXIII. nuncupatus est, apud quem quum eo ipso Epistolarum scribendarum munere fungeretur, eodem anno 1410. in Cancellarium a Populo Florentino accitus est. Tradit Clar. *Niceronus Tom. XXV. Memor.*, *Leonardum* a Florentinis evocatum fuisse, tum cum *Johannes Pontifex* Bononiam properabat. Sed hoc a veritate abhorret; nam *Johannes* Bononiam profectus est an. 1413. exeunte: Leonardus vero an. 1410. Cancellarii munus adeptus est. Itaque scribere debuerat *Niceronus*, *Leonardum* Florentiam invitatum fuisse, tum cum *Johannes* Bononiae morabatur: quod etiam his verbis confirmat Poggius: *Sed cum Johannes esset Bononiae*, *Leonardus accitus est a vobis in Cancellarium*. Sed tum propter novi exercitii difficultatem, tum majoris spem emolumenti paucis mensibus Reip. inservivit, abdicatoque Cancellarii munere ad priorem vitam rediisse, Romamque, in qua *Johannes* Pontifex aderat, regressum fuisse testatur idem *Poggius*. Porro *Johannes* Bononia Romam se contulit circiter mensem Aprilem an. 1411. itaque necesse est, ut post mensem eumdem anno 1411. ab illo munere se abdicaverit *Arretinus*. Scribit *P. Niceronus* V. Clar. Tom. *XXV. Memor.*, antequam Romam rediret, uxorem duxisse: sed hunc refellit *Poggius*: *Romam* inquit, *in qua Johannes Pontifex aderat*, *profectus est*. *Pauloque post uxorem ducit adolescentem optimam*, *ex qua unicum filium suscepit*, *quem moestum*, *& sordidatum*, *flentemque videtis*. *Tum ad Urbem rediens*, *&c.*. Itaque paulo post quam Romam redierat, Florentiam rursus venit, inde Arretium, ubi uxorem duxit adolescentem nostrae civitatis, ut *Jannotii*

notii verbis utar, primariam. Ex epistola XVII. Lib. III. ad XV. Kal. Apriles Poggio scripta, ubi de suarum nuptiarum impensis agit, colligitur Januario mense, aut Februario an. 1412. nuptias celebrasse. Urbi post haec se restituit, & exeunte an. 1412. filium suscepit, quem *Donatum* ab eo fuisse nuncupatum didici ex Cod. Chart. *Bibl. Laurentianae Plut.* XXXXIX. num. XIIX. ubi exstant *M. Tullii Ciceronis ad Atticum Lib. XVI.*, ad quorum calcem legitur: *Hic Liber est Colucii Pierii de Stignano; post Donatus Acciajolus emit a Donato Aretino Leonardi Filio.* Quae cum ita se habeant, lapsi sunt *Volaterranus*, *Jovius*, *Vossius*, *Baelius*, *Hankius*, aliique, qui tradunt *Leonardum* uni pecuniarum contrahendarum studio deditum caelibem decessisse, castigandusque etiam *Julius Niger*, dum pag. 119. *Script. Florentinorum* scribit, in ea, quam diximus, epistola non de *Leonardi*, sed ejus filii nuptiis agi. Roma a Ladislao capta an. 1413. Florentiam cum Pontifice se contulit, & apud Cl. *Muratorium Lib. II. Antiq. Estensium* pag. 183. diploma exstat *Johannis XXIII.* ad *Nicolaum III. Marchionem Estensem*, cui subscriptum videas *L. de Aretio*, datumque est *apud Sanctum Antonium extra muros Florentinos VIII. Kalendas Novembris Pontificatus nostri* (idest *Johannis XXIII.*) *anno quarto*. Namque propter factiones Pontifex intra urbem invitatus non fuit, sed in suburbano Episcopi resedit. Quamobrem ex hoc diplomate perspicuum est, *Leonardum* exeunte Mense Octobri an. 1413. Florentiae adhuc transegisse; pauloque post principio hyemis Florentia Bononiam abiit, mox in Galliam Cisalpinam cum Pontifice profectus Placentiam primum, inde ad Laudensem urbem, postea Cremonam, ac postremo Mantuam cum eodem concessit, exactaque hyeme tota Ponti-

tifi-

tificem Bononiam repetentem an. 1414. sequutus est, ubi aestatem traduxit. Circiter Kal. Octobris ejusdem anni Bononiam reliquit, ac per Veronensem Tridentinumque agrum transmissis Alpibus Constantiam contendit. Quumque in eam Germaniae civitatem pervenisset, II. Kal. Januarii epistolam scripsit ad *Nicolum*, quae extat *Lib. IV.* num. *III.* ubi & itineris sui historiam, & vetusta monumenta, quae Constantiae repererat elegantissime describit. Sed quum perspiceret multa pericula iis impendere, qui *Johannem XXIII.* sequerentur, Curiam Curialesque res deseruit, Constantiaque aufugiens ad II. Idus Martias an. 1415. Florentiam rediit. Narrant *Julius Niger*, *Albertus Fabricius*, omnes denique, qui Virorum inlustrium vitas litteris mandarunt, tunc a Florentino Populo Cancellarium electum fuisse. Quod falsum esse ostendi potest ex verbis *Jannotii Manetti*, qui tradit, paucis post annis, quam Florentia abierat *Martinus Pontifex V.*, *ad dignissimum publicarum Epistolarum officium universo Florentini Populi consensu delectum* fuisse. Porro constat, *Martinum V.* Florentiam venisse Mense Februario an. 1419., ac decessisse Mense Septembri an. 1420., ita ut ex his pateat, paulo post an. 1420. illud munus adeptum fuisse. Neque vero id probandum est, quod comminiscuntur nonnulli alii, se a Pontificiis epistolis scribendis tunc abdicasse. Docet enim idem *Manettus*, quod *continuatis Sacrosancti Pontificatus successionibus per triginta circiter annos in eorumdem divinorum, ut ajunt, arcanorum Magistratu magna cum nominis sui gloria, nec minori etiam emolumento feliciter perseveravit*. Itaque quum an. 1405. Epistolarum Pontificiarum Magister ab *Innocentio VII.* creatus fuerit, necesse est, ut usque ad annum circiter 1435. Secretarii, ut ajunt, Apostolici dignitatem retinue-

timuerit. Ad II. Idus Martias Florentiam, ut diximus, reversus, *utebatur solacio cum studiorum, quae longo intermissa spatio avidissime repetebat, tum etiam familiarium antiquorum*, ut ipsemet fatetur in *Epistol. XI. Lib. IV. ad P. Mianum*. Inter alia, quae incoepit, *Libros XII. Florentinae historiae* scribere adgressus est, eosque Januario mense an. 1416. jam exegerat, ita ut novem mensium spatio eosdem elucubraverit. Quare ut aliquo beneficio *Leonardi* industriae gratias rependeret Florentinorum Respublica, *civitate & certa census quantitate, quae etiam ad filios manaret donatum fuisse* auctor est *Poggius*, eamque, ut *Manetti* verbis utar, civilitatem an. 1416. *Cosmi* praecipue *Medicei* opera consequutus est. Hinc in illa, quam supra memoravimus, *invectiva in Maledicum Nebulonem* inquit *Leonardus*: *Nam quod Florentinus es civis, in eo sane parem te michi esse constat*. Et in *Cod. Chart. Bibl. Mediceo-Laurentianae Plut. LII. Num. V.* numquam *Leonardus* Arretinus, sed Florentinus nuncupatur: Videlicet: *Leonardi Florentini Isagogicon, Leonardi Florentini Laudatio Johannis Strozae, Oratio Leonardi Florentini pro se ipso*, & nonnulla alia his similia. Per ea tempora *Poggius* Germaniam peragrans, nonnulla classicorum, ut ajunt, auctorum opera in lucem protulit, inter quos integer *Quintilianus* repertus est. Prius enim vix mediam ejus partem, & eam ipsam laceram habebant, omniumque optimus *Fabii* Codex is putabatur, qui a *Gasparino Barzizio Bergomensi Grammatico* suppletus fuerat. Hujus Poggiani thesauri compos factus, in eodem emaculando elaborare coepit. Possidebat enim vetustum quemdam *Fabii* Codicem, ubi permulta continebantur, quae deerant in MS., quem repererat Poggius. Vide *Epist. IX. Lib. IV.* Quum

an.

an. 1419. Florentiam, ut diximus, venisset *Martinus Pontifex V.*, huic quoque operam addixit suam, effecitque, ut omnem indignationem, quam propter cantilenam puerorum nescio quam in Florentinam Remp. conceperat Pontifex, prorsus deponeret. Quamobrem *Leonardi* eloquentiam obstupescens tanti eum fecit, ut an. 1420. Florentia proficiscens magnis praemiis, atque ingentibus pollicitationibus eumdem pellexerit, ut secum Romam contenderet quod numquam impetrare potuit. Interea An. 1426. Florentiam venit *Dominicus Capranica* ab eodem *Martino V.* Orator, qui Florentinum Populum ad pacem cum Duce Mediolanensium ineundam cohortatus est, petiitque, ut Respublica ad Pontificem Oratorem mitteret. Ad id munus obeundum delectus est *Leonardus*, qui, ut scribit *Ammiratus*, die XXXI. Maii Romam profectus est. In *Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut. LII. Cod. Membr. Num. XV.* adservatur: *Clarissimi, atque eloquentissimi viri Leonardi Aretini Oratiuncula ad Summum Pontificem Martinum Quintum incipit. Lege feliciter.* Haec oratio ea est, quam habuit tum cum primum Pontificem adlocutus est, cujus etiam meminit V. Cl. *Philibertus de la Mare*, ac numquam in lucem prodiit. Denique Florentiam reversus, an. 1427. die XXVII. Novembris, quum minime gentium suspicaretur, ut ipsemet ad *Bojardum* scripsit, litterato ex ocio invitus, ac repugnans jussu Civitatis negociis publicis praefectus est: vel ut *Manettus* ait: *a Praesidibus, qui forte eo tempore administrandae Reip. gratia praesidebant, magno cum honore, atque ingenti emolumento ad dignissimum publicarum epistolarum officium universo Florentini populi consensu delectus est.* Alia quoque civitatis munia obivit, quae his verbis recenset *Poggius*: *Functus est etiam summis Magi-*

stra-

stratibus civitatis. Nam bis ex Decemviris summo civium favore factus fuit, Vexillumque societatis tribus gessit, ac ex Prioribus unus creatus est. Ad id quoque, quod praecipuum est in civitate Vexillum pervenisset, nisi mors vivendi finem attulisset. Haec ille: nunc autem *Manettum* eadem recensentem audiamus. *Unde*, inquit, *inter ceteros ejus Magistratus, & publicae civitatis nostrae custodiae praestitisse, & ter in Decemviratu etiam fuisse, & demum in summa dominationis nostrae dignitate praesedisse cognovimus*. Adnotat *Laurentius Bonincontrius* ad anno 1440. *Initio veris anni* 1440. *decem Balìae viri praestantes Florentiae creantur. Neque enim erat expediens mediocribus viris, sed exercitatis tantam rem committere. Itaque Nereus Capponius, qui quinquies ante eum Magistratum gesserat, Cosmusque Medices, & Angelus Acciajolus eques & Leonardus Brunus Arretinus fuere*. His aliisque publicis muneribus summa cum laude perfunctus diem obivit supremum annum 1444., haeredemque reliquit *Donatum* filium, ut patet ex apographo ejus Testamenti, quod adservatur in Cod. 1255. *Bibl. Strozianae*, incipitque: *Clarissimus, & illustris vates, & Orator insignis Dominus Leonardus quondam Francisci Bruni de Aretio civis Florentinus, &c. Leonardi* mortem eo, quo diximus, anno accidisse probat *Tom. IX. Ephem. Venet.* Cl. *Apostolus Zenus* ex *Ammirato*, qui *Francisco Venturio Vexillifero* denatum scribit. Idem ostendit *Jo: Campisii* Epistola ad *Aeneam Sylvium*, quae est inter Sylvianas CLXXII. *Ex hac schedula*, scribit ille, *mortem Leonardi accipies Aretini*. Porro ea scripta est Romae an. 1444.. His adde *Laurentium Bonincontrium* in Annalibus Miniatensibus: *Insequens annus* 1444. *multo turbulentior fuit. Leonardus Brunus in initio veris moritur vir omni laude*

di-

dignissimus, litterarum etiam Graecarum peritia singularis, laureamque suscepit in morte. Dissentire tamen videtur V. Cl. *Mattheus Palmerius*, qui in *Libello de Temporibus* ad an. 1443. haec habet: *Leonardus Brunus historiographus Florentiae moritur II. Idus Martii aetatis suae an. LXXIV.* quae quidem verba retulit etiam *Tom.* I. *Itin. Italici* Vir eximius *Jo: Mabillonius*. Sed si quis recte ponderet, eadem cum superioribus *Palmerium* sensisse deprehendet. Quanta vero celebritate *Leonardus* a Florentina Rep. elatus fuerit, nos edocuit in *Vita Jannotii Manetti Naldus Naldius*, quem audire operae pretium est. *Placuit nonnullis hominibus doctissimis, qui in consilium adhibiti fuere, revocare quamdam consuetudinem desuetumque sepeliendi morem, qui apud priscos longe antea viguisset, ut Leonardum pro summo ejus ingenio, summaque doctrina laureola donarent, orationeque Funebri pro concione habita vita ejus celebraretur, ut & ipsum merita laudatione honestarent, & ceteri ad decus, & gloriam excitarentur. Haec autem provincia hominis exornandi Jannotio demandata est, qui & orationem scripsit cum omni elegantia, & copia, illamque habuit ex loco editiore ad caput pheretri, quo Leonardus jacebat indutus sericam vestem colore ferrugineo, supra pectus ejus apposito Libro, quo ille Historiam Populi Florentini magna sua cum laude prosecutus fuisset. Ubi vero ad locum pervenit orationis, quo significaretur decreto publico Leonardus summo esse afficiendus honore, donandusque pro summis ejus meritis laurea corona, Orator ipse suis manibus eam Leonardi capiti adposuit, frontemque cinxit lauro Apollinea spectante universo Populo Florentino, quum omnes minores praeter summum, qui minus accesserat, ne pro majestate summa funere cujusquam pollueretur, Magistratus adessent. Quin etiam Legati complures* ad-

adfuere, qui a Regibus diversis, ac Principibus multis Christianae Reip. ad Pontificem summum, qui tunc Florentiae morabatur, missi essent. Praeterea docti omnes in quocumque litterarum genere, qui Pontificalem sectabantur Curiam, attente Jannotium orantem audiverunt. Haec de *Leonardi* funere *Naldius*. Negat *Ammiratus* ea caussa laurea donatum fuisse, quod Poëta esset, contenditque nulla umquam poëseos laude floruisse. Optimum tamen fuisse vatem innuere videtur *Jo: Marrasius in Epigr.* ad *Leonardum*, quod MS. exstat *Plut. XXXIV. Bibl. Laurentianae Cod. Membr. Num. LIII. & Cod. Chart. Num. L.* ubi *Leonardum* adloquens inquit:

Te sequor: es vates toto celeberrimus orbe,
Orator summus, Rhetor in arte prior.
Arretine fave: te tamquam numen adoro:
Namque tibi placidam cessit Apollo lyram.

Apostolus Zenus V. Cl. *Tom. IX. Ephem. Venet.* testatur se vidisse alicubi nonnulla *Leonardi* nostri Italica carmina, quae nil, nisi vulgare quiddam redolerent. In *Bibl. Mediceo-Laurentianae Plut. XXXXIII. Cod. Chart. num. XVII.* adservatur: *Domini Leonardi de Aretio de felicitate hominum*. Initium tale est:

Lunga quistion fu già tra vecchi saggi,
Et ancora nel Mondo sen contende,
Per qual Uom meglio intende,
Che sia felicità, en che consista.
Furono alcun, che vinti dagli raggi, ec.

Quam quidem elucubrationem ex *Cod.* 581. *Bibl. Chisianae* edidit *Jo: Crescimbenius Vol. III Poes. Italicae Par. II. Lib. V*, exstatque etiam in *Bibl. Riccardiana Plut. O. Ord. IV. Cod. Chart. num. XII.* Codex quoque membranaceus *Marchionum Guadagniorum* N. 119., in quo varia Epigrammata Italica (vulgo Sonetti) ad *Pium II.*, *Eugenium IV.*, aliosque contineneu-

nentur, mihi exhibuit quoddam italicum epigramma *Leonardi da Rezzo*, quod ita se habet:

Veggio spenta merzè sopra la terra,
E gli intelletti nostri infimi, e bassi,
Di fede, e carità tanto esser cassi,
Che morte fare pace, & fin di guerra, ec.

Hoc vero prodiit inter Poëtas veteres, quos ex *Bibl. Vaticana*, ac *Barberina* edidit V. Cl. *Leo Allatius*, adservaturque etiam in Cod. Chart. *Bibl. Riccardianae Plut. O. Ord. III. Num. XXXII.* In Cod. Chart. *Bibl. Laurentianae Plut. XXXXIII. Num. XVII.* delitescit: *Chanzona morale di Messere Lionardo da Rezzo a laude di Venere:* Incipit:

O Venere formosa, o sagro lume,
O salutar fulgore, o alma stella,
Bella sopr' ogni bella,
Che dal sublime cielo amor diffondi:
Qual lingua, quale stilo, o qual volume,
Qual eloquenzia prisca, over novella,
Può con mortal favella, ec.

Idemque adservatur in *Bibl. Riccardiana Plut. S, Ord. III. Num. XXXXII. Cod. Chart.*, quem evolvere mihi contigit beneficio Cl. Viri *Jo: Lamii* Riccardianae Bibl. Praefecti, qui sedulo de Rep. Litteraria optime mereri pergit. Verum non solum haec, sed etiam alia plura cecinisse auctor est *Manettus*, qui *Leonardum* Florentinorum Poëtarum numero adjunxit, testaturque *eum plura sparsim de variis rebus carmina composuisse, & quidem egregia, quae nondum morte praeventus in volumina redegerat*. Ejus vero cadaver situm est in marmoreo quodam sepulchro, quod adhuc superest in *Templo S. Crucis* addito epitaphio, quod praeter alios *Tom. I. Mus. Ital.* pag. 163. retulit Vir Cl. *Mabillonius*, atque ita se habet:

POST-

POSTQVAM LEONARDVS E VITA MIGRAVIT,
HISTORIA LVGET. ELOQVENTIA MVTA EST.
FERTVRQVE MVSAS TVM GRAECAS TVM LATINAS
LACRIMAS TENERE NON POTVISSE.

Heic addere lubet alterum ab anonymo elucubratum, quod reperi in Cod. Chart. *Bibl. Riccardianae Plut. M. Ord. III. Num. VII*, atque hujusmodi est:

Si merito doctis ornantur tempora lauro:
Impediunt meritas laurea serta comas.
Namque decus nostrae linguae, graiaeque fuisti,
Clarus & orator, clarus & historicus.



LEONARDI BRUNI
SCRIPTA.





Aec sunt, quae de *Leonardi Arretini* Vita edisserenda putavimus, ac prudentes scientesque multa omisimus, quae ex duabus funebribus orationibus paulo infra subjectis erui possunt. Supersunt adhuc opera, quorum magnum numerum elucubravit, & si *Manetto* credas, *in quatuor super octuaginta consistunt*. Pleraque ex his recensuere idem *Manettus*, *Poggius Bracciolinus*, ejusque expilator *Jacob. Filippus Forestus* vulgo *Bergomas*, *P. Baelius*, *Gesnerus*, *Gaddius*, *Oudinus*, *Fabricius*, *Whartonus*, *Niceronus*, *Zenus*, *Niger*, ac praecipue V. Cl. *Philibertus de la Mare Senator* Divionensis, qui amplissimum catalogum an. 1653. publici juris Divione fecit. Sed quum multa nullo ordine recensita, nonnulla vero perperam tradita ab eo sint, novum eorum indicem adornare, nonnullasque vetustas editiones recensere decrevimus. Nunc autem rem ipsam adgrediamur.

I. L*Eonardi Arretini Historiarum Florentini Populi Lib. XII.* Horum meminit *Manettus*, *Poggius*, *Bartholomaeus Scala*, *Leodrisius Cribellus*, *Philippus Bergomas*, &c. Hoc opus elucubratum a *Leonardo* fuit an. 1415, ut supra diximus: editumque per *Sixtum Brunonem* Argent. ann. 1610. fol. Perperam

peram

peram tradit *Struvius Cap. XXVII. Bibl. Hist.* italice a *Leonardo* scriptum fuisse, ac deinde ab eodem *Brunone* latine versum. MSs. exstat in VII. Codd. partim Chart., partim membr. *Plut.* LXV. *Bibl. Laurentianae*. Ad calcem Cod. V. haec leguntur: *Historiarum Florentini Populi Lib. XII. explicit feliciter. Antonius Marii filius Florentinus Civis, atque* Notarius *transcripsit Florentiae ex originali idibus Juniis, quo quidem tempore elegantissimus harum historiarum scriptor feliciter obiit. Nam praeter cuncta ornamentorum genera, quibus celeberrimum ejus funus a Populo Florentino egregie prae ceteris, ac mirabiliter ornabatur, nos ad perennem quandam gloriae suae illustrationem publico ejusdem Populi nomine a Jannoctio Manetto, & funebri oratione elegantissime laudatum, & laurea coronatum fuisse conspeximus, atque ad Crucis Templum detulimus lugubre, ac prorsus admirandum, & omnibus quoque saeculis memorandum spectaculum. Valeas feliciter Lector. Liber Petri de Medicis Cosmi filii.* Hi Libri italice traducti a *Donato Acciajolo* an. 1473. prodiere Venetiis eodem anno id testantibus *Jul Nigro, Fabricio, Nicerono, &c.* Primam tamen versionis editionem ponit Cl. *Maittairius Tom. I. Annal.* ad annum 1476. *XII. Febbrajo*, ut ad calcem ejus editionis legitur, eique adcedit *Poggii* historia italice quoque traducta. Vidi Florentinam editionem an. 1492., quae die V Junii prodiit. Eamdem recudit Venetiis *Sansovinus* ann. 1561., produxitque ad annum 1560. Aliam Venetam ann. 1560. memorant *Oudinus, Fabricius, &c.* Incipit: *Florentinam Urbem Romani condidere a L. Sylla Fesulas deducti, &c.*

II. Τῦ Λεονάρδȣ Ἀρρητίνȣ περὶ πολιτείας Φλωρεντίνων. *Leonardi Arretini de Rep. Florentinorum*. Hujus libelli meminit *Volaterranus Lib. XXI. Anthrop.* quem ut

hominis Latini non admodum inelegantem adpellat. Inde *Jacob. Forestus*, *Vossius*, *Zenus*, *&c.* Nesciebat *Casimirus Oudinus Lib.3. de Script. Eccles.*, an hoc opusculum alicubi exstaret. Sed adservatur in *Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut. LX. Cod. Chart. Num. XVI.* ut etiam animadvertit in Cat. Cod MSs. Bibl. ejusdem *Wilhelmus Langius*. Adservatur quoque in *Regia Parisiensi Cod.* 3049. ut in *Gloss. Med. & Inf. Graecit.* tradit Cl. *Cangius*. In Cod. etiam 1769. *Bibl. Regiae* reperiri testatur *Labbeus* in *Bibl. MSs. Part.IV. Sect. III. pag.*47. Idem delitescit in Codice Bavarico teste Cl. V. *Montfauconio*, & *Fabricio*, & Upsaliae in Bibl publica ex dono illustris Viri *Jo: Gabrielis Sparrenfeldii*. Cardinalis etiam *Bessario* hunc possidebat in sua Bibl., quem postea Venetis tradidisse patet ex catalogo *Bibl. D. Marci*, quem ex Cod. 2145. *Bibl Colbert.* edidit Cl. *Montfauconius*. Is nunc exstat in Cod. Chart. 406. ejusdem *Venetae Bibl.*, ut ex Catalogi nuper editi pag. 198. didicimus. *Philippus* quoque *Tomasinus* pag. 48. *Bibl. Venet.* ejusdem meminerat. Idem Libellus adservatur etiam in Cod. Chart. 493. ejusdem *Bibl. Divi Marci*. Vide Adpendicem Catalogi nuper editi pag. 311. *Jo:* quoque *Sambucus* V. Cl. hujus exemplar possidebat, quod postea in *Bibl. Vindobonensem* transiit, Cod. videlicet Chart. 257. in quarto, ut *Lib. V. Comment.* testatur *P. Lambecius*; additque ante V. Cl. *Sebastiani Tengnagelii* praefecturam sublatum fuisse. *Philibertus de la Mare* hoc opusculum ex Codd. exscripserat, additaque *Jo: Baptistae Lantini* versione edere meditabatur. Vide *Niceronum Tom. XXV. Memor pag.* 292. Opusculi initium tale est: Ἐπειδὴ ἐπιθυμεῖς εἰδέναι τὴν πολιτείαν τῆς ἡμετέρας πόλεως, &c.

III. *Leonardi Arretini de Temporibus suis libri duo*. Horum meminit *Manettus*, & *Jac. Bergomas*, *&c.*

Edi-

Editi fuere primum Venetiis 1475., & 1485. ut testatur *Fabricius*. Praeterea Lugduni apud Gryphium 1539. teste *Oudino*, & *Philiberto de la Mare*, & Argentorati 1610. per *Sixtum Brunonem*, ut *Tom. XXV. Mem.* tradit *Niceronus*; eosdemque recudit ad fidem *Cod. Bergomensis Tom. XIX. Script. Ital.* Cl. *Muratorius*, exstatque haec historia in *Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut. LXV. Cod. membr. N. XVII. & Num. XIIX, XIX, & XX. Codd. Membr.* ejusdem Plutei: Et in *Bibl. Riccardiana Plut. M. Ord. I. Cod. Membr. Num. XVI.* & *Plut. M. Ord. I. Cod. Chart. Num. XXII.* & in *Bibl. Ambrosiana Mediolanensi in quarto*, H. XXXVI. Perperam tradit *Fabricius* hos libros ab *Acciajolo* conversos Venetiis an. 1561. a *Sansovino* editos fuisse. Nam ea versio spectat ad Libros XII. Hist. Florentinae. Incipit: *Qui per Italiam homines excelluerint aetate mea, & quae condicio rerum, &c.*

IV. *Leonardi Arretini de bello Italico adversus Gothos gesto Libri quatuor*. Hujus operis meminit *Manettus*, *Poggius*, *Jac. Bergomas*, *&c.* Editum fuit Fulginii ann. 1470. per *Emilianum Fulginatem*, & *Jo: Numeister* teste Cl. *Maittairio Tom. I Annal. pag.* 70. Inde Venetiis per *Nicolaum Jenson* 1471. testante eodem *Maittairio Tom. I. Annal. pag.* 93. Et cum *Rhenani* praef. Basileae 1531. & Paris. an. 1534. docente *Cas. Oudino*, & *P. Nicerono*, & cum *Zozimo* Basileae 1576. & cum *Agathia*, & *Jornande* Lugd. 1594, ut scribit Cl. *Fabricius*; & Bellovisiis an. 1607. ut tradit *Cas. Oudinus* Lib. 3. de Script. Eccl. pag. 2389, & *Struvius Cap. XI. Bibl. Historicae*. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut. LXV. Codd. membr. Num.* X., *XIII, & XVII.* Eadem adservatur in *Bibl. Riccardiana Plut. M. Ord. I. Cod. Chart. Num. VIII.* & in *Ambrosiana* N. LIII., & Q. XXX. testante Cl.

Vind. 3

Saxio, &c. Praecedit: *praefatio ad Julianum Caesarinum Cardinalem S. Angeli.* Ea vero incipit: *Etsi longe michi jocundius fuisset, &c.* Historiae autem initium hujusmodi est: *Zenone Romano Principe Imperatore, &c.* Tradit *Jovius, Cuspinianus, Freberus, Crescimbenius, Baelius, Placcius, Jacob. Thomasius, Almeloveenius, Menagius, Fabritius,* aliique omnes, *Leonardum* omisso *Procopii* nomine Libros hos pro suis venditasse, nullique ejus aetatis furtum suboluisse, quoad post *Arretini* mortem plagium detexerit *Christophorus Persona.* Aliam fabellam adsuit *Varillasius Tom. IV. Florent. Anecd. pag.* 162. Nempe cum Gothicam *Procopii* historiam invenisset *Leonardus,* nec alium Cod. MSs. exstare putaret, cum nullus Constantinopoli fuisset adlatus, eumdem Latine versum *Procopii* nomen occulens in vulgus edidit, graecumque codicem flammis tradidit. Sed utrumque falsum est: Neque enim *Christophorus Persona,* ut ipse perperam de se jactavit, primus fuit, qui Gothorum Historiam e graeco *Procopii* expressam fuisse senserit. Nam multo ante id praedicaverat *Poggius* in oratione Funebri: *Ex Procopio,* inquit, *Historiam Gothorum quatuor Libris complexus est,* quae *Poggii* verba, ut *Vossium* aliosque refelleret, adtulit *Lib. IX. Ephem. Venet. Cl. Zenus,* & ex eo *Tom. XXV. Memor. P. Niceronus.* Praeterea ipsemet in *Epist. IX. Lib. IX. ad Joh. Tortellium* fatetur, se eam accepisse a *Procopio.* Ejus verba sunt: *De Historia vero quod petis, scias me post discessum tuum IV. Libros de Bello Italico adversus Gothos scripsisse. Scripsi vero illos non ut interpres, sed ut genitor, & auctor. Quemadmodum enim si de praesenti bello scriberem, noticia quidem rerum gestarum ex auditu foret, ordo vero & dispositio, & verba mea essent, ac meo arbitratu excogitata, & posita: eodem item modo*

do

do ipse noticiam tantum rerum gestarum de illo (*Procopio*) *sumens, in ceteris omnibus ab eo recessi, utpote qui hoc unum habeat boni, quod bello interfuit. Cetera illius sunt spernenda*. Paria habet in *Ep. VI. Lib. IX.* ad *Cyriacum*, quam *Tom. VI. Miscell.* ex *Cod. Colbertino* edidit V. Cl. *Stephanus Baluzius*, ubi postquam *Libros IV. de Bello Gothico* a se scriptos fuisse significavit, addit: *Est autem haec non translatio, sed opus a me compositum, quemadmodum Livius a Valerio Antiate, vel Polybio Megapolitano sumpsit, & arbitratu suo disposuit*. Itaque nunquam *Procopii* nomen occuluit *Leonardus*, sed palam edixit, se ab eodem sumpsisse, quemadmodum a *Valerio Antiate*, vel *Polybio* sumpserat *Livius*. Porro hanc historiam Italice ann. 1456 transtulit *Ludovicus Petroni Senensis*. In *Bibl. Laurentiana Plut.* 61. *Cod. Chart. Num.* 1. adservatur: *La Guerra Italiana chontro a Ghoti chomposta per Messer Lionardo d' Arezzo al Reverendissimo P. D. Giuliano Cardinale di S. Agnolo, e dipoi tradotta dal latino in volghare*. Incipit: *Benche a me molto piu giochondo sarebbe stato, &c.* An haec sit Petroniana versio, conferant, quibus ocium est. Perperam *Le Sieur Le Gallois* pag. 169. *Traité des Bibl.* scripsit, hos libros a *Leonardo* gothica lingua promulgatos fuisse. Eamdem historiam gallice quoque editam fuisse Paris. an. 1667. me docuit *Struvius Cap. IX. Bibl. Historicae*.

V. *Leonardi Arretini de Bello Punico Libri tres*.
Horum meminit *Manettus Poggius*, ac *Jac. Bergomas*, *&c.* Editum fuit hoc opus Brixiae ann. 1498. ut *Tom.* 1. *Annal. Typograph.* testatur Cl. *Maittairius* cum hoc titulo: *Polybius historicus de primo bello Punico latine Leonardo Arretino interprete*; & Paris. apud *Ascensium* 1512. cum eodem *Polybii* titulo, & Augustae Vindel. 1537. MSs. exstant hi Libri in

Bibl. Laurentiana Plut. LXV. Codd. Membr. Num. XI. XII. XIV. XV, & XVI. Ad calcem *Cod. XIV.* haec leguntur. *Leonardus Arretinus edidit Florentiae XVIIII. Kal. Januarias MCCCCXXI.* Adservantur etiam in Bibl. *Riccardiana Plut. M. Ord. I. Cod. membr. Num.* XXXI., & aliis Codd. In eadem Bibl. reperitur haec historia Italice versa, sic inscripta: *Commentario della Guerra prima dei Cartaginesi co Romani Plut.* scilicet *Q. Ord. III. Num. XXV.* quam quidem versionem Venetiis editam fuisse tradit *Niger*, ac *Niceronus*. Reperitur etiam latine scripta in *Ambrosiana H. XXXVII. in quarto* testante Cl. *Saxio*. Incipit: *Vereor, ne qui me putent antiqua nimium consectari, &c.* In *Bibl. Laurentiana Plut. LII. Cod. Chart. N. XXVII.* exstat: *Compendium primi belli Punici excerptum ex Libro, quem Leonardus Arretinus composuit.* Incipit: *Primi belli Punici a Romanis contra Carthaginenses gesti, &c.* & *Plut. LXI. Cod. Chart. Numer. XLIV. Leonardo d' Arezzo della prima Guerra Punica.* Initium hujusmodi est: *Parrà forse a molti, che io vada dietro, &c.*

VI. *Leonardi Arretini Commentarium rerum Graecarum ad Equitem Angelum Acciajolum.* Hoc teste *Oudino* edidit *Gryphius* Lugd. 1539. Lipsiae etiam a *Joach. Camerario* 1546. prodiisse tradit *Fabricius*. Idem Argentorati ann. 1610. per *Sixtum Brunonem* prodiit, ac postremo recudit *Tom. VI. pag.* 3392. *Thes. Antiq. Graec.* Cl. *Gronovius*. MSs. exstat in *Laurentiana Plut. LXV. Cod. chart. Num. IX.* & in *Riccardiana Plut. N Ord I. Cod. chart. Num. IX.* & in *Ambrosiana Mediolanensi* N. LIII. Incipit: *Animadverti nonnumquam, o Angele, te admirari solere meam, ut ita dixerim, cunctationem, &c.*

VII. *Leonardi Arretini Isagogicon moralis disciplinae ad Galeotum Ricasolanum.* Hujus meminit *Manettus, &c.*

tus, *&c.* Sic etiam inscribitur: *Leonardi Arretini Dialogus de moribus ad Galeottum Dialogo parvorum Moralium Aristotelis ad Eudemum amicum suum respondens*. Idcirco arbitror factum, quod in prima editione hoc opusculum ita sit inscriptum: *Aristoteles de Moribus ad Eudemum Latine Leonardo Aretino interprete*, *&c.* quod editum fuit Lovanii 1475. *decima Junii*, ut ad calcem legitur. Vide *Maittairium Tom.* I. *Annal. pag.* 113 Prodiit etiam juxta *de la Mare* Paris. 1512. & ibidem 1516. per *Ascensium*, ut testatur *Oudinus*; excusumque etiam cum *Jacob. Fabri* paraphrasi Moralium Aristotelis testante eodem Cl. *Oudino*. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Cod. Membr. Plut. LII. Num. III. & Num. V. Cod.* pariter *Membr.* & in aliis Codd. *Plut. LXXIX.* & in *Bibl. Riccardiana Plut. N. Ord. II. Cod. Membr. Num.* XII. & *Cod.* 285. *Chart. Bibl. Vindobonensis*, ut *Lib.* 2. *Comm. Cap. VIII.* testis est *P. Lambecius*. Incipit: *Si ut vivendi Galeotte, sic etiam bene vivendi cura nobis esset*, *&c.*

VIII. *Leonardi Arretini ad Petrum Histrium dialogorum Libri II.* Horum meminit *Manettus*, *Poggius*, *&c.* Ita etiam hoc opus inscribitur: *Dialogi duo de disputationis*, *exercitationisque studiorum usu*, *& necessitate in litterarum genere quolibet*. Ab hoc gemino titulo deceptus est Cl. *Oudinus* Lib. 3. de Script. Eccles. pag. 2388. & *Julius Niger*, qui illos *Dialogorum* libros ab his diversos putarunt. Editi fuere illi dialogi Basileae ann. 1536. per *Henricum Petri* ut tradit *Tom. XXV. Memor. Niceronus*, & Paris. 1642. ut testatur Cl. *Oudinus*. MSs. exstant in *Bibl. Laurentiana Plut. LII. Cod. Membr. Num. III.* & in *Cod.* 2156. *Bibl. Regiae Paris.* ut *pag.* 47. *Bibl. MSs. Part. IV. Sect. III.* tradit *Labbeus*. Incipiunt: *Vetus est cujusdam sapientis sententia*, *&c.*

IX. *Leonardi Arretini Cicero Novus ad Nicolaum suum*. Hujus meminit *Manettus*, *Poggius*, *&c.* Hunc nuncupavit *Leonardus Nicolio*, & in proëmio ait, se inchoasse traductionem *Plutarchi*, ubi de Ciceronis vita agit. Sed quum multa deesse viderit, *Plutarcho* omisso *Ciceronis* vitam confecit ex his, quae vel apud Latinos, vel apud Graecos de eodem scripta legerat. An haec *Tullii* vita alicubi impressa esset, se nescire fassus est Cl *Oudinus*. Sed editam fuisse testatur *Niger*. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut. LII. Cod. Chart. Num. I.* & *Cod. Membr. Num.* II. & *Cod. Membr. Num.* X., & *Plut.* LXV. *Cod. Chart. Num.* XXVIII. & *Cod. Membr. Num.* XXVII. *&c.* hoc titulo: *Marci Tullii Ciceronis Vita: Leonardus Aretinus composuit: inscribitur Cicero Novus*. Eadem Italice versa adservatur in *Bibl. Riccardiana Plut. Q. Ord. III. Cod. Chart. Num. XV.* Latine etiam in *Bibl. Ambrosiana* N. 165. ut mihi indicavit Cl. *Josephus Saxius*, & in *Cod.* 2030. *Bibl. Paris.* ut *pag.* 47. *Bibl. MSs. Part. IV. Sect. III.* testatur *Labbeus*. Incipit autem: *Leonardi Arretini Prefatio in Ciceronem novum ad Nicolaum Nicolum. Otioso michi nuper*, *&c.* Deinde sequitur vita: *Tulliorum familiam, quae & Ciceronis postea cognomentum recepit*, *&c.* In nonnullis tamen Codd. MSs. *Ciceronis* vitam e graeco *Plutarchi* translatam, nec absolutam reperiri arbitror.

X. *Leonardi Arretini de Aristotelis vita ad Cardinalem S. Crucis*. Hujus meminit *Manettus*, ac *Poggius*, qui: *insuper*, inquit, *Aristotelis vitam scripsit multis ex auctoribus tam graecis, quam latinis contractam*. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut. LII. Cod. Membr Num. III.* & *Num. V.* Eadem reperitur in *Bibl. Ambrosiana I.* 33. Incipit: *Prefatio Cardinali S. Crucis. Quanta nobis Aristoteles Philosophus*,

phus,

phus, &c. sequitur deinde vita: *Aristoteles Philosophus ex oppido fuit*, &c.

XI. *Leonardi Arretini de Militia ad Raynaldum Albicium Equitem Florentinum*. Hujus meminit *Manettus*, ac *Poggius*. Hoc opusculum nunquam prodiisse arbitror. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut. LII. Cod. Membr. Num. III.* & *Num. V.* Adservatur etiam in *Bibl. Ambrosiana*, ut *Tom.* XIX. *Ital. Script.* testatur Cl. *Muratorius*, nempe in 4. F. 45. & H. 37. & H. 91. & N 173. ut mihi significavit Cl. *Saxius*. In Cod. 215. *Bibl. Norfolcianae* exstat: *Leonardi Arretini Liber de Re militari*. Idem est. Reperitur etiam in Cod. 2156. *Bibl. Paris.* ut pag. 47. *Bibl. MSs. Parte* IV. *Sect.* III. testatur *Labbeus*. Initium tale habet. *Fateor Cl. Vir & michi ipsi jam saepe in dubium venisse hanc nostri temporis militiam, quae dignitatis, honorisque loco praestantioribus viris tribui solet, nec incuriose quidem a me pervestigata fuisse illius initia, atque progressus*, &c. Notatur ad calcem Cod. MSs. promulgatum fuisse *Florentiae* XIX. *Kal. Januarii* 1421.

XII. *Leonardi Arretini ad Joh. Franciscum Gonzagam Principem Mantuanorum de origine Urbis Mantuae*. Hujus opusculi nec *Manettus*, nec *Poggius* meminit, idemque inter *Leonardi* opera adhuc inedita recensuit *Philibertus de la Mare*. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut. LII. Cod. Membr. Num. III.* & *Num. V.* Idem quoque adservatur italice conversum in *Bibl. Riccardiana Plut. S. Cod. Chart. Ord. III. Num. XXXXIII.* atque ita inscribitur: *Epistola di Messer Lionardo d'Arezzo al Signor di Mantova dei fatti di Mantova, come fu posta*. Initium in *Codd. Laurentianis* hujusmodi est: *Non sum nescius, generosissime Ductor, cum ab hominibus litterarum studio deditis pro cognitione rerum* quic-

quicquam exquiritur, solere eos tenuitatem ingenii sui & rerum ipsarum difficultatem allegare, &c. In fine Codd. MSs. haec leguntur: *Vale. Ex Florentia VI. Kal. Junias MCCCCXVIII.*, quod supra indicavimus.

XIII. *Leonardi Arretini de studiis, & litteris ad Illustrem Dominam Baptistam de Malatestis.* Hujus meminit *Jannottus Manettus, &c.* Editus fuit hic libellus Argentinae 1521. cum hoc titulo: *De bonis studiis epistola*, ut *Tom. XXV. Memor.* testatur *Niceronus*. Inde an. 1642. *Gabriel Naudaeus* ex Cod. suae Bibl. edidit ita inscriptum: *Leonardus Arretinus de studiis, & litteris ad Isabellam Malatestam.* Prodiit etiam in Libro, cui titulus: *Hugonis Grotii, & aliorum dissertationes de studiis bene instituendis Amstelaed.* 1645. Eumdem quoque recudit V. Clar. *Thomas Crenius* in *Meth. Stud. Tom. I. Num. X.* Roterod. an. 1692. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut. LII. Cod. Membr. Num. III.* & *Num. V.* & in *Riccardiana Plut. M. Ord. III. Cod. Chart. Num. IX.* & *Plut. M. Ord. I. Cod. Membr. Num. XVI. &c.* Incipit: *Compulsus crebro rumore admirabilium virtutum tuarum, scribere ad te constitui, ut, &c.*

XIV. *Leonardi Arretini de interpretatione recta ad Bertum Genuensem.* Hoc opusculum memorat *Jannotius Manettus*, & inter inedita *Leonardi* opera recensuit *Philibertus de la Mare.*

XV. *Leonardi Arretini de Romae origine, & unde dicta sit.* Hoc opusculum nemo, quod sciam, memorat, exstatque MSs in *Bibl. Laurentiana Plut. LII. Cod. Chart. Num. XXVII.* Incipit: *Variae quidem sententiae de Romae civitate, & unde dicta sit ab auctoribus traduntur. Quidam Pelasgos ob incredibilem rei militaris comparatam fortitudinem Romam appellasse ferunt. Alii, &c.* mutilus ad calcem est hic libellus.

XVI.

XVI. *Interrogatio ad peritissimum virum Dominum Franciscum de Fiano per elegantissimum Leonardum Arretinum transmissa, videlicet quo tempore fuerit Ovidius, causam per quam Ovidius fuerit in exilium relegatus, & si revocatus ab exilio fuerit in patriam remissus scire cupientem*. Sic inscribitur in *Cod. Chart.* Sec. XV, quem possidet Cl. *Philippus Stoschius*. Sequitur in eodem Cod. MS. *Francisci* responsio, quae incipit: *Leonarde mi. Cupis a me scire, &c.* Hoc opusculum exstabat etiam teste Cl. *Monfaucon* in *Bibl. Reginae Sveciae*, nunc vero in *Vaticana*.

XVII. *Leonardi Arretini Liber de institutione adolescentium ad Ubertinum Carrariensem*. Hunc libellum cum hoc titulo adservari in *MSs. Cod Bibl. Ambrosianae* me docuit *Tom. XV. Script. Ital. pag.* 112. Cl. *Muratorius*, idemque mihi significavit Celeb. ejusdem Bibl. Praefectus *Antonius Saxius*. Sed hunc non memorat *Manettus*. Praeterea in MSs. Codd., ac inter alios in Cod. Membr. *Bibl. Laurentianae Plut. LXV. Num. XV.* similis Libellus *P. Paulo Vergerio* tribuitur cum hoc titulo: *Petri Pauli Vergerii de Justinopoli ad Ubertinum de Carraria de ingenuis moribus, & liberalibus studiis adolescentiae liber*, quem in lucem prodiisse ostendit in *Annal. Typogr.* Cl. *Michaël Maittairius*. Incipit: *Franciscus Senior avus tuus, cujus extant plurimae res magnificae gestae, &c.* Sed quum Ambrosiani Codicis initium iniquo temporis spatio exclusus a Cl. *Saxio* habere non possim, utrum illud opusculum *P. Pauli Vergerii* sit, temere affirmare non audeo.

XVIII. *Leonardi Arretini Viri doctissimi de Nobilitate Florentinae Urbis Libellus*. Hujus meminit ipsemet in *Epist. VIII Lib. I. ad Nicolum*; ex qua elucet an. 1405. ab eo elucubratum: aemulatum vero fuisse

fuisse orationem *Aristidis* de *Laudibus Athenarum* fatetur ipsemet *Ep. IV. Lib. VIII*, ubi ab Aristarco nescio quo se defendit. Eundem memorant *Manettus*, *Poggius*, *Philippus Bergomas*, *&c.* ac numquam editus est. Exstat in *Bibl. Laurentiana Plut. LII. Cod. Chart. Numer. XI.* & *Plut. LXV. Cod. Membr. Numer. XV.* Idem quoque adservatur in *Bibl. Riccardiana Plut. M. Ord. I. Cod. Membr. Numer. XVI.* & in *Ambrosiana Mediolanensi* in 4. *M.* 44. inscribiturque *Laus Florentinae Urbis*, ut mihi indicavit Cl. ejusdem Bibl. Praefectus *Joseph Antonius Saxius*. Hinc deceptus est *Philibertus de la Mare*, qui *Leonardi* opus de *Nobilitate Florentinae Urbis* diversum putavit ab eo, quod inscribitur *Laus*, vel *Laudatio Florentinae Urbis*, & perperam in suo catalogo inter *Leonardi* opera inedita recensuit primum *De Nobilitate*, ac paulo inferius, *Laudatio Urbis Florentinae*, cum idem sit. Incipit: *Vellem michi a Deo Immortali datum esset, ut vel Florentinae Urbi, de qua dicturus sum, parem eloquentiam praestare possem, vel certe meo erga illam studio, meaeque voluntati. Alterutrum enim, ut opinor, abunde esset ad illius magnificentiam, nitoremque ostendendum, &c.*

XIX. *Leonardi Arretini Oratio in funere Othonis adolescentis praestantissimi*. Hujus tantum meminit *Gaddius*, *Philibertus de la Mare*, & ex eo *Julius Niger*, *&c.* Haec numquam lucem adspexit, & elucubrata a *Leonardo* fuit ann. 1405., tum cum Viterbii morabatur. MSs. exstat in Cod. *Bibl. Gaddianae*, & in *Cod. Bibl. Ambrosianae in* 4. *M.* 40., ut mihi indicavit Cl. *Antonius Saxius*. Eadem adservatur in Cod. veteri Chart. Cl. *Baronis Philippi Stosch*. Incipit: *Plenam lacrymarum, atque moeroris hodiernam diem nobis dedit acerbissima mors Othonis*

nostri

nostri praestantissimi, & impigerrimi Juvenis, qui diuturno, ac pertinaci morbo vexatus, cum iam virtus ejus tutari se se diucius non posset, quasi candela quaedam paulatim assumpta est, pauloque fumi per acum dedito ad extremum interiit. Cujus quidem mors, &c.

XX. Ex *Epist. I. Lib.* 2. ad *Nicolaum* deprehenditur, *Leonardum* ann. 1406. cum Romam rediisset, elucubrasse *Laudationem Colucii Salutati*, qui paulo ante diem obierat: *Leonardi* verba haec sunt: *Quod autem de Colucii laudatione significari tibi postulas procedit sane opus satis, ut michi videtur, luculente.* Sed an perfecerit, me latet. Sane in Bibl. MSs. nuspiam reperi.

XXI. *Leonardi Arretini Laudatio Cl. V. Johannis Strozae Equitis Florentini*. Hujus meminit *Manettus, &c.* Hanc primus ex duobus Codd. uno *Bibl. Regiae*, altero *Colbertinae* eruit *Tom. III. Miscell. Stephanus Baluzius*, cum hoc titulo: *Eloquentissimi Viri Leonardi Arretini Oratio in funere Nannis Strozae Equitis Florentini*. Haec exstat in *Bibl. Laurentiana Plut. LII. Cod. Membr. Num. III.* & *Cod.* pariter *Membr. Num. V.* Adservatur etiam in *Bibl. Riccardiana Plut. M Ord. III Cod. Chart. Num. IX.* cum hoc titulo: *Oratio funebris in civem clarum Jo. de Strozis Equitem Florentinum*; ut & in *Ambrosiana Mediolanensi in fol. H. 48. & in 4. H 91.* ut mihi indicavit Cl *Saxius*. Initium hujus Laudationis in *Codd. Laurentianis* tale est: *Leonardi Arretini prefatio in Laudationem Cl. Viri Johannis Strozae Equitis Florentini*. Incipit: *Lex fuit vetusta Solonis, &c.* deinde: *Incipit Laudatio. Jubemur nunc ad funeris, &c.*

XXII. *Imperatoris Heliogabali Oratio protreptica, sive adhortatoria ad Meretrices*. Hujus meminit

nit ipsemet in *Epist. XVI. Lib. II. ad Nicolaum*: & ab eo elucubrata fuit an. 1407, dum Senis esset. Prodiit autem cum historiae Augustae Scriptoribus minoribus ab *Aldo Manutio* editis Venetiis an. 1519. exstatque ibi a fol. 291. usque ad fol. 295. Eadem adservatur MSs. in *Cod. Chart. Bibl. Caesareae Vindobonensis Num.* 285 ut *Lib. II. Comment. Cap. VIII.* tradit Cl. *Petrus Lambecius*; & in MSs. *Bibl. Gaddianae*. Incipit: *Incredibilis me libido habet Commilitones*, &c. Ad calcem haec leguntur teste eodem *Lambecio*: *Leonardus Arretinus recreandi ingenii causa ridens, ludensque dictavit, unde severiores rogat, ne legant, urbaniores, ne efferant.*

XXIII. *Clarissimi, atque eloquentissimi viri Leonardi Arretini Oratiuncula ad Summum Pontificem Martinum Quintum*. Hujus meminit *Philibertus de la Mare*, atque ex eo *Julius Niger*: elucubrata vero est a *Leonardo* an. 1426, ut supra diximus. Haec adservatur in *Bibl. Laurentiana Plut.* 52. *Cod. Membr. Num. XV*, ac nunquam in publicam lucem prodiit: Incipit: *Consueverunt, Beatissime Pater, qui legationis officio fungentes Sedem Apostolicam, & sanctissimam adeunt, quantum ipsi verbis oreque adniti possunt, exquisitissimis eam laudibus conari extollere: quos tamen cum saepe praesens diligenter accurateque audiverim, atque una ex parte verba illorum, alia vero ex parte amplitudinem maiestatemque Sedis hujus pensitarem, usque adeo deficere verba animadverti, ut laudatores ipsi, eorumque conatus omnes ridiculi viderentur. Neque sane*, &c.

XXIV. *Leonardi Arretini Oratio in Hypocritas*. Hujus meminit ipse *Leonardus Ep.* XIV. *Lib.* IV. Eamdem memorant *Manettus*, & *Poggius*, &c. Edita fuit in *Fasciculo Ortuini Gratii* Coloniae 1535. Deinde in *Fasciculo* eodem recuso Lugd. 1679. & Londini

dini 1691. Postremo recusa ann. 1699. ex Cod. *Antonii Magliabecbii*. Adservatur MSs. in *Bibl. Laurentiana Plut.* LII. *Cod. Membr. Num. III.* & *Cod.* pariter *Membr. Num. V.* & in MSs. *Gaddiano*. Exstat etiam in *Bibl. Ambrosiana in* 4. *F.* XLV, *&c.* ut mihi indicavit Cl. *Saxius*: Incipit: *Ex omni genere hominum, quos variis damnabilibusque viciis ingeniosa, & ad malum prona coinquinavit improbitas, &c.*

XXV. *Oratio Leonardi Florentini pro se ipso ad Praesides*. Hujus meminit *Manettus*, *&c.* Ea scripta fuit contra *Judam* nescio quem *ex vetusta opulentaque familia hominem potentem, atque gratiosum*, qui accusatore *Bernadetto* emptionem domus cujusdam dicebat a *Leonardo* contractam fuisse: quod *Leonardus* sedulo negat. Haec numquam e tenebris eruta fuit: Adservatur MSs. in *Plut.* LII. *Bibl. Laurentianae Cod. Membr. Num. V.* Incipit: *Etsi non fuit necessarium, Praesides, adversarios meos praesertim in tantis Reip. occupationibus vestris has vobis molestias, occupationesque afferre, propterea quod si de suo jure confidebant, legitimis, ordinariisque judiciis id persequi poterant; tamen letor equidem horum calumniam in me falso confictam ad vestrum potissimum judicium esse delatam. Videbitis enim manifeste, &c.*

XXVI. *Leonardi Florentini Oratio in Nebulonem Maledicum*. Hujus meminit *Manettus*, & *Philelphus*, qui nos docet in *Nicolaum Nicolium* scriptam fuisse. *Philelphi* verba sunt haec in *Epist.* XX *Lib. II. ad Cosmum Mediceum*, ubi de *Nicolao* conqueritur: *In Leonardum autem*, inquit, *Aretinum qualem se praestiterit, ipsius Leonardi in eum invectiva testimonio est*. Causas vero irarum inter *Nicolum*, & *Leonardum* habes in *Epist. IV. Lib. V*, quam consule. Porro haec numquam edita fuit: Adservatur MSs. in *Cod.* 286.

Collegii novi Oxoniensis, in *Cod.* 2156. *Bibl. Regiae* ut pag. XXXXVII *Bibl. MSs.* tradit *Labbeus*, & in *Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut. LII. Cod. membr. Num. V.* & ad calcem mutila est. Et quum nonnulla in ea reperiantur haud vulgaria de *Nicolio*, aliquid heic lubet exscerpere. Tradit itaque *Nicolii* avum primum Pistorii, deinde Florentiae cauponem fuisse, ejusque patrem caupona egressum oleo se, ac lanificio perunxisse. Quinque vero fratres habuisse, eosque Florentina civitate fuisse donatos. Quare valeant illi, qui *Nicolum* ex nobilissima prognatum familia sibi somniant. Eidem exprobrat, quod usque adeo maledictis *Chrysoloram*, *Guarinum*, aliosque insectatus sit, quoad consilium coeperint ex hac urbe demigrandi. Itaque perperam a *Fabricio*, aliisque reprehenditur *Vossius*, tamquam *Philelphi* maledictis credulus, quod idem tradiderit *Lib. III. de Hist. Lat. Cap. IV.* Quod autem ad Guarinum spectat, *Guarini ipsius*, ait *Leonardus*, *de his rebus scripta praegrandis quidem, ac luculenta testatur epistola*. Haec missa fuit *ad Blasium Guasconem*, incipitque: *Volui saepe numero animosi mores hominis*, &c. quam cum multis aliis ejusdem *Guarini* in lucem producemus. Ex eadem refellitur idem *Vossius*, qui tradit, *Nicolaum opuscula quaedam reliquisse ad Cosmographiam, Philosophiam, & antiquitatem pertinentia*. Inquit enim *Leonardus*: *Potes tu, qui aliorum inscitiam tam insolenter reprehendis, opus aliquod proferre studiorum tuorum? Non exigo abs te grandia, nec multa. Unum saltem aliquid vel exiguum profer. At nichil habes, quod proferre queas, ne epistolam quidem unam, quod ignorantiae tuae exploratissimum est argumentum*, &c. Hoc tamen de operibus latina lingua scriptis intelligendum est. Nam italice edidit opusculum quoddam, in quo rationes orthographiae ex fide aereorum, atque argenteo-

teorum numismatum, marmorum, ac Codd. MSs. explicavit. Hujus meminit *Guarinus* in Ep. adhuc inedita: *proxime*, inquit, *venit in manum ab eo editum in lucem opusculum, quod ille ad erudiendos compilavit adolescentes. Inscribitur autem orthographia, cum verius orbographia possit appellari. Nam cum erudire pueros per quamdam inanem jactantiam concupiscit, rudem se se magis puerum patefacit. Tot in ea continentur artis praecepta, describuntur vocabula, ut correptas . . . syllabas diphthongis annotare non pudeat. Nec erubescit canus homo, aerei nummi, marmorisque, & Codicum graecorum testimonia afferre, cum nulla de vocabulo sit disceptatio*. Quamobrem & *Alphonso* Neapolis & Siciliae Regi, & *Antonio Sancti Marci Cardinali Eugenii IV. Nepoti, & Cosmo Mediceo* veterum numismatum vindicibus addendus *Nicolus*, quem nec Cl. *Bandurius* in *Bibl. Nummaria*, nec Jo: *Fabricius* in secunda Banduriani operis editione recensuit. Id tamen discere poterunt ex *Poggii* oratione in *funere Nicolii*, quam perperam tamquam ineditam ediderunt *Tom. III. Vet. Mon. Martene*, & *Durand*. In ea inquit Poggius: *Hic signa, & tabulae, hic veterum imagines, hic numismata usque a priori illa aetate, qua aes primum cudi, & moneta obsignari est coepta conspiciebantur*. Sed plura de his alias: Invectiva *Leonardi* ita incipit: *Respondissem tibi jamdudum perditissime scurra, nisi me id facere volentem amici omnes mei una cunctorum sententia vi prope adhibita retinuissent, asserentes id quod verissimum est, eam esse indignitatem tuam, atque adeo notam omnibus vecordiam, atque dementiam, ut dedecorosum michi foret tecum in certamen descendere, nec secus contemnendam hanc rabiosam procacitatem tuam censebant, quam viri puerorum, & sani furentium maledicta, & incla-*

mationes solent contemnere. Fuit igitur tibi bacchi nus, &c.

XXVII. *Leonardi Arretini in Carolum de Malatestis propter derogationem statuae in memoriam Maronis factae invectiva.* Hanc nec *Manettus*, nec *Poggius*, *nec Philippus Bergomas*, nec alii inter *Leonardi* opera recensuere. Primus fuit Cl. *Jo: Georgius Schelbornius*, qui Tom. III. *Amoenit. Litt.* Pag. 22 seq. ex Cod. *bibl. Krafftianae Leonardo* tribuit. Sed *P. Pauli Vergerii* senioris esse supra ostendimus. Incipit: *Non est apud quem querar, Vir Magnifice nisi apud te, qui solus, &c.*

XXVIII. *Orazione di Messer Lionardo di Arezzo Cancelliere Fiorentino detta da lui in presentia della Maestà Sua, e di tutto il popolo in sulla ringhiera quando si diè il bastone al Magnifico Huomo Nicolò da Tolentino allora nostro Capitano di Guerra la mattina di S. Johanni Batista, cioè adì* 25. *di Giugno* 1443. Hanc *Leonardi* orationem *Gaddius* memorat, &c. Exstat MSs. in *Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut.* XXXXII. *Cod. Chart.* N. X. & in Museo *Marchionum Guadagniorum Cod. Chart. Num.* 142. & in *Bibl. Riccardiana Plut. S. Ord.* III *Cod. Chart* N. XXXXII. & *Plut. R. Ord.* III. *Cod. Chart.* N XII & in aliis Codd. MSs. ejusdem Bibl., ut etiam in *Gaddiana*. Incipit: *Di tutti gli esercizj humani Magnifico, e potentissimo Capitano, &c.*

XXIX. *Risposta fatta per Messer Lionardo d' Arezzo per parte della Signoria di Firenze, e nella presenzia de Signori, e di molti altri Cittadini agli Ambasciadori del Re di Raona nell' anno* 1443. Hujus meminit *Gaddius*, ac *Philibertus de la Mare*. Adservatur MSs. in *Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut.* XLII. *Cod. Chart.* N. X. & in *Riccardiana Plut. R. Ord.* III. *Cod. Chart. Num.* XII. & *Plut. O. Ord.* III.

Cod.

Cod. Chart. Num. XVIII. & *Plut. S. Ord.* III. *Cod. Chart.* Num. XXXXIII. Eadem quoque exſtat in *Bibl. Gaddiana*. Incipit: *Magnifico, e preſtantiſſimo Ammiraglio, e voi ſpectabile Cavaliere. Egli è comandamento de miei Magnifici Signori, &c.*

XXX. *Orazione di Meſſere Leonardo d' Arezzo detta avanti il Sig. Gonfaloniere della Giuſtizia di Firenze*. Haec adſervabatur Venetiis in Cod. *Franciſci Lauredani*, ut *pag.* 97. *Bibl. Venet. MSs.* auctor eſt *Philippus Tomaſinus*. Sed unam ex duabus ſuperioribus eſſe ſuſpicor.

XXXI. *Difenſione di Lionardo Arretino a riprenſori del Popolo Fiorentino nell' impreſa di Lucca.* Exſtat in *Bibl. Laurentiana Plut. XLII. Cod. Chart. Num. X*, in *Riccardiana* non ſemel, & alibi. Incipit: *Da Lucca in queſti giorni vennero lettere, la ſopraſcritta delle quali ſi dirizzava a me proprio, &c.*

XXXII *La Vita di Dante, e i coſtumi, e ſtudj di Meſſer Franceſco Petrarca Poeti chiariſſimi compoſta noviſſimamente per Meſſer Lionardo Cancelliere Fiorentino facta nel MCCCCXXXVI*. Petrarchae vitam edidit Patavii 1650. *pag.* 207. *Petrarchae Redivivi Philippus Tomaſinus*, & cum vita Dantis recuſa ex Cod. *MSs. Jo. Cinelli* ann. 1671. Vide *Plut. I. Bibl. Volantis*. MSs. reperitur in *Bibl. Laurentiana Plut.* XXXXII. *Cod. Chart. Num.* XVII, & *Cod. Chart. Num.* X, & in aliis Codd., & in *Bibl. Riccardiana* plus vice ſimplici, & in *Bibl. Marchionum Guadagniorum Cod. Chart. Num.* 142. Incipit proëmium. *Avendo in queſti giorni poſto fine ad un Opera aſſai lunga, &c.* Vita Dantis: *Li maggiori di Dante, &c.* Petrarchae vero: *Franceſco Petrarcha, &c.*

XXXIII. *Storia di Antioco figlio di Seleuco innamorato della Matrigna Stratonica ſcritta da Leonar-*

do Aretino. Hujus fabulae meminit ipsemet *Ep. X. Lib. X.* ad *Bindacium Ricasolanum*. MSs. exstat in *Bibl. Abbatiae Florentinae Monachorum Cassinensium*, & in Cod. MSs. *Marchionis Gabrielis Riccardii Canonici Florentini*.

XXXIV. *Magni Basilii Liber per Leonardum Aretinum de graeco in latinum translatus ad juvenes religiosos, quibus studiis opera danda sit*. Hujus versionis meminit *Manettus*, ac *Poggius*, *&c.* Edita fuit Brixiae 1485. per *Boninum de Boninis de Ragusia* ita inscripta: *Magni Basilii de institutis juvenum*, ut testatur pag. 179. *Annal. Typograph. Michaël Maittairius*. Prodiit deinde Bononiae an. 1497. cum hoc titulo: *S. Basilii de Liberalibus studiis, & ingenuis moribus Leonardo Arretino interprete*. Vide eumdem *Maittairium Tom. I. Annal. pag.* 342. Postquam hanc Bononiensem editionem recensuerat *Niceronus* cum altera Parisiensi, subjungit hoc opusculum, quod a libello mox laudato diversum arbitratur: *Basilius Magnus de legendis antiquorum libris*, aitque editum fuisse Argentorati 1507. Paris. 1508. & Romae 1594. Sed hic *Basilii* libellus a *Leonardo* conversus nihil differt ab eo, de quo supra diximus, eumdemque in omnibus fere Codd. MSs. diverso titulo insignitum videas: In *Bibl. S. Crucis Minorum Conventualium Plut.* XIII. *Cod. Membr. Num.* XII. ita inscribitur: *Magni Basilii Liber per Leonardum Aretinum de graeco in latinum translatus ad juvenes religiosos, quibus studiis opera danda sit*. In *Bibl. Laurentiana Plut. LXV. Cod. Membr. Num. XV. Magni Basilii ad juvenes religiosos, quibus studiis opera danda sit: Plut.* vero *LXXVI. Cod. Membr. Num. XXXXII. Basilii oratio de studiis secularibus traducta per Leonardum Arretinum*. In *Cod. XV. Collegii Lincolniensis: Liber Basilii Magni, quo pacto gen-*

tilium

tilium libros imprimis Christianos legere oporteat translatus per Leonardum Arretinum. Consule *Part. II. Catal. MSs. Angliae*, & *Hiberniae pag. XXXX.* In *Cod.* 137. *Bibl. Norfolcianae; Basilii Magni libellus, qui inscribitur de capessendis artibus a Leonardo Arretino translatus*. In *Cod. Chart.* 285. *Bibl. Vindobonensis: S. Basilii Magni liber ad nepotes ex graeco in latinum translatus*. Vide *P. Lambecium Tom. II. Comment. Cap. VIII.* Hoc itaque unum est opusculum dissimili titulo inscriptum, nec diversa inter se opera, ut sibi finxerunt viri doctissimi, quorum nomini parco: Versioni praecedit: *Leonardi Arretini prefatio ad Colucium Salutatum*, cui hunc libellum nuncupavit: Incipit praefatio: *Ego tibi hunc librum, Coluci, ex media, ut ajunt, graecia elegi, &c.* Versio autem: *Multa sunt, fili, quae hortantur me, &c.*

XXXV. *Xenophontis Philosophi liber, qui dicitur Tyrannus a Leonardo Arretino de graeco in latinum translatus*. Hanc versionem memorat *Manettus*, ac *Poggius*, *&c.* MSs. adservatur in *Bibl. Laurentiana Plut. LXV. Cod. Membr. Num. XV.* & *Plut.* LXXVI. *Cod. Membr. Num.* XXXXII. & in *Bibl. Sanctae Crucis Minorum Conventualium Plut.* XXII. *Part. sinistrae Cod.* IX. Extat etiam in *Ambrosiana Mediolanensi A.* 166. &. *N.* 104. & alibi. Praecedit: *Leonardi Arretini prefatio in Librum Xenophontis ad Nicolaum Nicoli*, cui dicatum est opusculum, incipitque: *Xenophontis Philosophi quemdam librum, &c.* Deinde: *Xenophontis philosophi liber, qui dicitur Tyrannus, incipit*. Initium tale est: *Cum ad Hieronem tyrannum Simonides poëta aliquando venisset, &c.* In *Cod. Membr. Plut.* XXII. *Bibl. S. Crucis*, de quo nuper mentionem fecimus, reperi inter alia *Basilii* sermonem, de quo supra, & hunc *Xenophon-*

tis Tyrannum ex versione *Arretini*, deinde nonnulla e *Luciano* conversa, & in fine hujus Lucianeae conversionis haec leguntur: *Explicit feliciter* 1403. 16. *Maii*. *Scripta sunt haec Florentiae*. Ex his patet has versiones omnium primas ab eo elaboratas, tum cum *Chrysoloras* Florentia abiit. Et sane in Epist. ad *Nicolum* Xenophonteam versionem *primitias suorum studiorum* adpellat: testaturque *Poggius*, *Basilii* Sermonem translatum ab eo fuisse, *cum adhuc graecis auctoribus Florentiae vacaret*, &c.

XXXVI. *Marci Antonii Vita per Leonardum Arretinum e graeco in latinum traducta*. Hujus versionis meminit *Manettus*; editaque fuit Basileae apud *Isingrinium* 1542. cum his omnibus, quae sequentur. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut.* LXV. *Cod. Membr. Num.* XXVII, & *Cod. Chart. Num.* XXVIII. & *Plut.* LII. *Cod: Membr. Num.* X. & alibi saepissime. Praecedit: *Prefatio Leonardi Arretini in Vita M. Antonii ad Colucium Salutatum*. Initium tale est: *Marci Antonii vitam multiplici, ac varia historiarum serie contextam*, &c. sequitur Vita: *Marco Antonio avus fuit Antonius Orator*, &c.

XXXVII. *Vita Pyrrhi Epirotarum Regis per Leonardum Arretinum ex Plutarcho in latinum versa*. Hujus meminit *Manettus*. MSs. exstát in *Bibl. Laurentiana Plut. LXV. Cod. membr. Num. XXVI.* & *Cod. Chart. Num. XXIIX.* & alibi. Initium tale est: *Thesprotis, & Molossis post Diluvium Phetonta primum imperasse tradunt*, &c.

XXXVIII. *Vita Pauli Emilii ex Plutarcho per Leonardum Arretinum in latinum translata*. Hanc memorant *Manettus*, ac *Poggius*, &c. MSs adservatur in *Bibl. Laurentiana Plut. LXV. Cod. Membr. Num. XXVI.* & *Chart. Num. XXVIII.* & alibi. Incipit: *Emiliorum*

fa-

familiam in urbe Roma patriciam sane, ac vetustam fuisse, &c.

XXXIX. *Tiberii, & Caii Gracchorum vita per Leonardum Arretinum ex Plutarcho traducta.* Hanc memorant *Manettus*, ac *Poggius*. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut. LXV. Cod. Membr. Num. XXVI.* & *Cod. Chart. Num. XXIIX.* & alibi. Incipit: *De Agide, & Cleomede, quae dicenda fuerunt, superius enarratis, &c.*

XXXX. *Q. Sertorii vita per Leonardum Arretinum in latinum conversa.* Hanc memorant *Manettus*, ac *Poggius*. MSs. adservatur in *Bibl. Laurentiana Plut.* LXV. *Cod. Chart. Num.* XXIIX. & *Membr. Num.* XXVII. & alibi. Praecedit: *Prefatio Leonardi Arretini ad Antonium Luscum*, cui hanc versionem nuncupat. Incipit: *Credo nonnumquam tibi evenisse Antoni carissime, &c.* sequitur Vita: *Non est fortasse mirandum per infinitum tempus, &c.* In *Bibl. Riccardiana Plut. Q. Ord.* III. *Cod. Chart. Num.* XV. adservatur haec eadem vita in linguam italicam versa, &c.

XXXXI. *Catonis Uticensis vita: Leonardus Arretinus transtulit.* Hanc recensent *Manettus*, ac *Poggius*. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut.* LXV. *Cod. Chart. Num.* XXVIII. & *Membr. Num.* XXVI. & alibi. Incipit: *Catonis genus principium dignitatis, & gloriae, &c.*

XXXXII. *Vita Demosthenis Oratoris: Leonardus Arretinus traduxit.* Hujus meminit *Manettus*. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut.* LXV. *Cod. Chart. Num.* XXVIII. & *Membr. Num.* XXVII. & in aliis Bibl. saepissime. Incipit: *Demosthenis Pater Demosthenes, ut Theopompus historicus tradit, &c.* Hae sunt inlustrium Virorum vitae, quas ex *Plutarcho* traduxisse testantur *Manettus*, ac *Poggius*.

In

In *Plut.* LII. *Bibl. Laurentianae Cod. Chart. Num.* XXVII. ubi plura *Arretini* opera continentur, reperitur: *Thesei vita ex Plutarcho*. Incipit: *Theseus quia non*, *&c.* Et sane *Jo: Britannicus* in *Ep.* ad *Senat. Populumque Brixiensem* auctor est: *Leonardum ex Plutarcho vitas multorum in latinum transtulisse*. Consule *Part. I. Spec. Lett. Brixianae pag.* 82. Imo *Leonardus* ipse in *Ep.* ad *Colucium* vitae *M. Antonii* praefixa: *habemus*, inquit, *in animo hos omnes Plutarchi viros in latinum convertere*, *&c.* Itaque utrum illa *Thesei* vita ab *Arretino* latina civitate donata sit, judicent eruditi.

XXXXIII. *Platonis epistolae per Leonardum Arretinum de graeco in latinum traductae*. Has recensent *Manettus*, ac *Poggius*. MSs. adservantur in *Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut.* LXXVI. *Cod. Membr. Num.* XLIII. & *Num.* XLII. & *Num.* LVII. & alibi. Praecedit: *Leonardi Arretini prefatio in Platonis epistolas de graeco in latinum traductas ad Cosmum Medicem*. Incipit: *Inter clamosos strepitus*, *negociorumque procellas*, *&c.* deinde: *Argumentum*. Incipit: *Ter Syracusas profectus est Plato*, *&c.* Postremo sequuntur epistolae, & hae sunt. I. *Dion Syracusanus Dionysio*, *&* *fratribus*: Incipit: *Ego tam longa vobis opera*, *&c.* II. *Platonis epistola ad Dionysium*: Incipit: *Audivi ex Archidamo te censere*, *&c.* III. *Platonis ad Dionysium*: Incipit: *Petis*, *an rectius ponatur*, *&c.* IV. *Plato Athenienfis Dioni Syracusano*: Incipit: *Puto manifestam per omne tempus fore*, *&c.* V. *Plato Athenienfis Perdiccae*: Incipit: *Eufreo suasi*, *&c.* VI. Idem *Hermiae*, *Erasto*, & *Dorisco*: Incipit: *Michi quidem videtur*, *&c.* VII. Idem *Hipparino*, *ceterisque Principibus Syracusas tenentibus*: Incipit: *Scripsistis michi censere vos*, *&c.* VIII. Idem *Syracusanis*, *&* *sociis*: Incipit: *Qua ma-*

maxime sententia prospere succedent res, &c. IX. Idem *Architae Tarentino*: Incipit: *Venerunt ad nos Archippus, & Philomedes*, &c. X. *Aristodoro*. Incipit: *Audio te imprimis familiarem esse Dionis*, &c. XI. *Amyntae*. Incipit: *Scripsimus tibi jam prius referre multum*, &c. XII. Incipit: *Quae venerunt commentaria mirabile*, &c. Ad calcem *Cod.* LVII. *Laurentiani* legitur: *Antonius Marii filius Florentinus civis absolvit Florentiae* VII. *Kal. Julias* 1427. *Valeas feliciter Cosma mi suavissime*.

XLIV. *Liber Platonis, qui dicitur Phedon de immortalitate animae a Leonardo Arretino traductus*. Hunc memorant *Manettus*, ac *Poggius*. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut.* LII. *Cod. Membr.* *Num.* II. & *Plut.* LXV. *Cod. Membr. Num.* XV. & *Plut.* LXXVI. *Cod.* LVII. & alibi. Praecedit: *Leonardi Arretini prefatio in Phedonem Platonis ad Innocentium* VII. Incipit: *Qui laudant tuam Sanctitatem*, &c. deinde: *Incipit Liber Platonis qui dicitur Phedon de immortalitate animae*. Initium est: *Ipse adfuisti, o Phedon, ea die, qua Socrates venenum bibit in carcere*, &c.

XLV. *Platonis Gorgias a Leonardo Arretino ex graeco in latinum traductus*. Hunc memorant *Manettus*, & *Poggius*. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut.* LII. *Cod. Membr. Num.* II. Incipit: *Belli & pugnae oportere ajunt, o Socrates, ita participem esse*, &c.

XLVI. *Platonis Philosophi Liber, qui dicitur Phedrus: Leonardus Arretinus traduxit ex graeco*. Hujus meminit *Manettus*. MSs. adservatur in *Bibl. Laurentiana Plut.* LXXVI. *Cod. Membr.* N. XLIII. & alibi. Praecedit: *Prefatio ad Antonium Luscum*, cui hunc libellum nuncupat, eaque incipit: *Subgloriari licet, videntissime Lusche, praesertim ad te scriben-*

benti, *&c.* deinde: *Argumentum:* Incipit: *Lysias fuit*, *&c.* Postremo sequitur versio: O *amice Phedre*, *quonam*, *& unde*, *&c.*

XLVII. *Platonis Crito*, *vel de eo quod agendum Leonardo Arretino interprete.* Hujus versionis meminit *Manettus*. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut.* LXXVI. *Cod.* LVII. & *Cod. Membr. Numer.* XLIII. & alibi. Praeit: *Argumentum in Librum Platonis Crito:* Initium est: *Damnato Socrate*, *& in carcerem truso*, *&c.* sequitur deinde versio: *Quid tu hoc temporis venisti*, *o Crito? &c.*

XLVIII. *Leonardi Arretini Apologia Socratis*. Hujus versionis meminit *Manettus*. Vir Cl. *Niceronus Tom.* XXV. *Memor.*, dum tradit hanc apologiam excusam fuisse Bononiae 1502, eamdem *Xenophontis* esse putavit. In *Cod.* quoque XXXIX. *Collegii S. Mariae Magdalenae Oxonii* legitur: *Xenophontis apologia Socratis per Leonardum e graeco*. Vide *Part. II. Codd. MSs. Angliae*, *& Hiberniae pag.* LXXIII. Sed e graeco *Platonis* a *Leonardo* conversam fuisse aperte nos docet idem *Manettus*. MSs. adservatur in *Bibl. Laurentiana Plut.* LXXVI. *Cod. Membr. Num.* LVII, & *Cod. Membr. Num.* XLIII. & alibi. Praeit: *Leonardi Arretini argumentum in Apologiam Socratis*. Initium est: *Socrates Philosophus vir omnium innocentissimus*, *atque justissimus*, *&c.* sequitur deinde versio: *Quid vobis acciderit Judices*, *&c.*

XLIX. *Aristotelis Ethicorum Libri decem secundum traductionem Leonardi Arretini*. Hujus versionis meminit *Manettus*, ac *Poggius*, editamque fuisse per *Henricum Stephanum* Parif. 1504. & ann. 1510. testatur Cl. *Niceronus*. Ascensianam Parisiensem ann. 1516. adjunxit *Cas. Oudinus*, *&c.* MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut.* LXXIX. *Cod. Membr. Num.*

XIV.

XIV. & in aliis Plutei ejusdem Codd. Adservatur etiam in *Cod. Chart. Abbatiae Florentinae Cassinensium*, & in *Bibl. S. Crucis Minorum Conventualium Plut.* XII. sinistrae Part. *Cod. Membr.* N. X. & in aliis Bibl. saepissime reperitur. Incipit: *Omnis ars omnisque doctrina, similiter autem actus & electio, &c.* Praecedit: *Praemissio quaedam ad evidentiam novae translationis.* Incipit: *Aristotelis Ethicorum libros facere latinos nuper institui, &c.* Hanc versionem *Martino V.* nuncupavit *Leonardus*. Incipit Epist. Nuncupatoria. *Non novum esse constat Beatissime Pater, &c.*

L. *Aristotelis Politicorum Libri VIII. per Leonardum Arretinum in latinum traducti.* Hanc versionem memorat *Manettus*, ac *Poggius*, *&c.* eamdemque editam fuisse Venetiis 1504, & ann. 1505, & 1511, & 1517. testatur *Niceronus*. Ego vidi editionem Basileensem an. 1538. MSs. adservatur in *Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut. LXXIX Cod. Membr. Num. XXVI*, & in aliis ejusdem Plutei Codicibus. Eadem reperitur in MSs. *Abbatiae Cassinensis*, *Marchionum Riccardiorum*, *Minorum Conventualium*, *Marchionum Guadagniorum*, in *Cod. Membr. Bibl. Caesareae Vindobonensis Num.* 222, ut *Lib. II. Comment. Bibl. Caesareae Cap. VIII* tradit Clar. *P. Lambecius*, *&c.* Duplicem praefationem exhibent Codices. Una est ad Lectorem, qua se jam libros *Ethicorum* transtulisse scribit. Altera vero est Epistola nuncupatoria ad *Eugenium IV*, cui hanc versionem ann. 1437 consecravit, ac per *Flavium Blondum* eidem Pontifici a secretis obtulit. Vide *Ep. XIV. Lib. X.* quam nunc primum producemus, & *Ep. I. Lib. VIII.* Quanta humanitate munus acceperit Pontifex, constabit ex ex Epist. ejusdem *Blondi* ad *Leonardum* scripta *ex Bononia VIII. Idus Martias*, quam nos cum nonnullis

nullis aliis publicae luci donabimus. Incipit Aristotelica versio: *Inter moralis disciplinae praecepta, quibus humana vita instituitur, &c.*

LI. *Oeconomicorum Aristotelis libri duo a Leonardo Arretino in latinum conversi.* Hujus versionis meminit *Manettus*, ac *Poggius*, *&c.* Prodiit cum libris Politicorum, de quibus nuper diximus, librumque primum excusum etiam vidi Basileae 1538. MSs. adservatur in *Bibl. Laurentiana Plut.* LXXIX. *Cod. Membr.* N. XXI. & N. XVII. & N. XVIII. & N. XIX. & *Num.* XXIII, *&c.* & in omnibus fere MSs. Bibl. occurrit. Praecedit: *Leonardi Arretini prefatio in libros Oeconomicorum Aristotelis ad Cosmam Medicem.* Incipit: *Pretiosa sunt interdum parvi corporis, &c.* Traductionis initium tale est: *Res familiaris, & res publica inter se differunt, &c.* sequitur deinde: *Leonardi Arretini Commentarium super primum Oeconomicorum Aristotelis.* Haec libri primi explicatio ita incipit: *Res familiaris, & res publica inter se differunt diximus supra in proemio, &c.* Hanc explanationem excipit: *Commentarium Leonardi Arretini super secundum Oeconomicorum.* Principium ita se habet: *Probam mulierem omnibus: In rei familiaris disciplina consideratio habetur, &c.* Porro de his duobus explanationum in Oeconomica Aristotelis libris mentionem facit idem *Manettus*, ac *Poggius*.

LII. *Oratio Aeschinis in Ctesiphontem a Leonardo Arretino in latinum traducta.* Hanc excudit *Cratander* Basileae ann. 1528, ut testantur *Oudinus*, *Niger*, *Niceronus*, *&c.* qui addit editionem ann. 1540. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut.* LIII. *Cod. Membr. Num.* XVII, & *Plut.* LIV. *Cod. Membr. Num.* XVIII, & alibi, &c. Incipit: *Quanti conatus parentur, viri Athenienses, ad hoc judicium oppugnandum, quantisque precibus, &c.*

LIII.

LIII. *Oratio Demosthenis contra Aeschinem a Leonardo Arretino in latinum e graeco traducta*. Hanc quoque eodem an. 1528. Basileae edidit *Cratander*, prodiitque etiam an. 1540. MSs. adservatur in *Bibl. Laurentiana Plut.* LIII *Cod. Membr.* N. XVII, & *Plut.* LIV. *Cod.* pariter *Membr.* N. XVIII, & alibi passim. In *Cod.* quoque *Chart.* 285. *Bibl. Caesareae Vindobonensis* exstare nos docuit *Lib.* II. *Comment. Cap. VIII.* Cl. P. *Lambecius*, traditque adjunctam esse praefationem ad *Dn. B. Episcopum Cremonensem*, idest *Bartholomaeum Capram*, cui hanc versionem nuncupavit *Arretinus*. Praecedit: *Argumentum in orationem Demosthenis contra Aeschinem Leonardi Arretini*. Incipit: *Adversus Philippum Macedoniae Regem*, *&c.* Versionis vero initium ita se habet: *Primum quidem, viri Athenienses, Deos, atque Deas omnes precor, &c.* Ad calcem *Cod.* XVII. *Plut.* LIII. *Bibl. Laurentianae* haec leguntur: *Leonardus Arretinus hanc Demosthenis orationem ex graeco in latinum convertit, quam VII. Kal. Maii Romae absolvit feliciter*. Intellige VII. Kal. Maii ann. 1407. Vide *Ep. X. Lib. II.* ad *Nicolaum*.

LIV. In *Bibl. Laurentiana Plut.* LIII. *Cod. Membr.* *Num.* XVII. exstat alia *Demosthenis* oratio a *Leonardo Arretino* traducta, quae titulo caret: Incipit: *Nequaquam eadem mihi videor intelligere, viri Athenienses, &c.* Est traductio Olynthiacae tertiae.

LV. In *Plut.* eodem *Bibl. Laurentianae Cod. Membr.* *Num.* pariter XVII. hanc quoque Demosthenis orationem a *Leonardo* conversam sine titulo vidi: Initium hujusmodi est: *Par quidem fuerat, Viri Athenienses, eos omnes, qui apud vos sententiam dicunt, nec inimicitia, nec gratia commoveri, sed quod optimum quisque factu putaret, id dicendo ostendere, praesertim cum vos de publicis rebus maximis*

atque

atque gravissimis consulatis, *&c.* Est, ni fallor, Δημοσθένους ὁ περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ λόγος, atque hanc orationem transtulit *per vacationem Romanae Sedis*, ut scribit ipsemet *Nicolo Ep. V. Lib. II.*, nempe mense Novembri ann. 1406. Porro quatuor alias Demosthenis orationes transtulisse innuit *Manettus*, qui *ejus Orationum Libros septem* vertisse tradit. Sed de Demosthenicis versionibus ita *Leonardus Ep. IV. Lib. IX. Sed ne suspicetur Alphonsus, illud sciat, nos non modo illas, sed alias insuper satis multas Demosthenis orationes, quas Cicero numquam attigit, e graeco traduxisse, ut satis grande volumen earum a nobis traductarum existat.*

LVI. *Leonardi Arretini traductio actus primi primae Comoediae Aristophanis*. Haec adservabatur Venetiis in *Bibl. Josephi de Aromatariis*, ut pag. 94. *Bibl. Venet. MSs.* testatur *Philippus Tomasinus*. Aristophanis quoque comoediam a *Leonardo* conversam recenset *Manettus*. Enumerat *Philibertus de la Mare* inter *Leonardi* nostri opera: *Comoedia Polixenae Leonardi Arretini Poetae Comici*. Idem esse puto.

LVII. *Theana ad Nicostratam*: Haec epistola e graeco a *Leonardo* translata exstat in *Bibl. Ambrosiana* in 4. *H. XXI*, ut mihi indicavit Celebr. *Josephus Antonius Saxius*, qui a me rogatus, humanissime, ut solet, ejus initium mihi significavit, quod ita se habet: *Audio virum tuum pellicis amore insanire, teque ob eam rem affici*, *&c.* Est secunda ex epistolis, quae sub *Theanus* nomine circumferuntur, quam *pag.* 742. *Op. Mythol.* edidit Cl. *Thomas Gale*, aliique. Vide *Fabricium Lib. II. Bibl. Graecae Cap. X. pag.* 420, qui hanc versionem ignoravit. Haec graece exstat, si recte memini, in *Bibl. Laurentiana Plut. LV. Cod. Membr. Num. II*, ubi plures Libanii epistolae, ex quibus XLII. ineditas excerpsit ann. 1698.

1698. *Fridericus Rostgaard*, quas nuper edidit *Wolphius*.

LVIII. *De crudeli amoris exitu Guisguardi, & Sigismundae Tancredi Salernitanorum Principis filiae*. Haec versio edita fuit *Turon. in 4. in Domo Archiepiscopi ann.* 1467. *pridie Kal. Januarias* ita inscripta, ut *Tom. I. Annal. pag. LII.* testatur Cl. *Maittairius*. *Libellus de duobus amantibus in Latinum ex Boccacio transfiguratus per Leonardum Arretini:* ac conjungitur cum alio libello, cui titulus: *Francisci Florii de amore Camilli, & Aemiliae*. Vide eumdem *Maittairium pag. LXII.* Reperitur etiam *pag.* 955. *Op. Pii II.* inter epistolas *Num.* 410, unde deceptus Cl. *Menagius* perperam *Tom. II. Antibail.* hanc versionem *Aeneae Sylvio* tribuit; ut observavit *Tom.* XXV. *Memor. P. Niceronus*. MSs. exstat in *Bibl. Ambrosiana in* 4. O. LVII, & alibi passim. Inter Codd. MSs. Cl. V. *Stephani Baluzii*, ut ex *Tom. III. Bibl. Baluz. pag.* 108. didici, adservabatur: *Liber de Amoribus Guiscardi, & Sigismundae filiae Tancredi Principis Salernitani traductus de graeco in latinum a Leonardo Arretino*. Sed scriptoris errorem esse puto. Apud Cl. *P. Lambecium Lib. II. Cap. VIII.* ex *Cod. Chart.* 285. memoratur: *Jo: Boccacii Libellus de insigni obedientia, & fide uxoria ex italico in latinum translatus a Leonardo Arretino, cujus etiam praefatio ad Boccacium praefixa est*. Eamdem *Leonardi* versionem esse putabat Cl. *Fabricius*. Sed perperam: Nam pro *Leonardo Arretino* legendum *Francisco Petrarcha*, quod patet ex *Cod.*91. ejusdem *Bibl. Caesareae*, ubi reperitur inter alia: *De fide uxoria, & insigni, atque admirabili obedientia auctore Francisco Petrarcha*. Porro *Boccacii* quoque fabulam transtulerat idem *Franciscus Petrarcha*. An res ita se habeat, videant ii, qui Codicis inspiciendi copiam

piam habent. Epistola ad *Ricasolanum* ita incipit: *Cum saepius mecum egisses, ut fabulam illam Boccacii, &c.* Versio autem: *Tancredus fuit Princeps Salernitanus vir mitis quidem, &c.*

LIX. *Leonardi Arretini Epistolarum Libri VIII.* Hos octo Epistolarum libros recensuit etiam *Manettus*. Prima editio lucem adspexit ann. 1472. fol. ab *Antonio Moreto*, & *Hieronymo Alexandrino* procurata. De hac ne verbum quidem Cl. *Maittairius Tom. I. Annal. Typograph.* Edit. primae, alteram siquidem nondum vidi. Hujusmodi epistolarum editionem penes se habere mihi per litteras significavit V. Cl. *Apostolus Zenus*. Nuncupata fuit *Jacobo Zeno Episcopo Patavino* viro doctissimo, & jurisconsultissimo, cui Plautum quoque suum consecravit *Georgius Merula*. Vide *Specimen Litteraturae Brix. Part. I. pag. IV. seq., &c.* Epistolam *Antonii*, & *Hieronymi* ad Celeb. illum Antistitem supra pag. VI integram adtulimus. Eadem editio cum eadem nuncupatoria epistola, eademque forma recusa fuit ann. 1495, ut supra diximus; & in fine legitur: *Leonardi Arretini Epistolarum Familiarium liber octavus, & ultimus finit. Die* XV. *Mensis Junii* MCCCCLXXXXV. In utraque deest locus, ubi impressa fuit. Nos tamen *Brixienses editiones* adpellavimus. Tertia editio prodiit Augustae 1521 apud Knoblochium, quarta vero Basileae 1535 apud Henricum Petri. Denique Cl. *Albertus Fabricius* ann. 1724 Basileensem editionem recudit. Sed hae & numero epistolarum, & typographicis mendis longe deteriores sunt. Hi octo Epistolarum Libri MSs. exstant *Plut.* LII. *Bibl. Laurentianae Cod. Membr. Num.* VI, & *Codd. Chart. Num. VII.*, & *Num. XXIII.*, & alibi passim. Nonnulli tamen Codd. MSs. reperiuntur, in quibus non octo, sed novem Epistolarum Libri continentur, &

hanc

hanc *Leonardi* ipsius collectionem esse arbitror. Illis, quos *pag. IX. Epist. ad Lectorem* indicavimus, adde *Cod. Oxoniensem*, de quo *Baelius*, *Niger*, *&c.* Exstat videlicet in *Bibl. Bodleiana Cod.* 1352. olim *Gulielmi Laudi Archiepiscopi Cantuariensis*. Vide *Part. I. Catal. MSS. Angliae & Hiberniae pag. LXX.* Simili MSs. Codice *Negelinum* usum fuisse suspicor, &c. Praeter has epistolas in unum collectas, plurimae quoque huc, illuc sparsae inveniuntur, & quidem titulo ita diverso, ut Lectorem possint decipere. In *Bibl. Ambrosiana in* 4. *R. XXI.* adservatur: *Leonardi Epistola de Regia Potestate*. Rogatus a me Cl. *Saxius* tale esse initium significavit: *Melius erat, o Cyriace, non tantum sapere, quantum sapis, &c.* Ex quo intelligitur esse Epist. IX Libri VI. In *Bibl Riccardiana Plut. S. Ord. III. Cod. Chart. Num. XXXXIII.* exstat: *Epistola di Messer Lionardo de fatti, e antichità di Rimini, e de dittonghi, e della magnificenza del Signor Carlo Malatesta Signore della detta Terra*. Est epistola IX. Libri III. italice traducta. Praeter familiares *Leonardi* epistolas plurimae etiam in MSs. Codd. occurrunt, quas Reip. Florentinae nomine ad Principes, diversosque Italiae Populos scripsit. In *Bibl. Laurentiana Plut. XXXXIII. Cod. Chart. Num. XVII.* reperitur: *Lettera mandata pe' Fiorentini a Vinizìani per Messer Lionardo d'Arezzo*. Incipit: *Illustris, atque excelse Domine, Amice Karissime. Quoniam per effectum operis manifeste deprehendimus, &c.* Haec missa fuit pridie Idus Apriles ann. 1438., adservaturque etiam in *Bibl. Riccardiana Plut. O. Ord. II. Cod. Chart. Num. XXVI*: & in *Cod. Chart. Num.* 142. *Marchionum Guadagniorum*. In Eodem Codice eorumdem Marchionum delitescit: *Lettera di Messer Leonardo, scritta in nome del Comune di Firenze a Signori Anziani, e Comune di Lucca*. Initium tale

est: *Se si cercano le cose antiche*, ec. In *Plut. XXXXIII. Bibl. Laurentianae Cod. XXIV.* legitur inter alia: *La presente lettera mandarono i nostri Magnifici Signori al Popolo della Ciptâ di Volterra, tornati che furono alla divotione del Comune composta per Messer Lionardo d' Arezzo nostro Kancelliere*. Incipit: *Nobiles Viri, Amici Charissimi. Le cose humane secondo che ne mostra la experientia, pare che, ec.* In *Bibl. Gaddiana*, & *Riccardiana Plut. O. Ord. II. Cod. Chart. Num. XXVI.*, & *Plut. S. Ord. III. Cod. Chart. Num. XXXXIII.* invenitur: *Lettera al Conte Francesco Sforza*, quae ann. 1438. nomine Decemvirûm a *Leonardo* scripta fuit. Sed de his satis, quum has omnes cum multis aliis ejusdem generis in lucem producturus sim.

LX. *Formule di soprascritte per lettere*. Hae exstant in *Bibl. Riccardiana Plut. P. Ord. I. Cod. Chart. Num. XXX.* & *Plut. S. Ord. III. Cod. Chart. Num. XXXXVI.* Harum etiam meminit Cl. *Philibertus De la Mare*. In *Bibl. Laurentiana Plut. XXXXIII. Cod. Chart. Num. XVII.* in quo nonnulla *Leonardi* carmina adservantur, reperitur: *Copia Suprascripturarum Litterae Dominii Florentini*. Incipit: *Papae: Sanctissime, ac Beatissime in Christo Pater, & Domine Ven. & unice Vicariae Jesu Christi*. Utrum sint hae formulae *Leonardi* nostri, me latet. In *Bibl.* quoque *Riccardiana Plut. M. Cod. Chart. Ord. III. Num. VII.* ubi carmina nescio quae *Leonardi Arretini* leguntur, reperi: *Soprascritte: ad un Vescovo: Reverendo in Christo Patri Domino, Domino Episcopo Fesulano, &c.* Quae quidem an *Leonardo* tribuendae sint, mihi non liquet. &c.

LXI. *Canzone Morale di Messer Lionardo, nella quale tracta della felicitd referendo le oppinioni de Philosophi*. Hanc edidit *Vol. III. Poes. Ital. Jo: Crescim-*

scimbenius. MSs. exstat in *Bibl. Laurentiana Plut.* XXXXIII. *Cod. Chart. Num. XVII.* & *Plut.* XXXXI. *Cod. Chart. Num.* XXXXI. Eadem adservatur in *Bibl. Riccardiana Plut.* O. *Ord. IV. Cod. Chart. Num.* XII. & *Plut. M. Ord. III. Cod. Chart. Num.* VII. Incipit: *Lunga quistion fu gia tra vecchi saggi, &c.* De hac supra.

LXII. *Chanzona Morale di Messer Lionardo da Rezzo a laude di Venere*. Hanc reperi in *Plut.* XXXXIII. *Bibl. Laurentianae Cod. Chart. Num.* XVII. & *Plut.* XXXXI. *Cod. Chart. Num.* XXXXI., & in *Bibl. Riccardiana Plut.* S. *Ord. III. Cod. Chart.* N. XXXXII. Incipit: *O Venere formosa, o sacro lume, ec.* De hac quoque supra diximus.

LXIII. *Sonetto di Leonardo da Rezzo*: Hoc italicum epigramma ex Codd. MSs. *Bibl. Vaticanae*, ac *Barberinae* edidit V. Cl. *Leo Allatius*. MSs. legi in *Cod. Membr. Marchionum Guadagniorum Numer.* 119., & in *Bibl. Riccardiana Plut.* O. *Ord. III. Cod. Chart. Num.* XXXII.: Incipit: *Veggio spenta merzè sopra la terra, ec.* Plura quoque sparsim de variis rebus latina carmina, & ea quidem egregia composuisse ex *Jannotio Manetto* supra docuimus.

Recensui jam *Leonardi Arretini* scripta, quae quidem in Codd. MSs. his oculis egomet vidi, titulumque omnium ex iisdem excerpsi, quem tibi exhibui. Neque tamen id mihi negotii datum credidi, ut omnes Bibliothecarum Florentinarum MSs. enumerarem, in quibus eadem *Leonardi* opera leguntur. Innumeros quoque Codices Gallicos, Anglicos, Germanicos, Italicos praetermisi, qui ea ipsa continent, quum operam meam in prolixa, ac prorsus inutili Codd. MSs. recensione insumere supervacaneum esse duxerim. Reliquum est, ut nonnulla indicem, quae in exteris delitescunt Bibliothecis, quumque eadem inspicere non potuerim,

an a *Leonardi Arretini* ingenio profecta sint, affirmare non audeo. Itaque Oxonii *Cod. XXXIX. Collegii S. Mariae Magdalenae* extat: *Dialogus inter Ciceronem & Philistium*. Vide *Part. II. Codd. MSs. Angliae, & Hiberniae pag. XXXII.* In *Cod. XV Collegii Lincolniensis* adservatur: *Leonardus Arretinus ad Eugenium in duas Basilii Homilias*. In *Bibl* vero *Regia Taurinensi*: *Ptolemaei Almagestum Leonardo Arretino interprete*, ut testatur Cl. *Montfauconius*, qui etiam nos docet exstare in *Regia Paris. Odysseam Homeri per Leonardum Arretinum versam*, quam olim possidebat *Aegidius Cardinalis Viterbiensis*. Eamdem quoque versionem *Leonardi* foetum esse putabat *Labbeus* in *Bibl. MSs*. In *Cod.* XVII *Collegii Etonensis* in Anglia: *Bellum Sacrum Arretini*, quod *Leonardo* nostro in *Catal. Codd. Angliae* tribuitur: sed hoc opusculum est *Benedicti Accolti*. Dum *Leonardi* opera recenset *Jacobus Gaddius*, tradit in sua Bibl. exstitisse: *In Orationes Demosthenis, & historiarum latinarum Cornelii Nepotis, &c. Vitam Attici, &c. Tractatum de sphaera*, & *vitam Ciceronis volgarizzata per lo illustre M. Lionardo da Rezzo nobilissimo Poeta*. Sed de hac versione supra mentionem fecimus. Item: *Pro honore Secretariorum contra Advocatos*. Quod nihil aliud esse puto, quam *Epist. V. Lib. V. ad Martinum V.* In *Regia Paris.* teste Cl. *Montfauconio* delitescit: *Leonardus Arretinus de Bello Trojano*; & *Vita Caesaris, & Pompeii per Leonardum Arretinum*. Adfirmat *Labbeus pag.* 208. *Bibl. MSs. Supplem. IV.* exstare in *Bibl. Carmelitarum Excalceatorum Claromontensium in Arvernia*: *Epistolae Phalaridis a Leonardo Arretino traductae*. At istius pseudophalaridis epistolas in graecum transtulit non *Leonardus*, *sed Franciscus Arretinus*, ut prae se ferunt omnes MSs. Codices, & sub *Francisci Arretini*

tini

tini nomine bis prodiere ann. 1471. ut *Tom. I. Annal Typograph. pag.* 91. observavit Cl. *Maittairius*, editionemque etiam ann. 1475. memorat *Tom III. Amoenit. pag.* 130 *Georgius Schelhornius*. In opusculo *Jo: Alberti Fabricii*, quod ille ann. 1689. edidit ita inscriptum *Decas Decadum*, *sive Centuria Plagiariorum*, recusumque cum aliis *Fabricii* ejusdem opusculis Hamburgi 1738, *Num. VIII. pag.* XIII, ubi de his epistolis sermo habetur, haec leguntur: *Has Latine emisit Leonardus Arretinus Florentiae* 1480. Quamobrem a *P. Baelio* reprehensus, quod *Leonardus* ann. 1444. diem suum objerit, *Tom. I. Bibl. Graecae pag.* 406. errorem corrigens: *Aliam*, inquit, *pridem versionem adornaverat Franciscus Arretinus Florentiae* 1480. Omisit tamen editiones, quas nos nuper ex Cl. *Schelbornio*, ac *Maittairio* indicavimus. In Bibl. *Marquadi Gudii* V. Celeb. adservabatur: *Codex Chartaceus Terentii manu Leonardi Arretini scriptus cum ejusdem notis*. Consule *Catal. Bibl. Gudianae pag.* 538. In fine Cod. MSs. haec inveniebantur: *Finit feliciter Leonardus Arretinus in Monasterio Florentino A. D.* 1478. vitio procul dubio oscitantis librarii, nam multo ante e vita excesserat *Leonardus*. Nonnulla quoque his similia recenset *Philibertus de la Mare*: Videlicet: *Officiorum Romanorum nomina: Leonardi Arretini de Institutione ad Herennium: Proêmium in Orationes Homeri: Della Liberalità al Popolo Aretino*, &c. Memini me legere in quodam Catal. Bibl. MSs. *Notae Leonardi Arretini in Orationem Ciceronis pro Quinctio*: itidemque: *Oratio M. Tullii Ciceronis pro Marcello vulgarizzata per Dominum Leonardum Arretinum*, &c. Circumfertur etiam sub *Leonardi Arretini* nomine libellus ita inscriptus: *L' Aquila composta per il Magnifico, & eccellentissimo huomo Messer Leonardo Aretino*,

tino, e da quello curiosamente translatata de Latino in volgare sermone. Hujus nonnullas editiones recenset Cl. *Niceronus*. Sed haec omittamus, & *Jannotium Manettum* splendide, apte, atque ornate dicentem audiamus.



JAN-

JANNOTII MANETTI

ORATIO FUNEBRIS

In solemni Leonardi Historici, Oratoris, ac Poëtae Laureatione incipit feliciter.





Si immortales Musae, divinaeque Camoenae, praestantissimi Cives, vosque alii clarissimi Viri hujus tam lugubris, atque tam luctuosi spectaculi Veneratores, in hac publica funebrium laudum celebritate vel graece, vel latine per se loqui, aut flere potuissent; nequaquam nostro labore opus fuisse videretur. Ipsae enim hoc luctuosissimum Leonardi nostri praeclarissimi, ac singularissimi alumni sui funus non solum verbis, sed lacrymis etiam copiosissime simul, atque elegantissime celebrassent. Verum quoniam ex praecipua quadam, & pene incredibili earum dignitate, majestateque in publicum prodire, ac flere non consueverunt; ut haec dicendi, flendive munus in hujusmodi funebribus alumnorum suorum laudationibus ab hominibus susciperetur, voluisse perhibentur,. quandoquidem jampridem in hunc modum usitatum fuisse accepimus, ut dignae defunctorum virorum laudes a vivis mortalibus agerentur. Cum igitur Magnifici hujus inclitae Civitatis Praesides talem Musarum naturam, ac tam diuturnam in publicum non prodeundi, flendive consuetudinem jamdudum a conditione Orbis ex litterarum monumentis repetita memoria fuisse intelligerent; priscum Graecorum, ac Romanorum majorum nostrorum morem imitari in ornandis clarissimis viris, vatibusque laureandis, quam immortalem Leonardi nostri gloriam perpetuo Reip. silentio obscurare maluerunt. Quamobrem etsi magnam quandam in hac eorum

rum Civitate eloquentissimorum virorum copiam, ac multitudinem florere cognoscerent, quibus vel ingenio, vel doctrina, vel dicendi facultate par esse non poteram; quia tamen me unum ex Collegarum suorum numero in hac tempestate recensendum esse contigerat, longe dignius, atque huic publicae celebritati accomodatius fore existimarunt, si per me licet parum eloquentem, nunc vero principali pene civitatis nostrae magistratu forte fungentem, quam si per alium privatum simul, atque elegantissimum hominem tantum, & tam magnum hujus adeo lugubris, adeoque acerbae solemnitatis, ac novae laureationis munus celebraretur. Mihi itaque venerandis memoratorum Praesidum praeceptis, ut par est, parere, atque obtemperare cupienti latissimi in hac cum funebri laudatione, tum celebri praesentis Vatis coronatione ad pervagandum campi ostenderentur, si locus, & tempus, & ista mea momentanea, atque ut dicitur, ex tempore tanti muneris susceptio singula quaeque hujus clarissimi, & eloquentissimi Viri gesta paulo latius, atque uberius exornari paterentur. Sed & tempori, & loco, & mentibus vestris, ac mihi denique pene sine ulla praemeditatione dicenti in praesentiarum consulendum esse ratus, quoad potero, digniora ejus gesta brevissime simul, ac verissime absolvam. Vos autem, Praestantissimi Viri, in hanc omnem nostram defuncti Historici, Oratoris, ac Poëtae funebrem laudationem, quo facilius intelligere, atque memoriae mandare possitis, quaeso diligenter attendite, ut ipsum ex integra quadam suarum bonarum artium cognitione, atque eleganti multiplicium librorum conscriptione hujusmodi poëtica laurea coronari meruisse recte cognoscere, atque intelligere valeatis. Sed ut haec nostra funebris oratio serie, atque ordine incedere videatur, ab origine repetentes primo de domesticis ejus moribus, qualis deinde in nostra Rep. fuerit, postremo de studiis bonarum artium, ac doctrinis pauca quaedam breviter recensebimus; nam si singula ipsius gesta memoratu digna vel paulo latius recensere vellem, dies profecto me tanta, ac talia recensentem deficeret.

Leonardus noster Arretii antiquissima, ac nobilissima urbe, & jampridem quorumdam mirabilium ingeniorum productrice, ut a prima ejus origine ordiamur, trecentesimo sexagesimo nono supra millesimum Christianae

Sa-

Salutis anno honestis quidem, sed non admodum generosis parentibus cum egregiis quibusdam naturae muneribus feliciter nascitur. Non multo post nativitatis suae tempora factum, ut Arretini longe magis, quam prius intestinis seditionibus agitarentur; nam Tarlati, & Ubertini Gibellinarum partium auctores, & principes aliquot armatorum millia ex oppidis, clientelisque suis in urbem contraxerant, veriti, ne ipsi per adventum novi Praefecti, quem Carolus Rex Ungariae urbe jam antea potitus noviter Arretium mittebat, ac secum cives nuper ejectos reducebat, e solo patrio exigerentur. Quo praesidio adversarios suos munitos alterius factionis homines cernentes, ac, ne superiores haberentur, formidantes, e vestigio in arcem confugerunt. Ubi cum de opportunis remediis ageretur, Albericum Comitem, qui magnas equitum copias in finibus Perusini, & Cortonensis agri forte per ea tempora habebat, in auxilium vocare, adversariorumque bona, ut facilius cum suis ad opitulandum properaret, praedam sibi polliceri constituerunt. Ea conditione, atque his foederibus Albericus evocatus cum omnibus copiis in auxilium venit, receptusque per arcem simul cum his civibus, qui eo refugerant, in adversarios erupit. Ceterum adversarii, ubi supervenisse auxilia equitum intellexere, confestim relicta urbe in proxima se se castella suarum partium receperunt. Equites vero victores ad praedam conversi nequaquam initis foederibus acquieverunt: nam & totam urbem diripuerunt, & cuncta tam amicorum, quam inimicorum bona promiscue in praedam converterunt. Verum cum ibidem hibernassent, & proxima aestate exinde abiissent, cives, qui ab illo ingenti naufragio reliquis superfuisse videbantur, in vacua, ac semiusta tecta redierunt. Tanto, ac tam incredibili patriae amore incendebantur. Inter haec Ludovicus Andegavensis Francorum quondam Regis filius, quem Regina Johanna liberis carens adoptaverat, cum quadraginta circiter millibus equitum in Italiam venit, ut regnum, quod per adoptionem suum factum fuisse existimabat, vi, & armis in ejus ditionem redigeret. Nam Carolum commemoratum Ungariae Regem ab Urbano VI. Summo Pontifice evocatum cum magnis Ungarorum copiis jam in regnum pervenisse, atque suis viribus id ipsum occupasse constabat. Sed cum postea longius, quam ab initio puta-

putaverat, bellum traheretur, aliam equitum manum millia circiter quindecim Duce Enghiramo quodam Gallo viro, domi praepotente, ac bello claro ex Gallia in Italiam evocavit. Hic vero tanti, ac tam novi exercitus Ductor cum primum Alpes transiisset, atque in Italiam accessisset, Apennino monte transmisso per Lucensem, Florentinum, Senensemque agrum in Etruriam descendit. Sed cum per ea loca iter caperet, Arretini exules supervenere, quos supra urbem reliquisse diximus, ac Arretium ob superiorem illius Populi calamitatem facile capi posse nuntiantes, atque omnem opem suam ad ejus expugnationem largius pollicentes, quid plura? Galli equites spe praedae, & exulum pollicitationibus impulsi Arretium aggrediuntur, eamque urbem cum per refractam ab exulibus portam noctu ingrederentur, post multas civium caedes, qui nocturnis clamoribus exciti opitulandi gratia certatim concurrebant, ac varias quoque multiplicium proeliorum fluctuationes, paulo ante lucem totam praeter arcem capiunt. Mox victores ad praedam conversi omnia diripiunt, cives insuper exulibus infensos captivos ducunt. Haec autem omnia ne quis forte a nostro proposito aliena esse arbitraretur, nunc propterea in medium afferuntur, ut in hac Arretii direptione non solum Leonardi nostri patrem una cum Johanne Episcopo Arretino, atque cum aliis quibusdam egregiis viris exulum inimicis captum, atque in castellum Petrae-Malae ductum, & longo ibi carcere maceratum, sed ipsum quoque, licet puer esset, ab alia exulum manu pro captivo habitum, & in Castellum Quaratae, quod ab exulibus tenebatur, adductum fuisse intelligatis. Ubi cum puer esset, non cum aliis captivis, sed honestiore quodam carceris cubiculo asservabatur. In eo loco forte Petrarchae poëtae, qui & ipse Arretii Florentinis parentibus natus erat, imago pariete egregie depicta cernebatur, quam cum quotidie tantulus puer etiam, atque etiam intueretur, vehementissimo quodam, mirabile dictu, studiorum suorum ardore incendebatur, nam suapte natura disciplinarum amore flagrabat. Postea vero quam Arretinae turbationes tandem ex Gallorum recessu quievere, quia suscepta a Florentinis pecunia eis Arretium concesserant, incredibili studiorum cupiditate incensus Florentiam venit, ubi cum Dialecticis, ac Rhetoribus non segnem, ut ipse quodam librorum suorum loco palam, & aperte testatur, operam impendis-

diffet, demum tenuitate patrimonii cogente ad cognoſcendum jus civile animum applicuit. Verum cum huiuſmodi juris ſtudiis aſſiduam quandam operam navaret, ſive fortuna, ſive potius divina providentia factum eſt, ut vir quidam Chryſoloras Byzantius domi nobilis obſeſſam a Turcis patriam ſuam cernens e media prope Graecia ſe in Italiam primo, deinde in Etruriam conferret, atque fauſtis ominibus Florentiam applicaret, ubi cum graecas litteras, graecaſque diſciplinas publice edoceret, dici non poteſt, quam brevi tempore fama ſuae atticae, ut ajunt, eloquentiae, atticaeque doctrinae in univerſam civitatem mirabiliter percrebuerit. Quid multa? Tanta ejus fama per ea tempora ferebatur, ut rotundiſſimas, atque delicatiſſimas Leonardi noſtri aures licet jam apicibus juris implicatas, & ſuis ineptis commentationibus praepeditas ita primum concuteret, ut ad audiendum peregrinum hominem, ac veterem quandam, & integram illorum antiquiſſimorum Graecorum doctrinam redolentem compelleret. At vero ubi aliquandiu ipſum publice legentem audivit, tanto, ac tam magno ſuaviſſimae linguae ſuae amore capiebatur, ut juris civilis ſtudia praetermittere, atque in ejus diſciplinam ſe totum, tradere concupiſceret. Quod quidem jam antea feciſſet, niſi quodam deſerendorum ſtudiorum ſuorum pudore commotus transfugii crimen extimuiſſet. Quocirca cum ſecum ipſe utram viam caperet, diutius cogitaret, tamdem maturo conſilio praetermiſſis juris civilis ſtudiis, in novum illud, & admirabile graecarum litterarum gymnaſium, quae per ſeptingentos circiter annos jamdudum ex Italia abierant, incredibili diſcendi ardore totum ſe contulit. Quod ipſum cum ex cognitione Homeri, Platonis, Demoſthenis, Ariſtotelis, ceterorumque Poëtarum, Philoſophorum, & Oratorum, de quibus tanta, ac tam mirabilia fama undique intonante circumferebantur, & a quibus omnia noſtrarum doctrinarum genera tamquam a propriis fontibus ad nos profluxiſſe videbantur, tum ex his etiam, quae ab eo ex graeco in latinum mirabiliter profecto, ac divinitus converſa cernebamus, rectiſſime ſimul, atque ſapientiſſime feciſſe conſtat, ut omiſſis ambiguis juris civilis aenigmatibus nobiliſſimae linguae recuperationi operam daret. Per hunc igitur modum in novam iſtam peregrinarum litterarum diſciplinam traditus tanto diſcendi ardore agebatur, ut quae per diem vigilans perce-

piſ-

pisset, ea noctu dormiens agitaret. Cum itaque in hujusmodi graecarum litterarum studiis tres circiter annos contrivisset, ac satis probabili, atque optima disciplina institutus fuisset, Chrysoloras ipse ex Florentia abiens Mediolanum ad Imperatorem suum, qui e Graecia in Italiam profectus ibidem commorabatur, se contulisse dicitur. Leonardus tamen vir profecto magni animi, altique consilii ex hujusmodi praeceptoris sui abitione non modo non deserenda earum litterarum studia, sed potius totis animi, & corporis, ut dicitur, viribus prosequenda ratus traducendis operibus graecis operam navare cœpit. Quod cum saepe numero exercendi ingenii gratia experiretur, res ab initio ita sibi prospere succedebat, ut primae ejus traductiones legentibus omnibus adeo elegantes viderentur, ut mirabilem ex iis famam consequeretur. Unde ab Innocentio Septimo Summo Pontifice vel in primis eruditissimorum virorum per ea tempora observatore, magno cum honore, & ingentibus titulis ad sacrarum Epistolarum Magistratum evocatus est. Cui quidem cum singulari quadam multarum rerum cognitione, tum etiam praecipua dicendi elegantia ita placuit, itaque gratus fuit, ut toto vitae suae tempore ab ejus latere numquam discederet. Post mortem vero memorati Innocentii sub Gregorio deinde Duodecimo, tum sub Alexandro Quincto, sub Johanne deinceps Vigesimo Tertio, sub Martino denique Quinto continuatis sacrosancti Pontificatus successionibus per triginta circiter annos in eodem divinorum, ut ajunt, arcanorum Magistratu magna cum nominis sui gloria, nec minori etiam emolumento feliciter perseveravit. Nam quamquam plures singularissimos, doctissimosque viros secum collegas haberet, solus tamen omnium dominari, ac regnare videbatur, quod ut facilius cognoscere, atque intelligere possitis, de singulis Pontificibus, Alexandro dumtaxat excepto, quoniam paulo post coronationem suam vita defungitur, singula quaedam gravitatis, ac fidei plena breviter enarrabimus. Nam & Gregorium, cum ex ingenti illo Romanae Ecclesiae schismate aliis ei ipsi, aliis vero Benedicto faventibus in Pisano Concilio ambo Pontifices de collusione incusarentur, ac postea damnarentur, deserentibus ceteris Curialibus nunquam deserere voluit, sed & Senas, & Ariminum eo usque secutus est, quoad ex gravi quodam Civitatis nostrae praecepto re-

revocaretur. Johannes vero post Alexandri mortem ad Sigismundum nuper ad imperium delectum, & in finibus Italiae per ea tempora commorantem duos ex Romanae Ecclesiae Cardinalibus, ut Generale Concilium advocaretur, mittere constituens, cum Leonardo solo, usque adeo ejus virtutibus confidebat, tota suae mentis arcana communicare non dubitavit. Futuri enim Concilii locum alicubi esse nolebat, ubi Imperator plus se ipso potuisset. Unde huic soli tantarum rerum participi mandata amplissima, potestatemque maximam mittendis Legatis ad honestatis speciem se daturum esse praedixit, ut palam ostentare, atque in medium proferre possent, & tamen amplum illud mandatum clanculum ad certa loca restringere decreverat. Itaque consilio de locis illis secum communicato, arbitris praeter ipsum solum remotis, Legatos alloquitur, multisque verbis ad munus legationis diligentissime obeundum adeo benivole cohortatur, ut firmum excipiendorum locorum propositum diu antea excogitatum (mirabile dictu) momento temporis immutaret, ac cuncta arbitrio, potestatique suae, chirographo, ubi ea loca scripta erant, coram ipsis lacerato liberalissime committeret. Legati postea ad Sigismundum cum ampla mandati auctoritate profecti Constantiam urbem transalpinam, Imperatorique subjectam pro loco Concilii delegerunt, quae quidem causa fuit, ut Pontifex ubi paulo post eo applicuisset, mox seditionibus ortis Imperatoriis jussibus caperetur, & carcere asservaretur, captivus deinde per plura, ac varia oppida detentus, tandem sua sponte, seu invitus Pontificatu se abdicavit. Quid de Martino dicemus? Qui cum non satis benivolo erga nos animo ex urbe nostra recedere videretur carminibus quibusdam, quae de illo vulgo jactabantur, supra quam dici potest infensus, paucis diebus antequam ex hinc recederet, dulci quadam, & devota ejus oratiuncula mirabiliter placatus est. Nam cum forte in cubiculo suo assisteret, & Pontifex hinc inde deambulandi gratia proficisceretur, postquam aliquot spatia tacitus confecisset, ad ipsum porrecto vultu, brachioque molliter elato indignabundus his vocibus convertitur: *Martinus*, inquiens, *Papa quadrantem non valet*. Quo hic audito statim verba illa recognoscens (puerilis enim cantilena de eo circumferebatur) *quid hoc est*, ait, *Beatissime Pater? Num ad aures quoque tuas hujusmodi puerorum*

rum

rum nugae pervenerunt? At ille nihil ad haec: ſed eodem veſtigio conſiſtens: *Martinus Papa quadrantem non valet* eiſdem verbis ſtomachans repetivit. Tunc vir ſapientiſſimus deprehenſa illius animi infenſione (nam verba de ſe vulgo cantata aſſidue refricabat) incredibili tanti Principis indignationi, ſi qua poſſet, pro honore, & emolumento civitatis mederi ſtatuit. Unde brevi quadam, & humili beneficiorum a nobis ſuſceptorum commemoratione opportuno tempore uſus, per ea, quae poſtea ſubſecuta ſunt, Pontificem ſatis placaſſe creditur, cum puerilibus naeniis aures non admovere oportere Pontificalem gravitatem elegantiſſime ſimul, atque graviſſime oſtendiſſet. Nam ubi ipſum perorantem audivit, & plurimum laetatus eſt, & ejus orationem etiam, atque etiam laudavit. Quanti vero verba ſua fecerit, paulo poſt manifeſtiſſime demonſtravit. Cum enim abire ſtatuiſſet, advocatis Civitatis noſtrae Praeſidibus beneficia Florentini Populi in eum collata benigne admodum recognovit, & eodem ordine, quo ab hoc tunc vere, ut dicitur, vivo dicta fuerant, cuncta recenſuit. Quoniam vero ſingularis hujus ſapientiſſimi Viri ſapientia praecipua quadam, & admirabili eloquentia condita commemorato Pontifici ſemper antea mirum in modum placuerat, maxime autem ea indignationis ſuae tempeſtate gratiſſima fuerat, magnis proemiis, atque ingentibus pollicitationibus aſſidue hominem, etiam dum recederet, invitare non deſinebat, ut Sanctitatem ſuam ceterorum Curialium more Romam ſequeretur. Sed cum ipſe jampridem Florentiam, quam plurimum diligebat, utpote primum doctrinae, ac dignitatis ſuae receptaculum, propriam ſibi patriam delegiſſet, eam deſerere noluit. Et cum ex uxore quoque primaria noſtrae Civitatis muliere unicum filium ſuſcepiſſet, & pluribus inſuper quorumdam maximorum beneficiorum & civilitatis, & immunitatis muneribus ob admirabiles virtutes ſuas a Florentino populo honeſtatus fuiſſet, ac laboribus denique, & vigiliis, & ſua illa incredibili eloquentia amplas divitias comparaſſet, Florentiae cum uxore, & liberis, & cum concivibus amicis, ac demum cum libris ſuis quiete commorari, atque in gratiam redire, quam Romam proficiſci maluit, quibus omnibus ob varias quaſdam externorum locorum peragrationes jamdudum bellum indixiſſe videbatur. Ubi paucis poſt annis commoratum, a Praeſidi-

ssibus, qui forte eo tempore administrandae Reip. gratia praesidebant, magno cum honore, atque ingenti emolumento ad dignissimum publicarum epistolarum officium universo Florentini Populi consensu delectum fuisse constat. Nam praeter maxima pecuniarum praemia, quae exinde memoratis laboribus, ac vigiliis non immerito reportabat, eum primum ac solum e scribis publicorum munerum ex praecipuo quodam admirabilium virtutum suarum privilegio participem extitisse non ignoramus. Unde inter ceteros ejus Magistratus, & publicae Civitatis nostrae custodiae praestitisse, & ter in Decemviratu etiam fuisse, & demum in summa dominationis nostrae dignitate praesedisse cognovimus. Quibus quidem in Magistratibus quantum primum litteris, cum ad diversos Italiae populos, tum ad varios Principes, Reges, Imperatores, Pontifices Florentini Populi nomine elegantissime scriptis profecerit, difficile dictu est. Quantum deinde utilitatis Legationibus ad Reges, & Pontifices nostris nominibus susceptis illa sua admirabili, ac prope divina eloquentia pepererit, postremo quantum suis integris, sapientibusque consiliis, si quando vel de pace, vel de bello, vel de hujusmodi magnis atque arduis rebus ageretur, nobis profuerit, non satis dici potest. Hoc tamen unum in eo mirabile, atque omnibus seculis celebrandum praetermittere non possum. Ut cum omnium non solum nostri temporis, sed cunctorum prope antiquorum eloquentissimus haberetur, non minus prudentia, ac consilio, quam sua incredibili eloquentia hanc nostram Civitatem, quam ut supra diximus, patriam sibi suam delegerat, ab acerrimis, & oppugnantibus hostibus, & fortissime defendit, & sapientissime conservavit. Quotiens enim Decemvir ad curam belli gerendi creabatur, totiens modo nescio quo Resp. quasi divinitus ageretur, ex magnis, & eminentibus periculis eripiebatur. Nam cum Franciscus Sfortia universi exercitus ductor jam admodum adversus Venetos indignaretur, quod sibi Padum transire nolenti ab eis stipendia non solverentur, ac propterea cum Philippo Maria Mediolanensi reconciliari conaretur; Florentini quo se verterent nescientes, Oratores suos illico Venetias miserunt, ubi aliquot menses frustra commorati, postquam re infecta Florentiam redierunt, Florentini eam reconciliationem interim utrinque tractatam, ac tandem conclusam necessitate cogente secuti

 sunt.

sunt. Unde Piccininus, qui ex Gallia Cisalpina cum aliquot equitum, peditumque millibus jam ad Forum Pompilii per Flaminiam venerat, hujusmodi reconciliatione audita non cunctandum esse ratus, statim incredibili celeritate cum omnibus copiis in Galliam revertitur, Venetosque aggressus multa eorum oppida faciliter expugnat. Quocirca Veneti, ubi de opportunis eorum remediis crebrius, ac diutius ageretur, tandem societatem nostram, quam paulo ante sprevisse videbantur, maturo consilio repetere decreverunt. Hac igitur ipse dissolutae confoederationis tempestate primo in Decemviratu una cum quibusdam aliis nostrae Civitatis peregregiis civibus creatus est. In quo quidem Magistratu, cum res Venetorum pluribus oppidis amissis jam satis periclitaretur, rursus communi utrarumque partium consensu societas non multo ante scissa resumitur. Itaque per hunc modum inita denuo societate Franciscus exercitus ductor cum magnis equitum, peditumque copiis Florentinorum opera ad opitulandum Venetis celeriter transmissus, eorum res labantes, ac jam prope deletas mirabiliter restituit. Nam inter cetera gloriosa ejus gesta Veronam urbem jam ab hostibus captam hac sua profectione cum magna eorum strage recuperavit, & hostes insuper ipsos a Venetorum cervicibus propulsavit. Proxima deinde aestate iterum in eodem Magistratu bonis ominibus refectus ita se gessit, ut Philippi Ducis copiae nobis ob initam cum Venetis societatem, supra quam dici potest, infensae longe a finibus nostris arcerentur, atque totum in Galliam bellum gereretur. Tertio deinceps anno Piccininus Gallia in medio Gallici belli furore relicta cum magnis suorum copiis, & cum quibusdam exulibus nostris in Etruriam venit, ubi cum Apennino transmisso in agrum Mugellanum descendisset, & cuncta nullis repugnantibus passim popularetur, tantum omnibus terrorem incussit, ut plerique cives vix intra urbis moenia se se prae magna formidine continere auderent. Attonita igitur per hunc modum civitate, atque in maximo discrimine ob repentinas hostium incursiones constituta, rursus vir sapientissimus Florentini Populi decreto Decemvir cum aliis praestantissimis civibus creatus est. Neque enim tunc maxima, ac pene cervicibus nostris impendentia pericula mediocres homines deposcebant. Ubi vero magnanimi viri, & alti quidem

dem consilii ad curam belli gerendi creati sunt, plerisque copiis in Gallia ad reliquias Gallicae expeditionis persequendas dimissis, & exinde pauca, & multa aliunde equitum auxilia procurabant. Unde missis hinc inde ad conducendum milites pecuniis post duos circiter menses partim ex Gallia, partim ex agro Piceno, partim etiam ex Flaminia Florentinis plura equitum auxilia opportuno tempore supervenerunt. Piccininus, qui prope in expugnandis pluribus oppidis nostris tantumdem pene temporis contriverat, circa saltuosa Casentini loca passim populabundus vagabatur. Ex quo quidem factum est, ut uno, & eodem Junii mense copiis ad sufficientiam in Gallia relictis, & accitis ad reprimendos hostiles impetus in Etruriam undique equitibus, mirabile dictu, & hostes in Gallia proelio victi superarentur, & Piccininus etiam amissis pene omnibus suis ita prope Anglare oppidum profligaretur, ut vix cum paucis evadendi gratia burgum ingrederetur: quo si nostri parta, ut debebant, victoria illico accessissent, ipse cum reliquis omnibus haud dubie capiebatur. Nam & ex hostium equitibus pauci admodum evaserant, & omnia quoque, quae in hostilibus castris fuerant, ad nostros devenerant, & burgenses etiam supra mille ducentos homines in proelio capti apud victores tenebantur, & omnia denique adversariorum Ducum vexilla suscepta erant. Hac itaque Florentini victoria habita Bibienam, & Romenam, ac cetera oppida prius amissa faciliter recuperarunt, & Puppium insuper cum omnibus Castellis, quae prius Comitum fuerant, in eorum ditionem redegerunt, ac totum praeterea Casentinum potestati, imperioque suo in hoc fausto, ac felici Decemviratu ita prospere subjecerunt, ut ex turbulentissima tempestate, qua creati fuerant, magnam, & gloriosam victoriam reportarent. Cum igitur de domesticis ejus moribus, & qualis etiam in nostra Rep. fuerit, pauca quaedam è multis memoratu dignis, ut ab initio promisimus, breviter pertractarimus: reliquum est, ut de bonarum artium studiis deinceps absolvamus. In quo quidem si forte Venerationibus vestris paulo longiores videremur, quam brevitas temporis, & hujusmodi celeberrimi funeris solemnitas pateretur, date quaesumus nobis hanc veniam, ut de omni doctrinarum suarum genere oratorio more parumper prosequamur, ne vos ex nimia orationis brevitate certa quadam admira-

mirabilium virtutum cognitione fraudaremini, & ipse quoque propriis, ac funebribus laudibus privaretur. Quanta fuerit in hoc glorioso doctorum hominum, atque Romanae eloquentiae splendore, ut a grammaticis ordiamur, poëtarum pertractatio, quanta historiarum cognitio, quam integra, & quam incorrupta verborum interpretatio, quanta litterarum latinarum, & graecarum eruditio, facilius mentibus nostris excogitare, quam verbis explicare possumus. Quantum ille deinde cum excogitandis, tum disponendis, & exornandis rebus in hac ipsa dicendi facultate excelluerit, ex multis, ac variis scriptorum suorum voluminibus evidentissime demonstravit. Quantum denique in morali philosophia valuerit, ex pluribus Platonis, & Aristotelis, ceterorumque Philosophorum, pace cunctorum dixerim, principum traductionibus ita manifestum est, ut luce clarius apparere videatur. Omnia namque commemoratarum artium studia animo suo non solum nostra, atque domestica, sed graeca etiam ac peregrina tenebat. Admirabilis in eo erat memoria poëtarum Pindari, Aristophanis, Euripidis, Hesiodi, Homeri, ceterorumque Graecorum, ut nostros omittamus, quos omnes ita familiarissimos habebat, quasi ipse propria eorum poëmata confecisset. Admirabilior etiam historiarum recordatio: Thucididis (ne forte de Latinis dumtaxat Historicis a nobis dicta fuisse intelligeretis, quos non secus memoriter carpebat, quam si ipse illarum rerum gestarum scriptor extitisset) Thucididis inquam, & Herodoti, ac Diodori, & Polibii, aliorumque multorum admirabilissima: insuper veterum Oratorum exacta quaedam peritia, & certissima eorum, atque expressissima imitatio. Missum facio Ciceronem nostrum, cujus usque adeo verax imitator fuisse credebatur, ut ipsum imitatione sua quotiescumque voluisset, pene ad unguem expressisse putaretur. Aeschinem quoque, Isocratem, Lysiamque, & Demosthenem graecorum Oratorum principes generose admodum imitabatur. Ingens denique praedictorum Philosophorum in eo ipso intelligentia vigebat, atque haec omnia nova quadam graecae linguae recuperatione, quae per septingentos circiter annos longe, ut supra diximus, ab Italia exulaverat, non sine magna cunctorum Latinorum gloria assequebatur. Et ne forte nos prae nimio dolore lacrymis obortis vix vera, nedum falsa referre valentes fictas ad votum laudes nunc

cele-

celebrare putaremur, quod laudationis genus graeci panagyricon appellarunt: omnium memoratarum doctrinarum suarum complura fidelia, & aeterna testimonia breviter referemus. Nam varias Aristophanis, Basilii, Xenophontis, Plutarchi, Demosthenis, Platonis, Aristotelis interpretationes suas certa quaedam ac perpetua utrarumque & latinarum, & graecarum litterarum monumenta extare non ignoramus. Aristophanis enim comediam, Basilii etiam epistolam, ac Xenophontis Tyrannum, & has Plutarchi vitas M. Antonii, Pauli Emilii, M. Catonis, T. & C. Graccorum, Sertorii, Pyrri Regis Epirotarum, Demosthenis libros singulos, ejusque orationum libros septem, praeterea Platonis de immortalitate animi, Gorgiam, Phedrum, Apologiam, Critonem, epistolas libros singulos, Aristotelis denique Oeconomicorum libros duos, Eticorum decem, Politicorum libros octo ita e graeco in latinum convertit, ut nulla prope eloquentiae ornamenta (mirabile dictu) desiderare videantur. Ex hujusmodi igitur Poëtarum, Historicorum, Oratorum, ac Philosophorum traductionibus maximas ei gratias agere, majores etiam habere deberemus, nisi nimis ingrati essemus, partim quia ex sua praecipua, ac singulari industria divina veterum graecorum ingenia cognovimus, cum antea traducta non essent, partim quia haec Aristotelica vitio priorum interpretum corrupta, atque depravata nunc primum latina effecta fuisse intelligimus, Aristotelemque philosophorum principem cogitationes suas cum singulari elegantia litteris mandasse nequaquam in praesentiarum amplius ambigimus, quod etsi a veteribus, & quidem magnae auctoritatis viris scriptum esse legeremus, nullo tamen pacto prius credere poteramus. Quare si tot suae, ac tam elegantes & Poëtarum, & Historicorum, & Oratorum, & Philosophorum denique interpretationes ubique apud latinos reperiuntur, cum praeter exactam quamdam utriusque linguae cognitionem pleraque etiam illorum auctorum probe, atque integre cognovisse manifestum est. Quonam enim modo peritissimus utrarumque literarum interpres sine certa quadam eorum, quae interpretatur, eruditione & fideliter interpretari, & eleganter convertere queat, non sane intelligimus. Sed ne in his ipsis quamquam luce clariora esse videantur, vel parumper haerere, dubitareve possitis, attendite quaeso, ut quanta, & quam magna pro-

priarum rerum monumenta suo, ut dicitur, marte litteris mandaverit, recte intelligere, ac considerare valeatis. Scripsit enim complura sparsim de variis rebus, & quidem egregia carmina, quae nondum morte praeventus in volumina redegerat; de Militia insuper, de Interpretatione recta, de Laudibus Florentinae Urbis, Laudationem Johannis Strozae, Pro se ipso ad Praesides, Vitam Ciceronis, Vitam Aristotelis, De studiis, & Litteris, Isagogicon Moralis Philosophiae. Et ne aliquod dicendi genus ab eo intentatum relinqueretur, contra hypocritas, & in Nebulonem maledicum libros singulos praecipua quadam, & admirabili elegantia condivit, atque absolvit. Composuit praeterea Explanationum duos in Oeconomicorum Aristotelis Libros, Dialogorum totidem, Epistolarum suarum Libros octo; dictavit denique De primo Bello Punico libros tres, Commentarium rerum Graecarum librum unum, de Bello Italico adversus Gothos libros quatuor, de Temporibus suis libros duos, Historiarum Florentini Populi libros duodecim. Si itaque omnium commemoratorum librorum numerum recensebimus, in quatuor super octuaginta consistere deprehendemus. Cum igitur vir sapientissimus Poetas, Historicos, Oratores, Philosophos cum graecos, tum latinos ita interpretaretur, ut & proprias eorum sententias probe intelligeret, & ita imitaretur, ut & carmina componeret, & annales, & historias, & commentaria conscriberet, & variis dicendi generibus omnem vim oratoriam complecteretur, & Philosophorum dicta e graeco in latinum mirabiliter converteret, itaque conversa dilucide explanaret; quantis ipsum & quam magnis laudibus dignum esse censebimus? sed cunctis traductionibus, ceterisque ejus scriptis praetermissis, ad dignissimas quasdam oratoriae facultatis, atque historiarum suarum laudes accedamus. Si omissis graecis scriptoribus, ut nostris brevitatis causa contenti simus, M. Cato, Fabius Pictor, L. Piso primo antiqui Annalium conditores apud veteres Romanos majores nostros egregiis quibusdam laudibus celebrabantur, quod annales sine ullis orationis ornamentis scriptitassent: si deinde Crispus Sallustius ob multiplices diversarum historiarum conscriptiones, si C. etiam Caesar ex Commentariis Belli Gallici, Bellique Civilis, si Q. Curtius gestorum quoque Magni Alexandri scriptor, si Justinus insuper ex suo Trogi Pompeii epitomate, si praeterea

Sue-

Suetonius Tranquillus ex duodecim suorum Caesarum vitis, postremo si T. Livius ex variis Romanarum rerum historiis ingentes, ac maximas laudes consensu omnium non immerito reportarunt, quoniam partim ex puris historiarum, partim vero ex commentariorum, partim etiam ex epitomatum descriptionibus seorsum ab illis auctoribus editis mirum in modum laudatos esse conspicimus: quantis nos laudibus illud nostrum Latinorum decus in hac doctorum hominum penuria non natum, sed potius ab aliquo Deo factum annalium, & commentariorum, & historiarum scriptorem exornare, & in coelum tollere deberemus? Si insuper M. Tullius omnium nostrorum Oratorum princeps, & caput primas Romanae eloquentiae partes ex orationibus, & ex ceteris ejus scriptis sine controversia assequebatur; quantum hoc nostrum Italiae decus non solum eximium Oratorem, sed etiam optimum Historicum commendabimus? Quoniam vero in T. Livii, ac M. Tullii mentionem quasi invicem comparantes incidimus, quorum alter Romanarum historiarum parens, alter autem latinae eloquentiae princeps putabatur, ne haec vobis admirabilia, & forte incredibilia viderentur, pauca quaedam memoratu digna trium tantorum virorum propemodum comparandi gratia in medium afferemus. Livium multos variarum historiarum libros elegantissime scripsisse concedimus. At hoc nostrum praecipuum Romanae eloquentiae decus praeter multiplices historiarum, & aliarum rerum suarum libros, annales, & commentaria ornatissime composuisse non dubitamus. Cicero vero Arati Poëtae carmina, & Xenophontis Philosophi Oeconomicum, & duas quoque illas nobilissimas duorum illorum eloquentissimorum Oratorum Demosthenis, & Aeschinis orationes, inter seque contrarias e graeco in latinum convertit: Platonem vero, & Aristotelem ceterorum tam Graecorum, quam Latinorum, ut ita dixerim philosophorum capita, forte obscuritate earum rerum, quae ab illis tractabantur, deterritus, nequaquam convertere ausus est, cum id magnopere efficere concupisceret, ut ad latinorum cognitionem divina illa ingenia transferret, quod tamen non fecit, nec ei, ne faceret, ut verbis suis utar, interdictum putabat. Multa praeterea in soluta oratione cum in dialogis, tum in simplici sermone se ipso auctore memoriae mandavit; nam multos egregios libros, & plures

praecipuas orationes, & duo illa praeclara epistolarum suarum volumina mirabili profecto, ac prope incredibili elegantia composuit. At vero Leonardus noster vir eloquentissimus non modo duas illas nobilissimas orationes a M. Tullio antea conversas, & jampridem incuria majorum nostrorum amissas, ac deperditas, sed etiam, ut cetera leviora omittamus, pleraque Demosthenis, Xenophontis quaedam, Platonis, & Aristotelis multa elegantissime simul, atque suavissime traduxit. Complura insuper Ciceronis more conscripsit; nam & Dialogos, & Orationes, & Epistolas in unoquoque dicendi genere mirabiliter exornavit; Annales praeterea, & Historias, ac Commentaria generose admodum cum magna viventium, & posterorum utilitate composuit, quod Cicero nullo unquam vitae suae tempore fecisse videtur. Et ne forte malignas simultatis, & invidiae latebras, si majores & digniores defuncto viro laudes tribueremus, non vobis, quos omnes ex tanti luminis extinctione altius flere, atque prope ejulare conspicimus, sed quibusdam absentibus moveremus, ad quorum manus haec oratio nostra pervenerit: paulo post finem dicendi faciemus, cum dignissimum tantae commissionis officium penitus expleverimus. Commemorati enim hujus inclitae Civitatis Praesides, qui omnia & de domesticis defuncti hominis moribus, & qualis in nostra Rep. fuerit, & quantum in bonarum artium studiis valuerit superius enarrata plane, aperteque fama increbescente cognoverant, ac veteres Graecos, Romanosque majores nostros in ornandis clarissimorum virorum funeribus imitari cuperent, tria nobis eorum collegis prae ceteris injunxerunt: ut primo hoc praeclarissimi Viri funus dignis quibusdam laudibus celebraremus, ut deinde idipsum hujusmodi peregregiis plurimorum funalium muneribus, multisque insignibus drapporum agminibus, atque nobilissimo vexillo exornaremus: postremo, ut veneranda tanti Vatis, Oratoris, & Historici tempora hac laurea corona insigniremus. Ceterum nos jam primum tibi, Clarissimum Latinorum Decus, satis quantum pro brevitate temporis fieri licuit, superiori oratione nostra ad diuturnam admirabilium virtutum tuarum memoriam fecisse existimamus, & credimus. Secundum in praesentiarum agimus, ut te Excellentissime Civitatis nostrae Gubernator tantis, ac tam ingentibus Florentinorum donis ad perennem quam-

quamdam tuorum in Remp. meritorum commemorationem illustraremus. Quibus jam rite peractis reliquum est, ut tempora tua, Eximie Vates, prisco, Graecorum, Romanorumque more hac laurea coronaremus. Sed antequam ad ipsum coronationis actum accedamus, antiquos Imperatores, veteresque, & novos nostri pene temporis Poëtas primo laurea coronari solitos paucis ostendemus, deinde quas ob causas laurorum potius, quam olearum, vel palmarum, vel hederarum vel aliis quibusdam perpetuo virentibus frondibus coronarentur, brevissime demonstrabimus: postremo hunc clarissimum Virum, & optimum Historicum, & eximium Oratorem, & egregium Poëtam extitisse parumper declarabimus. Militares coronas ceteris nobiliores octo circiter ex crebris veterum auctorum lectionibus fuisse accepimus, quarum haec nomina ferebantur: Obsidionalis, Civica, Muralis, Castrensis, Navalis, Ovalis, quasi Triumphalis, & Triumphalis. Obsidionalis e gramine fiebat, quam ii, qui obsidione liberati erant, ei Duci, qui liberaverat, propterea donabant, quod ibi gramen plerumque generaretur, ubi obsessi tenebantur. Hanc Coronam gramineam Senatus, Populusque Romanus Q. Fabio Maximo secundo Bello Punico non immerito dederat, quoniam Urbem Romam obsidione hostium liberasset. Civica appellabatur, quam civis civi, a quo in proelio servatus erat, testem vitae, salutisque perceptae concedebat. Ea e fronde quernea, vel ilignea ob id efficiebatur, quod victus antiquissimus ex quercubus, atque ilicibus capiebatur. Hac corona civica L. Gellius vir Censorius in Senatu Ciceronem Consulem donari a Rep. censuit, quod ejus opera atrocissima illa Catilinae conjuratio detecta, vindicataque fuisset. Murali corona ab Imperatore donabatur, quisquis primum murum subiens per vim in oppidum hostium ascendisset. Castrensis dicebatur, qua Imperatores eos donabant, qui primum pugnantes hostilia castra ingrederentur. Ea insigne valli habebat. Navalis erat, qua maritimo proelio donari solebant, qui hostium naves vi armati transiluissent. Ea quasi navium rostris insignibatur, atque hae tres ex auro fieri consueverant. Ovalis mirtea habebatur: illa ipsa Imperatores utebantur, quandocunque ovandi gratia in Urbem revertebantur. Ovare autem dicebantur, si quando victores vel ex indignis bellis, vel non cum justis hostibus gestis domum remea-

rent,

fisset, atque equus belli omen repente prosiluisset, Minerva autem hastam in eam projecisset, olivamque pacis arborem produxisset, Minervae nomine, quae graece Athene dicitur, Diis arbitris Civitas appellata est. Si deinde historiis adhaeremus, id ipsum manifestissime deprehendemus. Quippe a Marco Varrone viro rerum humanarum, divinarumque doctissimo de Cecrope Athenarum Rege in hunc fere modum scriptum fuisse novimus. Eo enim Athenis regnante, cujus temporibus urbem conditam credidit, atque ambigente, quo nomine nova Civitas appellaretur, mox oleae arborem alibi apparuisse, & alibi aquam erupisse scribit. Unde Regem adeo prodigia ista moverunt, ut ad Apollinem Delphicum sciscitatum mitteret, quodnam agendum videretur. Legati ob oraculo revertentes oleam Minervam, undam Neptunum significare, in suaque potestate constitutum esse retulerunt, ex cujus nomine duorum Deorum, quorum illa signa apparuerant, civitas vocaretur. Hoc Regem audito omnes cives utriusque secus in consilium advocasse tradit. Mos enim tunc erat, ut feminae publicis consultationibus interessent. Consulta igitur per hunc modum multitudine, mares pro Neptuno, feminas pro Minerva sententiam tulisse prodit. Sed quia numerus feminarum major, quam marium uno dumtaxat inventus est, Minervam eo certamine superasse, ac propterea suo graeco nomine sic civitatem appellatam fuisse demonstrat. Si divinis denique litteris confidimus, nullatenus de eo ipso dubitare poterimus. Nam ubi diluvii aquae, a quibus universum terrarum Orbem ex sacrorum Librorum lectionibus mundatum fuisse intelleximus, parumper cessare, montiumque cacumina apparere coeperunt, columbam nescio quam mordicus, quasi divinitus ageretur, ramusculum quemdam viridantis olivae in signum pacis, ac victoriae praetulisse nequaquam dubitamus. De palmarum arboribus ab Aristotele, & Plutarcho scriptum esse comperimus, ut quamquam magnis ponderibus superimpositis premerentur, nunquam tamen cedere viderentur. Unde propterea veteribus placuisse tradiderunt, ut palma certum quoddam victoriae signum ab omnibus haberetur, quoniam ea esset hujusmodi arboris natura, ut urgentibus, opprimentibusque non cederet. Et ne de neutro, vel ut de frivolo, atque temerario quodam victoriae signo suspicari valeremus, utrumque ab

Eccle-

Ecclesia militante quot annis renovari intelligimus, quoniam oleae palmarum ornamentis intertextae cunctis fidelibus populis propterea exhibentur, ut simul & de olea veteris, & de palmis novi Testamenti tamquam de certis quibusdam, evidentibusque pacis his, ac victoriae signis annuis commemorationibus admoniti vere, atque fideliter instruantur. Hedera vero a priscis illis tantopere celebratur, ut Alexander Rex Macedonum ob rerum a se gestarum magnitudinem cognomento Magnus victis superatisque Indis exercitum suum victorem instar Liberi Patris, quem in India pro Deo venerabantur, hujusmodi frondibus coronatum in patriam traduxerit, cum tamen persica corona in honorem Persei atavi sui antea uteretur, qui primus ex Perside allatam apud Aegyptios eam arborem sevisse traditur. Vetustissimos etiam Poëtas hedera, seu quasi quodam mentis furore perciti baccarentur, ac Faunis, Satyrisque finitimi haberentur, seu quod eorum carmina aeternitatem mererentur, hujusmodi semper virentibus frondibus coronari solitos ab idoneis auctoribus scriptum fuisse legimus. At vero cum tractu temporis omnia bonarum artium genera velut ab ipsis veterum doctrinarum incunabulis rudia, & inculta postea limarentur, factum est, ut Poëtae hederis omissis, ne baccantium more insanire putarentur, lauribus quoque perpetuo virentibus coronarentur. Quod ob tres dumtaxat causas a politioribus, & cultioribus viris introductum fuisse non injuria existimamus, & credimus, ut vates perpetuis laurorum potius, quam vel olearum, vel palmarum, vel hederarum frondibus decorarentur. Primo ut Imperatores devictis superatisque hostibus triumphaturos imitarentur, quasi ipsi libidine, segnitieque perdomitis, tamquam acerrimis quibusdam humani generis inimicis non immerito triumpharent. Deinde quia talem, & tam ingentem famam ex poëmatibus ab eis egregie confectis se se consecutos fuisse arbitrabantur, ut ex hujusmodi laureatione aeterno quodam gloriosissimae vocis, famaeque praeconio neminem, ne Jovem quidem fulgoribus suis tantae, ac tam celebratae gloriae magnitudini officere posse palam omnibus significarent. Physici enim hujus dumtaxat arboris naturam eam esse scriptum reliquerunt, ut inter ceteras plantas sola a fulminibus non laedatur, ac sic semper observatum fuisse dicunt, ut omni quidem tempore illaesa, inviolataque permanserit. Postremo quia veteres

Par-

Parnasum montem Apollini dicatum lauribus, utpote Musis pergratissimis arboribus undique affluere memoriae prodiderunt; idcirco Poëtas Pieridum alumnos, civiliori ut ita dixerim, mortalium vita laureis coronari coeptos, ac postea semper hactenus servatum nostra quidem sententia non injuria arbitramur. Cum igitur de Imperatorum, Poëtarumque laureis duabus ultimae divisionis nostrae partibus in praesentiarum absolverimus: restat, ut hoc nostrum Italiae decus non solum optimum Historicum, & eximium Oratorem, sed egregium etiam Poëtam fuisse deinceps ostendamus. At vero quoniam de Historis, Annalibus, & Commentariis, atque de Dialogis insuper, & Orationibus, & Epistolis multifariam ab eo, elegantissimeque conscriptis singillatim superius commemorasse meminimus, ex quibus ipsum, & optimum Historicum, & eximium Oratorem extitisse jure ambigere, suspicarive non possumus, ea ipsa repetere, & crebrius auribus vestris inculcare supervacaneum esse censemus. Itaque poëtica paulo altius ab origine repetita, de poëtis pauca dicemus, ne forte hunc peregregium diversarum rerum scriptorem in Poëtarum numero recensendum fore suspicaremini. Mihi mecum ipsi crebro diligenter, & accurate de poëtica cogitanti, poëtas bifariam extitisse videri solet. Veteres enim uno quidem modo ex propriis ingenii viribus, quod absque ullis, vel cum paucis bonarum artium studiis ex interna quadam mentis agitatione docente natura agitatur, & commovetur, poëtas bonos fieri tradidere, atque hujusmodi tamquam Deo plenos interdum sacros, interdum divinos, interdum vates a priscis scriptoribus appellatos esse conspicimus. Putabant enim poëtam bonum neminem existere posse, id quod a Democrito, & Platone in scriptis relictum esse dicebant, sine inflammatione animorum, & sine quodam afflatu quasi furoris, cujusmodi fuisse ajunt, Orpheum, Sybillas, Hesiodum, Pacuvium, multosque alios, quorum Orpheus ex nimia, ac profecto admirabili lyrae suae suavitate cicures, & feras, saxaque & silvas, mira & eloquii dulcedine captas traxisse fertur. Sybillas vero quasi furentes, & Deo plenas utpote divinarum voluntatum participes, atque conscias a consiliis Deorum enuntiandis aeolico quodam genere sermonis cognominaverunt. Hesiodus autem pastor rudis, & indoctus aquula Castalii fontis libata ita ad summum poeticae evasit,

sit, ut nobilissima dogmata sua a Platone, & Aristotele in mediis eorum utriusque Philosophiae naturalis, & moralis voluminibus magna cum veneratione velut oracula saepe numero frequententur. Pacuvius etiam Tragaedias suas non levi, ac remisso animo scripsisse traditur. Alio quoque modo homines ex litterarum studiis, atque plurimarum doctrinarum eruditione poëticam assequuntur, quales fuisse Homerum, Pindarum, Euripidem, Sophoclem, Aristophanem, Virgilium, Ovidium, Flaccum, Senecam, Statium, omnesque alios, qui per studia, & disciplinas sine aliqua interna mentis agitatione nonnulla poëmata vel graecis, vel latinis versibus mandaverunt. Et ut planius quicquid summatim de facultate poëtica dici possit, strictim, & quasi per transennam intelligatis, non alienum visum est, unde hoc Sacrum Poëtae nomen derivaretur, paucis absolvere. Poëtae nomen a quodam verbo graeco derivatum esse constat, quod latine facere significat; proinde poëtam recte factorem latine interpretari possumus. Sed quoniam inter cuncta humani generis opera ea ceteris praeferebantur, quae a dignis scriptoribus celebrabantur, & quia inter illa, etiam quaecumque versibus mandabantur, aliis omnibus praeponebantur; ideo cunctis omissis illa sola poëmata appellabantur, quae carminibus efferebantur, quasi quaecumque metris canerentur, digniora esse censerentur, quam ea, quae in soluta oratione litteris traderentur. Quocirca figmenta versibus mandata utpote veneratiori quodam, & altiori genere dicendi explicata ob excellentiam nominis, & ut Graeci dicunt per antonomasiam poëmata quasi sola essent ea mortalium opera nuncupari consueverunt. Poëtae igitur priscis illis praetermissis, quos veteres propriis nominibus vates appellabant, pinguiori, ut ajunt, minerva omnes illi antiquitus habebantur, quicumque digna quaedam, altaque figmenta egregiis carminibus prodidissent. Itaque si quis poëta esse cuperet, quaedam egregia poëmata describat oportet. Quod ni ita esset, & Moyses, & Hieremias, & Job, & David, & Salomon, quorum cantica apud Hebraeos ex canonicis eorum Libris ab hominibus in illo sacro idiomate vel mediocriter eruditis hebraicis versibus dictata cernuntur, poetae simplicibus cognominibus, non cum sacrorum carminum adjectionibus appellarentur. Ut de David, apud Basilium virum graecarum lite-

literarum peritissimum, ac sanctissimum scriptum esse legimus, quem quidem Poëtam sacrorum carminum appellare non dubitavit. Eodemque modo de Juvenco quodam Hispano, Sedulioque judicaretur, quos hexametris versibus Evangelia composuisse constat. Similiter quoque de Empedocle, ac Lucretio censeretur, quorum alterum apud Graecos, alterum vero apud nos de rerum naturalium causis carminibus scripsisse manifestum est.. Quid igitur faciemus? Nonne in hoc secundo Poëtarum numero Leonardum nostrum jure, ac merito collocabimus? Ita profecto: primo namque magnam quandam graecarum, & Latinarum Literarum cognitionem mirabiliter adeptus est. Varias deinde omnium pene ingenuarum artium eruditiones ingenue admodum comparavit. Historias quoque, Annales, & Commentaria uberrime, ornatissimeque composuit, & quod ad artem oratoriam spectare videtur, dialogos, orationes, & epistolas elegantissime simul, atque copiosissime tractavit. Proinde ipsum & optimum Historicum, & eximium Oratorem fuisse recte, ac jure dubitare non possumus, & quod maxime ad poëticam ipsam pertinere cognoscimus, cunctorum cum Graecorum, tum Latinorum poëtarum singula quaeque ita ad unguem interpretabatur, quasi ipse propria eorum poëmata commentatus absolvisset. Unde si sua quoque paulo diligentius, atque accuratius animadverterimus, egregium etiam poëtam extitisse nequaquam ignorabimus. Est enim, ut ait Cicero, finitimus oratori poëta numeris astrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius, ac pene par. In hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumscribat, aut diffiniat jus suum, quominus ei liceat eadem facultate, & copia vagari, qua velit. Et non multo post in eodem libro verba haec posuit: Atque id primum in poetis cerni licet, quibus est proxima cum Oratoribus cognatio, quam sint inter se se Ennius, Pacuvius, Acciusque dissimiles, quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quamquam omnibus par pene laus in dissimili scribendi genere tribuatur. Praeterea diversa, multipliciaque comentus & plura sparsim de variis rebus carmina composuit, quae, ut supra diximus, nondum morte praeventus in volumina redegerat. Unde ipsum Poëtam fuisse nequaquam dubitari, suspicarive possumus; ob id vero, quoniam optimus

histo-

historicus, & eximius orator erat, in eo poëtae nomen non tam celebre jure obscurari, ac confundi videbatur. Quemadmodum enim Homero, atque Ennio, Platoni quoque, & Aristoteli contigerat, ut quamquam partim in hac facultate dicendi, partim vero in conscribendis Annalibus plurimum valuissent; unusquisque tamen propriis illarum bonarum artium appellationibus censebatur, in quibus singuli excelluisse dicebantur, ac prius jamdudum hactenus servatum esse videbatur, ut docti simul, & indocti Homerum, atque Ennium Poëtas, Platonem vero, & Aristotelem Philosophos omissis ceteris denominationibus cognominarent: ita eodem prope modo Leonardo nostro contigisse conspicimus. Etsi enim cuncta tam Graecorum, quam Latinorum poëtarum volumina evolvisset, atque ea omnia eleganter interpretaretur, & multa insuper sua carmina componeret; quoniam tamen propria quaedam Historici, & Oratoris cognomina excellebant, idcirco poetae nomen paulo obscurius in eo, ut supra diximus, obscurari, atque confundi videbatur. Quas ob res cum Venerationibus vestris, Clarissimi Viri, ut ad vos tandem aliquando advertamur, & de domesticis defuncti hominis moribus, & qualis in nostra Rep. fuerit, & quantum in liberalibus bonarum artium studiis, atque in multiplicibus scriptorum suorum voluminibus excelluerit, satis, abundeque ostenderimus, ac etiam quemadmodum Imperatores, atque Poëtae laurea coronari consueverint, & cur lauribus quoque potius, quam oleis, vel palmis, vel hederis, aliisve quibusdam perpetuo virentibus frondibus de more coronarentur, plane, & aperte explicarimus, & hoc insuper nostrum Italiae decus & optimum Historicum, & eximium Oratorem, & egregium Poëtam extitisse hactenus demonstrarimus, atque ex prolixiori oratione, quam ab initio putarimus, tamquam ex longiuscula peregrinatione, & velut diuturno quodam postliminio divina ope freti demum in patriam reverterimus; reliquum est, ut vobis ingentes gratias agamus, majores etiam habeamus, quoniam cum singulari quadam, & accurata rerum a nobis paulo uberius relatarum attentione, tum etiam ex vestris jugibus lacrymis hoc celeberrimum funus mirabiliter decorastis, quibus quidem brevitatis causa praetermissis, postremo ad ipsum cororationis actum accedamus. Nos itaque ad te, Clarissimum Latinorum Jubar pa-

parumper conversi, beata & felicia tempora tua ad perpetuum quoddam, & aeternum admirabilis sapientiae, atque incredibilis eloquentiae viventibus, & posteris testimonium ex nostro Senatus consulto hoc dignissimo Laureae ornamento feliciter coronabimus. Quocirca venerandis memoratorum Praesidum nostrorum mandatis, ut par est, parere, atque obtemperare cupientes, hac te Laurea optime Historice, eximie Orator, egregie Poëta ad perennem quandam, & aeternam tuarum bonarum artium memoriam, ac sempiternam ineffabilis prope gloriae tuae illustrationem publico hujus Florentissimi Populi nomine faustis ominibus in praesentiarum coronamus, ut in ternario Florentinorum Poëtarum numero Claudiani, Petrarchae, ac Golucii, quos e nostris hominibus solos, Dante, & Boccacio praetermissis, quoniam alter exilio; alter vero paupertate oppressus digna lauri corona redimiri non potuerunt, jamdudum per mille circiter annorum curricula merito laureatos fuisse constat, quartum fortunatissime, ac eloquentissime te Leonarde non immerito adjungamus, te inquam nuper in singulari quadam Dei, & hominum gratia defunctum, te inquam secundam Latinae Linguae decus, te denique praecipuum quendam Romanae eloquentiae Principem, cujus quidem cadaver humana jam a nobis laurea coronatum hic e regione jacere conspicimus, animum vero e vinculis corporis relaxatum, ac solutum tamquam ex hoc caliginoso carcere, atque procelloso pelago divina illa, ut ita dixerim, laureola redimitum in coelum certum quoddam, & aeternum Beatorum Spirituum receptaculum ob integritatem, & sanctimoniam vitae evolasse non injuria existimamus, & credimus, ut cum reliquis triumphantis Ecclesiae Spiritibus aevo sempiterno in perpetuis jubilationibus perfruatur, quousque ipso novissimo die resumpto corpore reviviscens, atque hoc iterum factus, postea duplici & humana, & divina laurea coram Omnipotenti Deo semper coronatus appareat. Vale felix laureatum, utrarumque litterarum, & eloquentiae Decus.

POG-

POGGII BRACCIOLINI
ORATIO FUNEBRIS
IN OBITU
LEONARDI ARRETINI.



Hodiernus, Florentini, dies, atque hic publicus moeror communi voluntate susceptus declarat, quanta hujus praestantissimi, atque omni laude dignissimi Viri virtus extiterit, & quam cara & grata universae sit Civitati, cum videamus Magistratus hujus Urbis, omnium Ordinum consensum, universum populum ad ornandam hanc funeris pompam una mente suis decretis ultro in eandem sententiam convenisse. Nullus est enim, qui se civem esse existimarit, qui non suum studium, atque operam praestiterit ad cohonestandas hominis exequias optime de Rep. meriti, & ejus, cui parem rara secula protulerant. Magnum quippe & praeclarum hoc testimonium virtutis est, & laudis, & mea sententia plurimi aestimandum. Is enim justus, & verus est honor, qui soli virtuti sponte conceditur, & recte factis: non qui aliunde quaeritur, aut precibus est, aut suffragiis hominum mendicatus. Non generi, non majoribus, non parentibus Leonardi, non amicis rogantibus ii honores tribuuntur, sed probitati, prudentiae, continentiae, integritati vitae: ut non ex-

externo opere quaesitus, sed a sola virtute profectus appareat. Itaque cum cetera vitae commoda nobis quaerenda sunt, tum vero maxime virtutis ratio omni conatu appetenda, cum tanta illius cultoribus tum vivis, tum mortuis sint honoris praemia constituta. Licet autem satis fructus virtutis in ipsa virtute positus videatur; tamen ad laudem quoque confert, & posteritatis memoriam ab his diligi, coli, ornari, praedicari, qui & ipsi in laude vixerunt. Sed mihi pietas praecipue Civitatis, tum celebris hoc in ornando funere civium frequentia maxime laudanda esse videtur, qui hujus singularis Viri memoriam tam grata significatione benivolentiae prosequantur. Quae res tum spectat ad mortui gloriam singularem, tum vivos excitat ad capessendum eum vitae cursum, quem propter conspiciant hunc civem tales honores consecutum, ac tam carum Reipubl. extitisse. Quamvis autem Leonardi virtus nullius externa laudationis opera egeat ad se ornandam, quippe qui sibi vivens laudem peperit immortalem; tamen praestandum est a nobis debitum officium amicitiae nostrae, quae jam amplius annis quatuor & quadraginta inter nos similium studiorum cursu coepta, semper viguit sanctissime absque ulla querela, aut benivolentiae intermissione. Solent quandoque inter amicos dissensiones, jurgia, & contentiones exoriri, ut intermissio quaedam benivolentiae fieri videatur. Sed nostra semper inviolata permansit animorum conjunctio, quorum amorem nullius unquam dissidii causa distraxit. Et id quidem jure inter nos contigit. Ea namque vera est, ac stabilis amicitia, quam optimarum artium studium, & bonorum morum similitudo contraxit, quae quoniam mutua benivolentia, & officiis fovetur, necesse est, ut ita sit firma, ac diuturna. Et licet ab omnibus doctis, ac eloquentibus viris hoc munus postuletur, ut famam ejus, qui hujus seculi nostri, & doctorum omnium maximum fuit ornamentum, celebrem reddere ad posteros debeant; tamen id praecipue a nobis suo quodam jure videtur exigere jus nostrae amicitiae, & voluntatum, studiorumque conjunctio, ut in quem vivum summa beneficia contulimus, defuncti quoque memoriam aliquo munere afficiamus. Sed antequam de eo, quod proposui, dicere aggrediar, paucis mihi queri liceat de communi omnium nostrûm conditione, quae mihi in angusto nimis, & in incer-

to

to rerum statu videtur esse posita, deque fatorum injuria, quae me omnibus his privarunt, quos mecum ab ineunte adolescentia litterarum studia summa caritate, & benivolentia devinxerunt. Nam primo communem doctorum omnium parentem Colucium Salutatum humanissimum, ac doctissimum virum, tum Robertum cognomento Rufum, deinde Nicolaum Nicolum, viros omni litterarum genere, & humanitatis studiis praestantissimos, deinceps omni virtute virum celebrem Laurentium de Medicis, pluresque alios summa mihi amicitia conjunctos eripuit nobis. Restabat hic unus veterum studiorum, & quasi renascentis olim academiae socius, quocum non solum studia, sed cogitationes quoque communicare solitus eram; revocans saepe sermones nostros ad illam prioris aetatis nostrae jocunditatem, cum omnes hi viverent, quos modo nominavi. At hunc quoque in ipso fructu laborum suorum intercoeperunt, ostenderuntque, nihil extremo die esse incertius, nihil hac nostra infirmius vita. Et quidem hic obitus non admonet magis de futuro, quam de praesenti tempore esse cogitandum. Incertus est enim, ac dubius status vitae, fragilis hominum natura, corpus imbecille, & quod multos subeat casus. Nam si, ut inquit Varro, homo bulla est, eo magis senex. Erat Leonardus noster septuagenarius, tamen valido corpore ac robusto, quippe qui raro adversam valetudinem sit expertus, ut nihil ei ad praesens, quam mors repentina extimescendum esse videretur. Sed nihil nos fallit magis, quam quod nemo adeo senex est, quin annum, ut scribit Cicero, speret se esse victurum. Quo fit, ut longius quandoque trahamus res nostras, quam deceat viros sapientes, & cogitata vitae ratio postulet. Mors enim a tergo instat, & conatus nostros quamvis honestos in medio apparatus interscindit atque abrumpit, & omnia secum aufert, nisi quae virtute, & vitae bonitate fuerint comparata. Itaque perbeati meo judicio illi aestimandi sunt, quorum vita non hac brevitate temporis circumscribitur, quae omnibus animantibus est communis, sed ad posteros longo intervallo virtutum beneficio propagatur. Quamvis autem nil sit in morte mali, neque post ipsam quidem his, qui juste ac recte vixerunt, (nam in ea vitae anteactae viri boni praemia adipiscuntur, totaque vita sapientis nihil aliud, quam mortis meditatio esse debet) tamen dolendum est no-

bis, qui reliqui sumus talium virorum praesidio & virtute privati. Etenim mors non his deflenda, aut misera videri debet, qui diem obeunt, si justitiam coluerunt, sed illis potius, qui supersunt. Illi enim fortunae omne arbitrium effugerunt; his novarum rerum impetus pertimescendi. Illi suum finem, in quo est vitae perfectio, sunt sortiti; aliis asperum iter agendum. Quo vero meliores habentur fines, quam ea, quae ad finem spectant; eo sapientis mors melior perfectiorque, quam haec vita aestimanda est. His mors gravis esse debet, quorum vita morti est similis, nulli virtute conjuncta. Quibus autem perpetua laus & gloria, vitaeque anteactae fructus proponitur; ii mortem aequo animo ferunt, tanquam laborum finem, & praemia meritorum. Quoniam vero (ut jam redeamus quo nostra defluxit oratio) illius laudes sumus prosequuturi, cujus nulla pars vitae laude vacavit, ita eas distribuemus, ut tum vitam omni commendatione exactam, tum opera, quae in nostram utilitatem edidit, recenseamus. Natus est hic Arretii civitate admodum antiqua, ac maxime nobili, & olim inter capita Etruriae, cum ea potens viris, armisque esset, aestimata. Haec olim urbs adeo opibus, virisque magnifica, & opulenta fuit, ut eam solam quondam P. Scipioni ad Bellum Punicum proficiscenti triginta millia scutatarum pollicitam esse, galeas totidem, pila, gaesa, hastas longas millia quinquaginta, summamque pari cujusque generis numero expleturam; secures, rutra, falces, alveolos, moles, quantum in quinquaginta longas naves opus esset, tritici centum, & viginti millia modia, & viaticum decurionibus, remigibusque allaturam T. Livius refert. Magna profecto potentia, amplitudo, opulentia ejus civitatis censenda est, quae tantum ad Belli Punici expeditionem attulit, quantum universa Etruria vix hodie possit efficere. Sed & nostris quoque temporibus duabus rebus, quibus honor & fama praecipue acquiritur, semper claruit, militari gloria, & studiis litterarum. Multos illa civitas nobiles & egregios in re militari viros, ut de superioribus sileamus, nostra aetate protulit: plures litterarum studiis in omni genere doctrinae praeclaros, quorum pars diem suum obiit, partem Dei beneficentia ad communem eloquentiae & sapientiae usum nobis reservavit, qui cum sint nobis notissimi, eorum nomina, ne iis blandiri videar, praetermitto. Unum non praeteri-

teribo, quod forsitan multis ignotum est; Franciscum Petrarcham virum doctissimum, ac sapientissimum, cujus ingenio plurimum debemus, patriam, ut ipse testatur, Arretinum fuisse. Itaque maximas civitati illi docti omnes & habere, & agere gratias debent, quae Musarum domicilium videtur nostris temporibus extitisse. Certe ab eis humanitatis, & sapientiae studia exculta maxime sunt, atque amplificata. Et genere Leonardus minime claro fuit. Sed quod natura non attulit, virtus elargita est. A se ipso enim nominis claritatem, ac generis nobilitatem traxit, quae vera est, & perfecta nobilitas. In quo enim virtutum splendor consistit, in eo ingenua ac perfecta nobilitas inest, non exterius proficiscens, sed nascens domi, non alieno, sed proprio beneficio parta, non majorum opera, sed suis vigiliis, laboribus, studiis acquisita. Nam qui genus jactat suum, ut Tragicus inquit, aliena laudat. Et quidem quanto praestat lumen praebere aliis, quam alieno splendore lucere; tanto satius est sibi peperisse nobilitatem, quam alterius munere accepisse, si tamen accipi potest, & non sibi quisque nobilitatem comparat virtutum gloria, & recte factis, ex quibus maxime nobilitatis aura resplendet. Itaque sive, ut Aristoteli videtur, ei nobilitas virtute & opibus comparatur, hic egregie nobilis evasit: sive, ut Stoicis placet, sola virtus illam parit, satis abunde nobilitatus est, & claritate nominis per ora omnium pervulgatus. Ab ineunte adolescentia latinas litteras in patria percepit; & quum animo majora quaedam conciperet, Florentiam se contulit, in qua uberior discendi facultas, & amplior consequendae laudis campus esse videbatur. Ibi quadriennio Juri Civili operam dedit. Quo in studio cum plurimum profecisset, supervenit Manuel Chrysoloras ex Urbe Constantinopoli Graecorum omnium sapientia, & eloquentia tum facile princeps, qui studia graecarum litterarum, quae jamdiu in Italia oblita & sepulta erant, apud nos primus excitavit. Et cum plures ad ejus doctrinam confluerent, haberenturque coetus praestantiores, Leonardus illorum gloria commotus, cum in eo studio magnam laudem propositam videret, posthabita juris civilis cura adhaesit Manueli, brevique effecit, ut omnes coauditores tum bonitate ingenii, tum studio diligenti facile superaret. Exercebatur tum Latina in Graecum sermonem, tum Graeca in Latinum convertens. Sed cum utra-

que in lingua adeo profecisset, ut eloquentia excelleret omnes, qui tum doctissimi habebantur, labores vero suos tantummodo laudari, nihil vero sibi afferre emolumenti cerneret, & premebatur inopia, ut qui tenui esset censu: rediit ad disciplinas juris civilis, quae suis cultoribus opes & divitias pollicentur. Querebatur saepe mecum pro nostra familiaritate, se invitum, & necessitate compulsum relinquere ea studia, ex quibus magnam sibi gloriam paratam omnes praedicabant, & ad eam scientiam, quae jam antiquasset, se reverti; praesertim cum tanquam studiorum suorum primitias jam quaedam opuscula edidisset summa cum eloquentia, & omnium commendatione. Accidit interea, ut ego ad Curiam Romanam proficiscerer Bonifacio IX Pontifice, fieremque paulo post, quam accesseram, litterarum Apostolicarum scriptor, quod officium & utile est, & honestati, dignitatique conjunctum. Successit anno post Innocentius VII defuncto Bonifacio in Pontificatu. Et cum antea Leonardus, qui illam legum molestiam effugere cupiebat, primo verbis, deinde litteris egisset mecum, ut curarem, ut in curiam accerseretur ad aliquod exercitium, ex quo victum honestum posset consequi, mihi vero cum his, qui essent Innocentio proximi, summa esset necessitudo; laudando Leonardum, & orationis elegantiam, virtutemque prae ceteris extollendo, ac simul quaedam ejus scripta ostentando effeci, ut is, licet ignotus tum Pontifici, tum ceteris, ab Innocentio Secretarius fieret, duorum praesertim opera, qui Pontifici erant carissimi, mihique satisfacere cupiebant. Qua in re multas, ac graves contentiones suscepi adversus quosdam, qui illud idem summopere ambiebant. Sed ego omnia pro amico subeunda esse judicans, & illius desiderio satisfacere cupiens, nullum laborem, nullam diminutionem bonorum, nullam malivolentiam pro nostra conjunctione declinandam putavi. Meis itaque litteris accitus ad Urbem, pauloque post meorum opera Secretarius effectus, ostendit vera esse, quae a me de eo ferebantur; brevique se in Pontificis, qui humanissimus erat, benivolentiam insinuans illi acceptissimus fuit. Eodemque officio, quod semper summa integritate, fide, innocentia admistravit, Gregorii quoque, atque Alexandri, & Johannis tempore, cujus Pontificatus quaestuosissimus fuit, functus est, multasque tum pecunias Johannis indulgentia con-

contraxit. Sed cum Johannes esset Bononiae, Leonardus accitus est a vobis in Cancellarium, quo in officio paucis mensibus praefuit. Nam tum novi exercitii difficultas, tum majoris spes emolumenti eum coegerunt, ut abdicato officio, ad prioris exercitii vitam rediret. Romam, in qua Johannes Pontifex aderat, profectus est. Pauloque post uxorem ducit adolescentem optimam, ex qua unicum filium suscepit, quem moestum, & sordidatum, flentemque videtis. Tum ad Urbem rediens, Pontificem secutus est, quoad Constantia civitate Germaniae, quo Concilii causa accesserat, aufugeret. Hic cum cerneret, Johannem praecipitem se agere, multa vero tum pericula illum sequentibus impendere viderentur; finem illius sequendi sibi constituens, Florentiam reversus est. Et cum litteris ac scribendi jure contentus, ac honesto otio frueretur, iterum Cancellaria ei a vobis demandata est; quae summa cum laude, atque auctoritate usque ad extremum vitae tempus ab eo gesta est. Functus est etiam summis Magistratibus civitatis. Nam bis ex Decemviris summo civium favore factus fuit, Vexillumque Societatis tribus gessit, ac ex Prioribus unus creatus est. Ad id quoque, quod praecipuum est in civitate, vexillum pervenisset, nisi mors vivendi finem attulisset; quae licet in aetate provecta contigerit, tamen acerba dici potest, atque immatura, si virtutes ejus consideretis, si mores, si scribendi utilitatem, si gravitatem, si prudentiam, si otium, quod semper ad scribendi curam, utilitatemque viventium conferebat. Quae omnia nobis dies unus abstulit, eumque abstulit, quem, si fas esset optare, oportebat fieri immortalem. Quia autem duo genera sunt hominum, qui procul a laude militari vitam honestam sequuntur, alterum eorum, qui animum suum applicant ad Rempub. gubernandam, inque ea administranda labores pro communi utilitate suscipiunt, alterum eorum, qui otio dediti litterarum quiescunt procul a turbine populari: utrumque Leonardus noster est summa cum laude complexus. Nam otii fructus uberrimos nobis, & quamplurima ingenii sui monumenta reliquit. Rei etiam publicae curas gubernandae adiit; in qua ita versatus est, ut summa continentia, integritate, & virtute, atque innocentia nemini cesserit, & praestiterit multis. Magna haec summi ingenii argumenta sunt, & praestantis naturae insignia, cum in otio tantum

Reip.

Reip. muneribus sit impartitus, quantum qui nihil aliud agunt, & tanta conscripserit, quanta ne illi quidem assequuntur, qui procul a Reip. laboribus summa in quiete consenescunt. Vita fuit per omnem aetatem parcissima ac severa, summa vixit aequitate, continentia animi, modestia, justitia, ut qui neminem unquam lacesserit injuria, nemini maledixerit. Amicis praesto erat, si quid ejus opera uti vellent. Prudentia, ac gravitas in eo viguit singularis. Quod ei tempus a litteris supererat, & a Reipub. negotiis, tum privatae rei impartiebat, tum coetui amicorum, quibus admodum delectatus; domi severus, foris humanus fuit. Morosior paulum, difficiliorque habitus est, quam studia humanitatis, doctissimi viri ratio postulare viderentur. Sed morositatem parcitatemque a natura contraxit, virtutes sibi studia, ac scribendi, agendique diligentia pepererunt. Verum quod multis vitio tribuitur, id ego in viris doctis minime judico reprehendendum. Non enim aliquando non sibi irasci hominis est virtute praestantis, sed trunci potius, ac stipitis insulsi. Quidam tarditate mentis, ac stupore quodam pigrescunt, nihil sentientes, etiamsi more bubulorum stimulo pungantur, quod non virtutis videtur esse, sed stupiditatis. Nam excitata ingenia, prompta, vigentia necesse est commoveri quandoque ad breve tempus; & aut aliorum timiditate, aut injuria, aut errore subita quadam indignatione excitari, id magis naturae ingentis, ac perspicacitatis esse videtur, quam aut dissimulare passionem, ut multorum, qui se bonos haberi volunt, mos est, aut omnino non commoveri, quod nulla virtus praestat, sed mores aut callidi, aut hebetes sensus, aut ignari. Non autem subita effervescentia, & repentina quaedam indignatio, quae nemini noceat, est vituperanda, sed potius commendanda. Excitat enim animum, & ingenium solet reddere perspicacius. Haec vitae ratio viri optimi fuit, quam paucis prosequuti sumus, ut ad ea, quae majora sunt, quaeque mihi secundo loco proposueram dicenda, veniamus. Cum adhuc graecis auctoribus Florentiae vacaret, transtulit sermonem quendam B. Basilii, quem habuit ad discipulos instituendos mira dicendi suavitate, ut non traducta oratio, sed a se profecta videatur. Deinde summa eloquentia dialogum quendam edidit, in quo cum primo libro viros praestantissimos doctissimosque Dantem,

Fran-

Franciscum Petrarcham, Johan. Boccacium, eorumque doctrinam, eloquentiam, opera impugnasset; secundo in superioris excusationem ipsorum & virtus laudata est. Et vitam Tiberii & Caii Gracchorum, Paulii Aemilii, Catonis Posterioris, Sertorii quoque, & Ciceronis ex Plutarcho latinas fecit. Sed vitam Ciceronis non tamquam interpres, sed velut a se editam composuit, multa addens a Plutarcho praetermissa. De Laudibus hujus florentissimae urbis edidit librum unum. Transtulit praeterea libellum Xenophontis de Tyranno, ex Platone vero Gorgiam, & Phaedonem, & epistolas quasdam. Ex Aristotele autem Oeconomicam, in cujus explanationem quaedam edidit, ac Ethicorum, & Politicorum libros, in quibus rejecta barbarie pravorum translatorum ita ad verbum fere sententias exprimit, ut facile intelligi queant a Latinis. Insuper Aristotelis vitam scripsit multis ex auctoribus tam Graecis, quam Latinis contractam. Commentaria quoque primi libri Belli Punici ex Polybio Graeco Historico duobus libris expressa reliquit. Ex Procopio Historiam Gothorum quatuor libris complexus est. Volumen quoque Epistolarum; & plura opuscula, velut de Militia, contra Hypocritas nostri temporis, separatim Historiam, multaque praeterea composuit, in quibus dicendi elegantia, & summa ingenii vis apparet. Sed quod sibi summam etiam laudem omnibus afferet seculis, Historia est de rebus Florentinorum duodecim libris scripta. Orsus est eam paulo supra trecentesimum annum, a quo tempore res Populi Florentini certiores ex superiorum scriptis reperiuntur, opus certe luculentum, & quo fama, nomenque Florentinae Urbis in aeternum ad posteros certo, & maximae auctoritatis scriptore demandabitur. Non autem quod proposuerat, ad extremum deduxit. Nam cum constituerat ad haec nostra tempora usque historiam prosequi, bella solummodo, quae cum priori Duce Mediolani gessimus, conscripsit, reliqua perficere conantem mors interrupit. Hujus historiae causa singulare a vobis est ei virtutis praemium constitutum, quod & gratae ob susceptum beneficium Civitatis memoriam praeberet, & alios excitaret ad commendanda gesta ejus Urbis, quae tam memorem se praestaret bene erga patriam meritorum. O Civitatem egregiam! O Rempublicam & summis laudibus extollendam! O dignam maximo Imperio Urbem, in qua

tan-

tanta doctrinae praemia exposita esse videamus! Neque ullam esse rempublicam, ullum populum, ullos Principes, apud quos studiis humanitatis & eloquentiae deditis majora virtutis munera sint concessa, apud quos tantus habeatur optimarum artium studiis honos. Nam cum primum domicilium Leonardus Florentiae elegit, historiamque coepit contexere: civitate a vobis, & certa census quantitate, quae etiam ad filios manaret, in civitate donatus est. Eadem immunitas & Carolo quoque Arretino summa eloquentia, atque sapientia praedito postmodum concessa. Postremo quoque & mihi, licet in doctorum, aut eloquentium numero minime sim censendus. Sed tamen mihi eadem similium studiorum de me concepta opinione idem muneris tribuistis. Leonardi vero, quae ante ad tempus concessa erat, immunitatem in laborum suorum retributionem perpetuam effecistis. Tantum abest, ut hanc Rempublicam poeniteat gratias beneficii reddidisse, ut illud majore liberalitate voluerit esse accumulatum. Ubinam gentium audimus tanta beneficia, Cives, tam propensam in ornandis viris excellentibus civitatem, tanta suffragia eloquentiae studiis impensa? Haec vero praestans humanitate ceteris gentibus communis bonarum artium patria dici debet, & dicendi artis officina, quae humanitatis doctrina praeditos recipit, colit, fovet, & summis honoribus ornat, tum dum spiritum trahunt, tum etiam, dum vita sunt functi. Apud Athenienses olim magna copia fuit scriptorum, qui eorum res gestas suis vigiliis ornarunt, tum Graeci, tum peregrini; sed nullum eorum legimus aliqua ab Atheniensibus suorum laborum praemia publice consequutum. Romanorum facta, & dicta multa praeclara ingenia conscripsere. Ennium tantum civitate donatum accepimus opera P. Scipionis; nullum ex reliquis, cum plures fuerint, comperimus aliquo a Republica munere affectum, cum suam in tradendo posteritati Romanorum memoriam vitam, & operam collocassent. Haec sola inter ceteras urbes, tanquam sapientiae domicilium & studiorum optimorum auctrix admirabili quadam virtute, & animi excellentia Pierum, qui primus ejus gesta suis scriptis in lucem prodere est aggressus, maxima beneficia in vivum, singulares honores in mortuum collocavit, ostenditque, quam accepti ii sibi essent, quorum opera in suo honore, & laudibus versaretur. Magnum

hoc

hoc in reliquis incitamentum ad capessendum id doctrinae genus, in quo qui elaborant, maxima suorum laborum, vigiliarumque sunt praemia consecuti. Major illorum consolatio, quibus civitatis indulgentia fuit tam propensa, ut singuli munere fungerentur maxima civium gloria, quorum nomen reddetur scriptorum studiis, & tali beneficentia immortale. Sed quoniam Leonardus iter nobis ostendit, tum virtutibus suis, tum ingenii praestantia ad laudem, & gloriam consequendam; hortor eos, quorum vitae ratio est a literis aliena, ut ejus virtutem, continentiam, probitatem, caritatem erga patriam imitentur. Licet enim etiam sine litteris civem esse praeclarum, & eum Rempubl. tum consilio, atque opere juvare. Nam & apud priscos illos, & apud posteriores fuere permulti absque ulla doctrina excellenti virtute praediti, qui res & bello, & pace praeclaras magna cum laude gessere. Et cum virtutis laus in actione consistat, continentiam, probitatem, innocentiam, animum in consulendo liberum, in agendo diligentem potius, quam scientiam civitas desiderare, atque appetere videtur. Verum litterae si accedant, minime sunt repudiandae, sed appetendae potius, si desint: quoniam afferunt summum ornamentum earum cultoribus, & ad res agendas doctiores, ac perfectiores solent reddere. Illos vero, quibus Musae sunt cordi, quique bonarum artium studiis deduntur, obsecro, ut eum vitae cursum, quem coeperunt, dicendo, scribendoque prosequi omni conatu, atque animi contentione nitantur, sectenturque illius vestigia, cujus laudes in coelum consensu omnium efferuntur, inprimis autem virtutem colant, & habeant vitae ducem, sine qua & litterae contemnendae sunt, & doctrina omnis videtur esse repudianda. Nam quibus pluris est scientia, quam virtutis indagatio; ii viri evadunt callidi, & perniciosi & tum Reip., tum ceteris inutiles. Longe enim errant illi, a quorum mentibus abest virtus suorum actuum, atque operum moderatrix, doctrinamque ad salutem hominum comparatam, ad perniciem gentium convertunt. Re enim honesta abutuntur ad scelus, & perfidiam, & tanquam virginem castam videntur prostituere in nefarios usus. Itaque omnes, qui viri magni, & ceteris praestantiores esse volunt, nomenque suum reddere clarum; litterarum studiis, & doctrinae exercitia virtutum adjungant, eaque ad Reipubl. & ad singulo-

gulorum utilitatem conferant. Praestat enim indoctum civem esse, quam malum, minusque malus civis rudis, quam doctus, qui rempublicam perturbat, & nocet civitati. Qui autem haec duo etiixe amplectuntur, necesse, ut primum beata vita fruantur, quae virtute & recte factis acquiritur; tum vero assequantur memoriam nominis sempiternam, postremo felicitatem futurae vitae, quae est vera & perfecta felicitas, quamque omnes debemus appetere, consequuntur.



AD-

ADPROBATIONES.

ILlustrissimus, & Reverendissimus Dominus Salvinus Salvinius Canonicus Florentinus videat Librum hunc, cui Titulus: *Leonardi Bruni Arretini Epistolarum Libri VIII.*, & referat, an aliquid contineat, quod Catholicae Fidei, vel bonis moribus adversetur.

Datum Flor. 14. Novembr. 1740.

Julius del Riccio Vicarius Generalis.

ILlustrissimi, & Reverendissimi Domini Vicarii Generalis Florentini demandatae mihi curae obtemperans, cum Librum hunc *Epistolarum*, *&c.* accuratè, diligenterque perlegerim, nihil in ipso offendi, quod vel Christianae Religionis sanctitati, vel bonis moribus adversetur; quare, ut in manibus eat doctorum virorum, luce dignum censeo.

Ex aedibus meis III. Kal. Decembr. A. S. MDCCXL.

Salvinus Salvinius Canonicus Florentinus.

Attenta supradicta relatione imprimatur

Julius del Riccio Vicarius Generalis.

REv. Adm. Pater Thomas Maria Griselli Ord. Praed. Sacrae Theologiae Professor Primarius in Collegio S. Marci Florentiae, & S. Officii Consultor Theologus jussu Reverendissimi Patris Inquisitoris Generalis videat *Libros Epistolarum Leonardi Arretini*, *&c.* & referat, an permitti possit, quod typis mandentur.

Dat. in S. Officio apud S. Crucem Florent. 1. Dec. 1740.

Fr. Franciscus Antonius Benoffi Min. Conv. Sac. Theologiae Magister, Vicarius Generalis Sanctae Inquisitionis Florentiae.

Jussu

JUssu Reverendissimi Patris Magistri Pauli Antonii Ambrogii Generalis Inquisitoris attente perlegi Librum, qui inscribitur *Leonardi Bruni Arretini Epistolarum, &c.* ipsumque dignum censeo, qui publica luce donetur.

Dat. Florentiae in Collegio D. Marci Ordinis Praedicatorum 10. Decembris 1740.

Fr. Thomas Maria Griselli in supradicto Collegio Primus Sac. Theol. Professor, & Sanctae Inquisitionis Consultor Theologus, &c.

Stante superiori attestatione imprimatur

Fr. Franciscus Antonius Benoffi Min. Conv. S. T. Mag. Vic. Gener. S. Inquis.

Carolus Ginori Vidit.

MONITUM.

Errata quae irrepserunt, ita corrigenda. In Epist. ad Lect. pag. 3. vers. 18. in voce *michi* dele litteram *c*. Pag. 5. ejusdem Ep. v. 7. lege *an.* 1535. Pag. 10. vers. 23. lege *Poggius Bracciolinus*. Pag. 13. vers. 24. repone: *Verum etiam Argolici*. Pag. 41. Vitae vers. 21. pro *Diploma* emenda: *Epistola*, eodemque modo paulo infra. Pag. 50. vers. 7. supple: *octuaginta volumina, &c.*

LEO-



LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS.



I.

LEONARDUS ARRETINUS COLUCIO (1) S. P. D.

Quid apud Pontificem (2) egerit, feceritque.



ROMAM veni ad octavum Kal. Apriles, moxque, ut primum licuit, Pontificem adiens salutandique causa, & mei ipsius exhibendi, ab eo perbenigne quidem, ac perhumaniter receptus sum. Quamquam primo statim congressu, ubi me aspexit nullo adhuc verbo a me facto, conversus ad eos, qui

(1) Colucio Salutato Cancellario Florentino, & Leonardi in Studiis Magistro, ac Socio.

(2) Nempe Innocentium VII. Pont. Maximum.

qui proxime adstabant, junior hic est, inquit, longe quam putaram. Haec prima vox illius a me audita est. Post haec ego consueta veneratione illum affatus cum essem, ipseque perpauca quaedam respondisset, resumpsit ea ipsa, quae primo aspectu edixerat. Summa verborum ejus ista fuit: officio, cujus me gratia evocasset, magnum pondus, magnamque dignitatem inesse, nec litteras modo, verum etiam annos flagitare; nam adolescentem ei muneri praeesse vix satis habere dignitatis. In te autem, inquit, caetera me omnia invitant, aetas dehortatur; Sed haec alias considerare licebit. Ita tunc ab illo dimissus sum. Plenum erat auditorium, cum haec a Pontifice dicebantur, diffususque rumor est, quasi ob aetatem impedirer dignitatem nancisci. Quae vox in spem multos erexit, & inprimis Jacobum Angelum [1] familiarem tuum, qui verbum ea de re prius fecerat nunquam, is nunc acerrime petit. Incendunt, ut audio, illum fautores quidam, perturpe sibi affirmantes, si ejus, qui quadriennio jam toto in Curia fuerit, nulla ratione habita, ego absens, ac solo nomine cognitus accersor, praesertim cum ea sit aetate, ut plus quam maturus huic muneri videri possit. Hac ille indignatione percitus, & in spem elatus, cursitat nunc cum fautoribus suis, multosque ad Pontificem hortatores submittit, & quod super omnia molestissimum est, comparationes odiosae ab illis inducuntur. Itaque video fortuna quadam mea fieri, ut cum quo dudum aemulo studiis litterarum Florentiae contendi, cum eodem michi nunc Romae sit de honore, dignitateque certandum. Sed meum quidem factum legitimum est sine cuisquam obtrectatione; illius autem conatum non ambigo tibi improbum, inju-
stum-

(1) Jacobus Angeli a Scarparia in Etruria Filius, de quo saepe in Vita.

stumque videri, totumque ex livore, transversaque invidia proficisci. Nam si locum hunc concupivit, cur non ante adventum meum petierat? Si non concupivit, cur nunc tandem cupit? difficultatem videlicet meam sibi facultatem esse vult, pendentemque me, cui opem ferre oportuit, crudeli inhumanoque impetu ad ruinam impellere. Ego certe, quamquam me novitas ipsa loci, & inconsuetudo hominum, multaque simul alia in hac re perturbant, tamen non deero ipse michi, conaborque, & annitar, ut quamquam aetate me superet, caeteris tamen rebus ipse a me superetur. Vale Romae III. Non. Apriles.

II.

LEONARDUS COLUCIO S.

Quomodo assecutus sit, quod a Pontifice petierat.

SCripsi antea tibi de contentionibus, in quas huc profectus praeter spem, voluntatemque incideram. Postea haec secuta sunt. Pontifex ob eam, quam tunc scripsi causam, ambiguus, differendo, ac procrastinando, neque rejicere plane me, neque recipere videbatur. Fautores adversarii, competitorisque mei multa continuo illi suggerentes, insusurrantesque, ac moleste nos invicem comparantes, incertiorem in dies Pontificem reddiderant. Ita mensis fere totus transactus est. Tandem vero contentiones, & lites, & adversariorum jactantiae, comparationesque illae molestissimae eum finem habuere, ut non modo non graviter ferendum, sed optandum etiam fuerit, & precandum, illas adversus

me intercessisse. Nam cum ferveret maxime id certamen, ac summa jam spe adversarii tenerentur, litterae ad Pontificem ex Gallia venerunt a Duce Biturigensium. Res, qua de agebatur gravissima erat, & maxima, ipsarumque litterarum longa, & elaborata series. Ad has cum respondere Pontifex accuratius vellet, ex Cardinalium sententia michi, competitorique meo negocium mandavit, quasi in hoc ipso utriusque nostrum, judicium facturus. Hic ego letatus michi occasionem praestitam cum illo, ut optabam, in comparationem veniendi, rescripsi uti praeceptum fuerat, biduoque post constituto tempore meae illiusque litterae Pontifici, Patribusque recitatae sunt. Quibus lectis, quantum interesse visum sit, nescio; illud tantum scio, fautores illius, qui tam arroganter illum michi praeferebant, aperte jam confiteri, se falsa nimium opinione ductos errasse. Pontifex certe ipse michi statim gratulatus, rejecto illo, me ad officium, dignitatemque recepit. Haec tibi rescribere festinavi, ut si quam forte superioribus ex litteris molestiam suscepisti, eam nunc tandem tota re cognita omnino deponas. Vale.

III.

LEONARDUS COLUCIO SALUTATO.

Quid illi ex commendaticiis amici literis (1) *accesserit.*

ETsi sciam, quae tu nuper de me ad Pont. Max. scripsisti, ea omnino vera non esse; tamen, fatebor enim ingenue cupiditatem animi

(1) Haec Colucii epistola ad Inn. P. VII. edetur a me inter multas alias ejusdem Colucii hactenus ineditas.

mi mei, gratissima michi illa quidem, & acceptissima fuere. Tanti enim facio judicium tuum, ut vel unius epistolae testimonio universos obtrectatorum impetus, quibus nescio quo meo fato ubicumque sim carere non possum, facile me fracturum esse confidam. Nam tu sic omnia in meam laudem complexus es, ut nullus jam malivolis ad me carpendum relinquatur locus, nisi plane judicio tuo voluerint contradicere. Quamquam nescio, mi jocundissime Coluci, michi ne, an tibi, qui illa scripsisti, plus laudis ex illa tua epistola provenerit. Nam laudes quidem meas ex testimonio tuo homines crediderunt, tuas autem suis, ut ita dicam, oculis intuiti sunt. Lecta est enim epistola tua Pontifici, cum multi honestissimi viri utriusque ordinis adessent, & nonnulli Romanae Ecclesiae Cardinales, quam cum attentissime, & summo cum silentio totam audissent, omnes tandem uno ore ad te laudandum, extollendumque conversi sunt. Te doctissimum, te eloquentissimum, te virorum optimum praedicabant. Movebat eos, ut michi videbatur, gravitas, atque ornatus orationis tuae; sed super omnia movebat illa ingens atque incredibilis caritas, quam te habere erga me perfacile tuis in litteris apparebat: quae quoniam ex vero animo, ac simplici quadam bonitate proficisci videbatur, mirum in modum universis placebat. Itaque aspiciebant me omnes, quasi te ipsum cernerent, & studia illa, atque exercitationes nostras, in quibus tu ceu ferro ferrum acuisse nos dicebas, mente volutabant, applaudebantque amicitiae, & familiaritati nostrae, nec poterant me non aliquid esse putare, quem tu tanto studio laudare non dubitaras. Ex tuis ergo litteris effectum video, ut si qua existimatio erat jam de moribus ingenioque meis apud homi-

v. hinc amplissimis atque ornatissimis verbis laudato (vide Pal. lat. 8, 215)

mines constituta, ea non solum confirmata sit, verum etiam accumulata. Quod si unicum beneficium abs te accepissem, agerem nunc tibi gratias multis verbis; sed sunt tot, & tam ampla, quae in me contulisti, ut si verbis satisfacere velim, stultissimus sim existimandus. Itaque non agam tibi gratias, sed semper habebo, referam vero libenti animo, si quando facultas dabitur. Litteras autem tuas, quarum exemplum ad me misisti, reddendas esse non censui. Nullo enim modo faciendum michi visum est, ut simultas jam sopita, & oblivioni tradita refricaretur. Nam si malo animo in me est, satis in eo punitur, quod de me quotidie audit, & videt multa, quae ipse nollet. Illud etiam quod in principio scripsisti, eum ante omnes fuisse postulatum, profecto caret veritate. Nunquam enim, hoc ego exploratissimum habeo, postulatus, aut petitus, aut requisitus fuit, nisi forte postulationem vocat quorumdam amicorum suorum exhortationes, ut eum locum petere vellet. Qui tamen quantum errarent, paulo post declaratum est, cum ipse per se, ac per amicos petens, nichil omnino praeter repulsam obtinere potuerit. Vale.

IV.

LEONARDUS COLUCIO S.

Certiorem reddit, quomodo bellum Romani Cives cum Pontifice gesserint.

AD litteras tuas accuratius respondebo, cum plus ocii nactus fuero; nunc ista vulgaria transigam. Primum video quid moneas, & sequar consilium tuum, nec quicquam praetermittam.

tam. Pro Religiosis vero illis, qui se in Galliam transferre cupiunt, dabo operam, ut quam cito ad te diplomata perferantur. De situ urbis Romae, si turbationes permiserint, cito, ut spero, te compotem reddam. Salvum rediisse Bonifacium nostrum, michi gratissimum est. De Salutato autem curabo diligenter, ut ita fiat, quemadmodum fieri postulas. Nos sumus hic continenter in armis, atque eo fit, ut minus operae adhibere literis queam. Tanta est enim Romani Populi inconstantia, ac perversitas, nullus ut quieti relinquatur locus. Heri ante lucem egressi Urbe Romani cum quibusdam auxiliaribus regiis Pontem Milvium occupare tentarunt. Turrim super eo ponte nostri custodiunt, ne quis invito Pontifice transire possit: vehementer ibi aliquot horis pugnatum est. Tandem nostris laborantibus subsidio missi equites, Romanos in fugam vertere paucis interfectis, frequentibus vulneratis. Hi in Urbem reversi solita temeritate in Capitolio consistunt, multitudinem convocant. Festus erat dies; plebs ociosa, & vino calens concursat. Sumuntur raptim arma, vexilla promuntur; ad oppugnandas Pontificis aedes ire pergunt. Nostri contra instare, parare tela, cohortari, insistere, expectare forti animo populi impetum; ante Molem Hadriani, quae male pacata nobis est, vallum jacere. Nox denique certamen diremit. Ea nocte vigiliae per totam Urbem factae. Nescio quem finem res sit habitura. Tu gaude; & si quid de Pisis habes, me certiorem face. Vale II. Nonas Augusti ex Urbe CCCCV supra mille.

V.

LEONARDUS COLUCIO S. P. D.

Quomodo Pontifex, civibus quibusdam Romanis occisis ab Urbe effugerit.

SUperioribus diebus ad te scripsi, quis esset status rerum nostrarum.. Deinde haec secuta sunt. Ad VIII. Idus Augusti Romani quidam Cives ad Pontificem venere gratia, ut ajebant, discordiarum componendarum. Hi post multa in auditorio agitata cum re infecta domum redirent, paulo supra molem Hadriani invaduntur. Capti ex iis undecim, nam ceteri in ipso impetu dilapsi evaserant, ad Ludovicum Pontificis nepotem, cujus jussu capti fuerant, adducuntur. Ibi cum multa eis exprobarentur de perfidia in Pontificem, de oppugnatione Pontis Milvii recentissime tentata, de insidiis occultis, de corruptela Regis, illique respondentes pleraque a se recte facta defenderent, exarsit ira Juvenis, ac retundere ora gladio coepit. Denique omnes XI trucidati sunt, ac post caedem ex fenestris aedium praecipites dati. Inter hos duo fuerant ex VII-Viris, quos ad gubernandam Rempublicam Romanus Pontifex creaverat. Ceteri autem VIIII ex primariis civibus, & quod dolendum est, nonnulli ex iis, qui has molestias inferri nobis permoleste ferebant. Hujusce autem rei cum celeriter fama per Urbem vulgata esset, itur confestim ad arma, complentur omnes aditus, clamoribus, & vociferationibus omnia resonabant. Ego paulo ante fiducia eorum civium, qui ad Pontificem venerant, flumen transgressus in Ur-

Urbem ieram. Itaque mox audito tumultu, recipere me ad nostros propero. Caetera igitur Urbis dimensus cum ad pontem Hadriani pervenissem, armatorum ingentem catervam, qui aditum occupaverant, offendo. Stabat ferri acies mucrone corusco, stricta parata neci. Quod ego simul atque prospexi, averso celeriter equo in proximum angiportum desilio, ac mutata veste pedes me turbae admiscens, stationes armatorum incognitus pertranseo. Vix me digresso minister, quem cum equis reliqueram, ab armatis oppressus est, & equi vestesque abducti. Michi vero postquam ad nostros perveni, primum spectaculum fuit caesorum acervus. Jacebant enim media in via sanguine foedati, & magnis vulneribus confossi. Steti horrens, lustravique oculis omnes; quosdam etiam ex iis michi notos recognovi. Inde ad aedes Pontificis ire pergo. Ille miro dolore angebatur. Res enim tota eo inscio transacta fuerat: vir pacificus & mitis, a cujus lenitate nichil est, quod magis abhorreat, quam caedes; & humani sanguinis effusio, maestus se se ac fortunam deplorabat suam oculos ad Coelum tollens, quasi Deum invocaret suae erga Populum Romanum innocentiae. Pontifex igitur circa hoc intentus, nec quid ageret, nec ubi consisteret prae nimio dolore sciebat. Circumstantium autem variae erant sententiae. Alii abeundum confestim censebant, nec impetum Populi Romani tam insigniter laesi irritatique expectandum: esse insuper haud procul ab Urbe Regias copias, quas pro Romanis stare non ambiguum erat. Alii nullo modo abeundum, sed obsidionem tolerandam, auxiliaque ex amicis oppidis accersenda censebant. Erant etiam, qui postera, vel altera die abeundum putarent, ut simul colligendarum rerum spatium esset, simul ut non fuga, sed migratio illa videretur. Duo erant adi-

tus,

tus, quibus ex Urbe Roma ad nos pervadi poſſet: unus per pontem, cui Moles Hadriani ſuperimpoſita eſt, alter per Transtiberim, & Janiculi Collem. Ad Molem Hadriani, quoniam de fide ejus, qui arcem tenebat, dubitabatur, ſtationes noſtrorum militum oppoſitae fuerant, valloque, & aggere in modum caſtrorum munitae. Ad Janiculum moenia erant nonnullis in locis vetuſtate collapſa: haec quoque loca armatis complebantur. Reſiſti ſine dubio poterat contra omnem populi vim; verum quia cibaria paucorum admodum dierum aderant, & Regiae turmae nobis infeſtae adventare nunciabantur, vicit eorum ſententia, qui ſuadebant e veſtigio abeundum: Igitur ſarcinas colligere, & impedimenta componere noſtri contendunt. Quod ubi pro anguſtia temporis factum eſt, primum equitum turma una, deinde impedimenta, pediteſque proficiſcuntur, poſt hos Pontifex cum omni Curialium turma. Extremum fuit equitum agmen, qui aliquo intervallo ſecuti, vim, ſi qua immineret, a tergo repellerent. Supererant quatuor diei horae, cum Urbe egreſſi ſumus. Profecti non ſine magno timore circiter ſecundam noctis horam ad vicum Ceſſianum XII millibus paſſuum ab Urbe pervenimus. Ibi per eam noctem commorati, poſtridie prima luce caſtra movimus, & circiter ſextam diei horam ſutrium pervenimus. Sutrini multitudine extra portas diffuſa, Pontificem alacri vultu receperunt. In hac Urbe, quod reliquum erat diei, ac ſecutam noctem commorati, poſtera die Viterbium conſcendimus. Res quidem ita geſta eſt: nos, ut ſpero, aliquot menſes Viterbii manebimus. Haec tibi ſcripſi leviter febricitans. Marcus familiaris tuus ſalvus eſt: una enim nobiſcum ex Urbe aufugit. Quantum ad eum ſpectat, dabimus operam, ut

quem-

quemadmodum fieri mandasti, ita fiat. Vale. ex Viterbio.

VI.

LEONARDUS COLUCIO S. P. D.

Quae ratio imponendorum nominum fuerit.

QUaesisti ex me, an Hectoris nomen aliud significet, quam Priami filium, & quid Misenus Eolusque designent, quibusve litteris scribi debeant. De quibus ego vix quicquam certi respondere possum, cum libros hic habeam nullos, sed quantum memoria tenere videor, Hector idem significat, quod defensor, sive tutator. Sic est enim apud Platonem in eo libro, qui inscribitur de nomine; Docet ibi Plato haec Heroum nomina non esse vera, sed pleraque eorum a poëtis conficta, ut Hectorem quidem appellatum dicit, quia Urbem tenuerit, patriamque tutatus sit; Astyanacta vero, quia cum Hectoris filius esset, ad eum spectabat imperium Urbis; Asty enim Graece Urbs est, Anax, imperator; inde Astyanax dictus a viris, nam mulieres ut inquit Plato, Scamandrium appellabant. Remotae enim a civilibus officiis, non dignitatis nomine vocitabant filium Hectoris, sed proprio. Agamemnonem dictum quia tolerantiam habuit in bello: aga quidem nimium est, memnon autem tolerans. Adrastum quia rem non confecit Thebanam A enim privatio est tam apud Graecos quam apud nos: drao autem facio, unde Adrasti nomen est factum. Id etiam magis in Hyppoliti nomine apparet. Cum enim hyppos equus sit, lio autem discerpo,

& ab

& ab his nomen ipſum Hyppoliti conficiatur: quis non intelligat, id quidem nomen ab eventu fabulae inditum fuiſſe? Multa praeterea docet Plato in eo ipſo libro, per quae non ſolum res finxiſſe poëtas oſtendit, ſed etiam nomina plerumque affinxiſſe. De Eolo autem, & Miſeno nihil habeo, quod referre poſſim ex alicujus auctoritate. Miſenus tamen ſignificare poteſt odioſum, Eolus autem vietum, & putridum. Haec tibi dicere poſſum, in quibus ſi tibi ſatisfacio bene eſt, ſi non ſatisfacio, incommoditatem librorum accuſa. Vale.

VII.

LEONARDUS COLUCIO S. P. D.

Quo conſilio Homerus nomina rebus perſoniſque tribuerit.

NOn ſatis conſpicuum tibi factum ais, quod ſuperioribus ad te litteris de Hectore ſcripſi, petisque & unde id nomen ductum ſit, & quomodo, apertius explicari, & ſimul admirari videris, ſi id primaevum non ſit, ſed poſtea ab eventu quodam illi viro tributum, ut apud nos Torquati, & Cincinnati, & Africani. Ego autem exiliter porro jejuneque reſcripſiſſe non inficias eo. Sed accidit hoc pudore quodam, quod ad te hominem ea aetate auctoritateque hiſce de rebus ſcribens, quas tibi notiores eſſe puto quam michi, veritus ſum, ne obtunderem auris, ineptuſque fierem, ſi prolixius in iis oſtendendis fuerim commoratus. Itaque velut admonuiſſe & tanquam digito monſtraſſe contentus, non ultra explicui. Sed quoniam illud tibi placere in-

intelligo, parebo equidem voluntati tuae, & quod tunc properatio abstulit, nunc mora resarciet. Primum igitur de Hectore non dubito, quin id sit non proprium nomen, sed a poëta fictum, ut etiam neque de Astyanacte, neque de Hyppolito dubitari potest. Nam, & Astyanactis aliud nomen ab ipso poëta didicimus Scamandrium, & Hyppoliti, quem fabula tradit turbatis distractum equis, nomen hoc ipsum ita designat, ut plusquam manifestum sit ab eventu fabulae fuisse impositum. Nec ulla sane admiratio vel tibi, vel aliis esse debet, si a poëtis fingantur nomina, cum res ipsas fingere illis permittamus, quas constat minus esse in potestate nostra secundum naturam, quam nominum ipsorum impositiones, praesertim cum justa sit ratio nuncupandi, ut est in his ipsis, quae supra memoravimus. Hectoris enim filius, quia spe successionis quasi designatus quidam Rex opinione hominum habebatur, Astyanax a poëta dictus est, adeoque fictum nomen praevaluit vero, ut Scamandrium quis fuerit, nemo sciat, Astyanacta vero omnes cognoscant. Hyppoliti quoque non dubito, si modo quisquam is fuit qui Thesei filius ab equis distractus fertur, aliud nomen fuisse, quod postea ab hoc ficto & adventitio obscuratum deperiit, ut jam nisi Hyppolitum nemo intelligat. Eadem ratio de Hectore est, quod & ipsum a poëta fictum apparet. Dictum ajunt ab eo, quod Urbem tenuerit, quod quia non satis clarum, tibi videri scribis, conandum est lucidius aperire. Tale enim aliquid intelligi volo, quale est Virgilianum illud:

In summa custos Tarpeia Mallius arce
Stabat pro templo & Capitolia celsa tenebat

Tenere enim hoc in loco tueri est, & defendere. Ab hac itaque significatione tractus est Hector. Nam ἔχω graece teneo est, inde Hector verbale nomen

ex eo illi tributum, quod is solus patriam tenuerit contra Graecorum impetum. Patescere jam arbitror quid ipse intelligam; nil tamen vetat enodatius explicari. A poëta enim ipso si quis in hunc modum quaerat: Dic michi, Homere, tu apparatus Graecorum tantos facis, ut mare quidem classibus, terra autem incredibili armatorum multitudine compleatur. Conveniunt Reges cuncti, & proceres ad Trojam oppugnandam: obsident illam, atque circumstant. Quis ergo adversus tantam vim tenere Urbem poterat? In hunc modum si quis roget respondebit Poëta: filius erat quidam Priami Regis maximus natu. Is Dux, & Imperator incredibili virtute contra tantam Graecorum manum Trojam tenebat, atque eam ob rem, cum haec in poëmate describerem, hunc ipsum admirabilem praestantemque virum a tenendo Hectorem nuncupavi, nomenque a re fingendo pertraxi. Quotiens ergo de Hectore scribo, totiens de eo, qui Urbem tenebat sentio. Nec multum admodum interest, Hector dicatur, an is qui Urbem tenebat. Haec igitur, si poëta dicat, liquidissimum erit, quod requiris. At enim, inquies, non solum Hector tenebat Trojam contra tantos hostium conatus, quo pacto enim id posset? sed & alii cum eo perplurimi Troës, & Licii, & Dardani cominus pugnaces. Immo solus, si Homero credis. Quodam enim loco sui carminis cum Hectoris mentionem fecisset, quasi rationem hujus afferret, ita subjunxit; solus enim hic servabat urbem, & moenia longi ambitus, & alio loco inquit: solo stabat Hectore Troja. Nec tamen in hoc ipso mentitum putes Homerum, quia solum dixerit. Nam Imperator in exercitu, ut Aristoteli placet mentis atque animi instar habet; milites vero quasi membra quaedam ipsius, & instrumenta sunt. Ut igitur ne-

neque pes, neque manus, neque dolabra facere opus dicuntur, sed artifex, cujus jussu illa moventur; ita in bello non militum, neque exercitus, sed Ducis Imperatorisque opera sunt. Imperator vero erat Hector. Non ergo superlatione neque jactantia Homerus de Hectore locutus est, quod solum hunc dixerit Trojam servasse, sed philosophia plenus Divina quadam intelligentiae vi ex arcano veritatis ista deprompsit, laudes in re militari ac res bello gestas Imperatori & Duci, hoc est rationi, & providentiae totas ascribens. Vale.

VIII.

LEONARDUS SALUTEM DICIT NICOLAO[1]

Platonem suis dotibus praedicat, & quanam ratione transtulerit ejus libros.

ETsi ego, mi Nicolae, prius quoque vehementer amabam Platonem tuum, sic enim placet michi appellare illum, pro quo tu adversus indoctorum turbam omni tempore pugnavisti; tamen ex quo hunc dialogum ejus latinum facere incepi, tantus michi benivolentiae cumulus accessit, ut nunc amare ipsum videar, prius autem solummodo dilexisse. Cave enim existimes quicquam omnino reperiri posse, quod aut sapientius scriptum sit, aut facundius. Quod quidem ego nunc magis, quam antea intelligo, cum ob convertendi diligentiam singula ejus viri dicta undique conteram, atque olfaciam necesse est. Maximas itaque Colucio pa-

(1) Nicolao Nicolo Patricio Florentino, ac in Graecis litteris doctissimo.

patri, ac praeceptori meo gratias ago, qui injungendo hoc munere tantum michi beneficium attulit; prius enim Platonem dumtaxat videram, nunc vero etiam, ut michi videor, cognovi. Cujus ego libros si aliquando absolvero, & latinos, quemadmodum percupimus, effecero, nae, tu mi Nicolae, quicquid adhuc legisti, prae illius viri majestate contemnes. Est enim in illo plurima urbanitas, summaque disputandi ratio, ac subtilitas, uberrimae divinaeque sententiae disputantium mirifica jocunditate, & incredibili dicendi copia referuntur. In oratione vero summa facilitas, & multa, atque admiranda, ut Graeci dicunt χάρις. Nichil est enim insudationis, nichil violenti: omnia sic dicta sunt, quasi ab homine, qui verba atque eorum leges habeat in potestate, ipsa optima, ac ditissima natura omnes animi conceptus summa cum facilitate venustateque exprimente. Ejusmodi quidem apud Graecos est Plato, quem ego nisi apud latinos quoque talem ostendero; aperte sciant, illum meo vicio deteriorem factum, nec se Platonem legere putent, sed meas ineptias. Verum ego laboraturum quidem me, ne id contingat, polliceor; praestaturum vero non polliceor, non enim auderem talia de me ipso polliceri. Illud certe tibi, nisi fallor, praestabo, ut Platonem tuum sine molestia legas, addo etiam, ut cum summa voluptate legas, quod ut puto neque a Calcidio, neque ab hoc altero, qui bene atque graviter nomen suum suppressit, adhuc tibi praestitum est. Sed illi forsan alia via ingressi sunt, ego autem alia. Illi enim a Platone discedentes, syllabas, atque tropos secuti sunt; ego autem Platoni adhaereo, quem ego ipse michi effinxi, & quidem latine scientem, ut judicare possit, testemque eum adhibebo traductioni suae, atque ita traduco, ut illi

ma-

maxime placere intelligo. Primo igitur sententias omnes ita conservo, ut ne vel minimum quidem ab illis discedam. Deinde si verbum verbo sine ulla inconcinnitate, aut absurditate reddi potest, libentissime omnium id ago; Sin autem non potest, non equidem usque adeo timidus sum, ut putem me in crimen lesae majestatis incidere, si servata sententia paulisper a verbis recedo, ut declinem absurditatem. Hoc enim ipse Plato praesens me facere jübet, qui cum elegantissimi oris apud Graecos sit, non vult certe apud Latinos ineptus videri. His ego fretus, nisi quod tibi pollicitus sum effecero, non recuso equidem, quominus in pistrinum dedar. Sed haec satis. Orationem, in qua laudes Florentinorum congessi, Laudatio Florentinae Urbis inscribi placet, eamque, ut Colucius videat, curabis. Vale. Nonis Septembris.

IX.

LEONARDUS S. D. PANAGATHO.

Gratulatur amico ex captivitate liberato.

NEscio quibus verbis, aut qua oratione uti queam ad hanc immensam animi laeticiam, voluptatemque exprimendam. Tanta est enim magnitudo gaudii, ut omnia verba leviora, frigidioraque videantur. Redditus est michi frater, amicus comes, familiaris, socius studiorum pariter ac voluntatum, atque inde redditus est, unde redditionem ejus jam planissime desperaram. A durissimo carcere, a truculentissima bestia, a manibus immanis tyranni, qui nocentum, & innocentum caedibus pari-

ter inhiabat, michi redditus est. Ab hoc tam crudeli, tamque saevo portento meus dulcissimus, ac suavissimus Panagathos sospes, incolumisque evasit. Abiit maeror, cessavit afflictio, recessit animi assidua aegritudo, neque enim michi poterat esse quicquam dulce, dum is amicus, quem ego plusquam dimidium animi mei semper putavi, in squalore, & carcere injustissime tenebatur. Ah quos ego dolores, quas erumnas perpessus sum? Quotiens Deos atque astra crudelia appellavi? Quotiens justiciam Dei culpavi, quae talia sufferret? Sed, ut inquit ille, lento quidem gradu; jam enim non solum ex liberatione tua laeticiam capio; verum etiam ex ruina hujus novissimi Phalaridis, quae michi in immensum accumulat gaudia. Sed haec satis. Nunc vero mi dulcissime Panagathe, sic enim te magis appellare juvat, nam tantundem significat, & minus habet asperitatis, ut unquam antea te amavi, ita etiam nunc amo; & ut de tua injustissima captivitate summum dolorem accepi, ita de tua justissima liberatione summam capio voluptatem. Et quoniam in hoc loco positus sum, perscrutare quicquid Curia habet Romana: Si quid est quod usui tibi existimes, michi notum face. Ego quicquid mea opera, studio, diligentia efficere possum, in tua potestate esse totum profiteor. Vale.



LEO.

X.

LEONARDUS S. D. NICOLAO.

De reditu Pontificis in Urbem, & quod Colucius alienatus sit a se sine causa dolet.

PErgrata michi fuit diligentia tua, quod libros ad me festive indutos misisti. Sive illos Cerberus, sive Radamanthus ornavit, bellissime se habent. Id tamen admiratus sum, quod sine tuis litteris venere. Pontifex cum universa Curia paulo post recessurus est ad Urbem. Ego jampridem te vocassem cognito desiderio tuo videndi Romam. Iter enim hoc medium confecisses nobis comitibus atque sociis, quod certe voluptati, ut opinor, tibi fuisset; verum ita producta res est usque in hanc diem, ut in ambiguo fuerit, verbis ne dumtaxat, an revera iter esset futurum. Profecto, contra atque fieri solet, in hac deliberatione nostra evenit. Non enim major pars meliorem vicit, sed melior eademque major a minore atque pejore superata est. Ingemiscente enim Curia Viterbio abimus paucorum cupiditate ambitioneque compulsi, & Romam vadimus ad homines praeter quam magnifice quondam a nobis offensos, ingenio quoque ac natura ad res novas proclives. Nec omnino pacata est Urbs; nam intra moenia ipsa Molem Hadriani hostis habet obsessus quidem, attamen habet; qua de re non bene a prudentibus viris video augurari. Nos utcunque tantem res sunt, bono animo erimus. De Colucio autem nostro quo me vertam nescio. Scripsit enim nuper ad Pontificem commen-

dationem de me amplam ſane, ac luculentam. Ego ſtatim perhumaniter, ac verecunde illi per meas litteras de hoc ipſo multis verbis gratias egi, nec praetermiſi ſuperiora ejus beneficia; nichil denique abfuit, quominus illi in benivolentia inſigni etiam cum gratitudine reſponderem. At ipſe quaſi vereretur, ne homines ex illa commendatione ſua pluris me facerent, quam ſat eſſet; ſecundis continuo litteris mirabilem palinodiam cecinit. Nam cum ad eum, quaſi ad parentem queſtus eſſem, quod febriens nec vina, nec medicos, nec aliud quicquam aegrotantibus aptum in hac urbe reperiſſem; abrepta hinc occaſione, quaſi ipſe Zeno, aut Diogenes eſſet, me ut inſanum lacerare coepit, quod videlicet afficerer erga corporis voluptates. Utinam hae voluptates inimicis proveniant meis, ut quotidiana febre eſtuantes vina, & medicos requirant! Quam humanius erat mecum pro noſtra amicitia ipſum quoque quod iis caruerim, doluiſſe? Sed omittamus: ego enim ad eum reſcribens [1] cum plane ſtomacharer, ad hoc ipſum reſpondere nolui, veritus, ne, ſi reſpondere coepiſſem, impetus me ultra, quod vellem, corriperet. Itaque eam traſgreſſus partem alia quaedam levia, quae inepte quidem ejus epiſtola continebat, non abſque aculeis quibusdam inſectatus ſum, & hoc ipſum feciſſe me poenitet. Nam tolerare honeſtius fuit, quacunque mente id agat; praeſertim cum parentis eum loco habuerim hactenus, & habiturus perpetuo ſim. Vale. V. Idus Martii MCCCCVI.

LEO-

(1) Haec Leonardi ad Coluccium epiſtola hactenus inedita ex MSS. Codd. infra lib. X. a me edetur.

XI.

LEONARDUS NICOLAO SALUTEM.

Reintegrari bellum cum Romanis civibus poſt Pontificis in Urbem reditum.

INvitus equidem, quod tibi jam ante ſcripſi, Romam redieram: magis tamen invitus abſcedo. Juvabat enim quaecunque eſſet rerum conditio, una cum reliquis eandem fortunam ſubire. At imminentibus copiis hoſtium, & creſcente in dies metu, Pontifex me auxiliorum convocandorum cauſa in Picenum & Gallicum agrum dimittit. Qua in re cum cetera ſint moleſta, illud tamen me juvat, quod te videre ante reditum ſpero. Vale. Romae VIII. Idus Aprilis.

XII.

LEONARDUS NICOLAO.

Dolet propter amicum vita defunctum.

HEri cum Arimino proficiſcens Caeſenam verſus contenderem, nunciatus eſt michi obitus Colucii noſtri optimi ac ſapientiſſimi viri, quo ego audito ita mente concidi, ut poſt longum ſpacium vix me recipere valuerim. O me infelicem qui tali parente orbatus ſim! Atqui ego cum Pontifex me in hanc legationem dimitteret, quanquam iter erat moleſtum; tamen ea de cauſa

id munus suscepi, quod sperabam, idque cum eo pepigeram, me confecto negocio Florentiam venturum, & aliquot dies voluptatis causa apud vos moraturum. Nunc, ut video, non ad voluptatem, sed ad luctum venturus sum. Nam quomodo siccis oculis plateam illam, quomodo publicas aedes, & templa Florentiae Urbis potero intueri, in quibus cum illo praestantissimo viro sum diutissime conversatus? Quomodo te, ceterosque familiares conspicere, quos non immerito lugere conjecto? Sed finem scribendi faciam. Impedior enim lacrimis. Volo autem, ut me Bonifacio, ac ceteris filiis, itemque Joanni nepoti totum offeras, Cum enim pater illorum michi pro parente fuerit; decens est, ut filios ipsos pro fratre colam. Vale IIII. Idus Maii ex Mutiliana MCCCCVI.

XIII.(1)

LEONARDUS NICOLAO MEDICI (2).

Amicum monet de reditu suo in Urbem.

STatueram ad te nichil scribere, antequam Romam rediissem; Sed cum Laurentius Cremonensis vir persamiliaris, & studiosus tui hodie michi occurrens, nunquid ad te vellem, rogaret; nolui ipsum omnino vacuum dimittere litterarum mearum. Scito igitur me jam multos dies Viterbii com-

(1) Hanc Epistolam, quae in Fabriciana Edit. deest, sic ex Edit. Brixiensi, & MSS. Laurentianis, Riccardianis, Benedictino, ac Gualteriano hic de more exhibuimus.

(2) Viro Cl. quem praeceptor domi assiduus erudierat Aretinus. Ita de eo Blondus in Ital. Inlust.

commoratum. Nam iter sic infestum latrociniis & hostilibus incursionibus fuit, ut tuto transire posse desperarim. Nunc vero quoniam induciae quaedam cum hostibus factae dicuntur, licebit iter arripere, quod faciam hodie, ut spero. Ex Urbe Roma prolixius ad te scribam. Vale II. Kal. Julias.

XIV.

LEONARDUS SALUTEM D. ANTONIO GRAMMATICO (1).

Fastidio verbum quid apud autores significet.

REm supervacuam postulare videris, & actum; quod est contra proverbium, agere. Nam cum in tanto conventu hominum, tantaque celebritate ex mandato Pontificis sententia dicta sit, nichil omnino relictum puto, de quo quisquam super ea re jure possit ambigere. Quamquam & antequam judicaretur ejusmodi erat haec vestra disceptatio, ut nulli, qui modo aliqua legisset non ridenda illa quaestio videretur. Etenim quis nisi omnino rudis, & ab omni doctrina penitus alienus dubitandum putaret, quid de natura, aut significatione alicujus verbi tenendum sit, quod videat apud excellentissimos latinae linguae Autores, quemadmodum significet, frequentissime declaratum? Omnes qui in arte Grammatica unquam scripserunt, quotiens de significatione verbi, vel constructione dubitatum est, ad

 viro-

(1) Patriâ Mediolanensem fuisse patet ex epistola Libri VII. Alibi tamen Cremonensem nominat, sicut etiam Poggius, cujus nonnullae epistolae hactenus ineditae ad Antonium Cremonae, vel Cremonensem Virum Cl. a me in hac syl. loge in lucem proferentur.

virorum doctissimorum scripta confugiunt, atque ex illorum usu, quo pacto nobis utendum sit, firmissime tradunt. Quid enim Priscianus Caesariensis in libris suis aliud docet, quam quemadmodum eruditi homines latinis verbis sint usi? Hoc ejusmodi est: quamobrem? Sic enim Cicero in Protagora, sic Plautus in Asinaria, sic Lucanus in Sexto. Nonne cum ex istorum, aut caeterorum autoritatibus confirmavit, & sibi, & aliis satisfecisse arbitratur? Idem apud Graecos facit Aristarcus, idem caeteri omnes, qui hanc artem tractavere, & recte. Cum enim arbitrium jus, & norma loquendi penes usum consistat; quis efficacius, quam doctissimi, & elegantissimi homines, & in dicendo maxime comprobati possunt de hoc usu testimonium perhibere? Indoctorum enim corruptela, non usus loquendi appellandus est, sed abusio. Cum igitur legamus, *fastidientis stomachi est*, & rursus: *olufcula quae nunc squallidus in nigra fastidit compede fossor*, & *invenies alium si te hic fastidit Alexis*, & *coelestes delicias fastidire*, &, *si sciret regibus uti, fastidiret olus, qui me notat*, & millia hujuscemodi apud probatissimos autores scripta; quid jam relinquitur, quod de natura, aut significatione hujus verbi *fastidio*, nisi cum summo audientium fastidio disceptari possit? Si apud unum dumtaxat ex iis, quos memoravi, hoc verbum sic constructum reperiretur; tamen propter autoritatem scribentis approbandum censerem. Cum vero apud omnes eodem modo reperiatur, quis nisi stultus, & arrogans jam improbabit? Quod si nullam rationem inveniremus, cur ita diceretur; tamen ipse usus excellentium virorum pro ratione esset habendus. Nunc vero cum praeterquam quod omnes hoc modo videmus locutos, etiam ratio evidens sit, cur ita dicatur; nullus omnino

nino repugnandi relictus est locus. Nam cum fastus elationem animi per despectum significet, clarum est illum fastidire, qui per hujusmodi fastum aspernatur, & despicit. Non igitur carnes fastidire te possunt, cum inanimes sint, nec in illis cadat hujusmodi elatio. Aliud est enim fastidire, aliud fastidium parere, Parit enim fastidium res, quae me per saturitatem, vel alium quemvis modum ad aspernandum inducit. Ipse vero animus, qui aspernatur, & quasi ab ea re se contrahit, & quodammodo abhorret, fastidire dicitur. Sic Coridonem Alexis per fastum, id est per elationem animi fastidiebat. Sic C. Marius L. Syllam fastidivit quaestorem; Sic qui sciret regibus uti, fastidiret olus. Quod nonnulli parum intelligentes, nec subtiliter discernentes, ista duo confundunt, praesertim cum a vulgari consuetudine loquendi mentem nequeant avocare. Sed certe, ut ei qui recte edificare velit lapides ad filum redigendi sunt, non filum ad lapides; sic ei, qui recte loqui curat, non intellectus ad verborum struem, sed strues ipsa verborum ad intellectum est referenda. Hac igitur ratione, & simul superiorum autoritatibus motus te victorem in hac controversia judicavi, atque etiam hodie judico, & adversarium illum tuum, qui te vestigia, autoritatesque antiquorum imitantem, minus congrue loqui contendit, rudem, atque improbandum esse dico. Vale.



LEO-

XV.[1]

LEONARDUS NICOLAO S.

Amicum monet de sententia a se lata, epistolaque ad illum missa.

MItto tibi exemplum ejus epistolae, quam me per tuas litteras flagitasti; ridebis opinor legens; sed longe magis risisses, si stultitiam Romani populi duobus grammaticis faventis conspexisses. Commiserat enim michi Pontifex, cum jam ad ipsum studia partium non secus, ac seditio quaedam urbana pervenisset, ut causa per me cognosceretur. Fastidiosus ergo judex fui, & cum fastidio de *fastidio* disceptavi, illorum fastidiens ineptias, qui per fastidium veram sententiam fastidiebant. Vale. Romae. Kal. Augusti.




LEO-

(1) Hanc, quae in Fabriciana deest, sic ex vet. Edit. & MSS. damus.



LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM

LIBER SECUNDUS.



I. (1)

LEONARDUS NICOLAO S.

Quibus rebus maximarum laudum materia praebeatur ſcriptoribus.



NEgocia Lupi noſtri de quibus ſignificari tibi jam ſaepius me per tuas litteras monuiſti, ſcias plane his proximis diebus eſſe confecta: poſtulatio enim, quae michi illius nomine tradita fuerat, nobis deprecantibus per Pontificem admiſſa eſt. De qui-

(1) Haec epiſtola in vet. edit. nonnullisque Codicibus eſt ultima primi Libri.

quibus ad ipsum scribo latius, quae litterae, ut ei reddantur, curabis. Quod autem de Colucii laudatione significari tibi postulas, procedit sane opus satis, ut michi videtur, luculente. Verum quia institutus sic fuerat sermo, quasi in ipsius viri funere secundum antiquum morem ejusmodi haberi videatur oratio; saepe mecum ambigo, an praestet totam dicendi rationem sic mutare, ut fictionem in re presertim seria evitemus, nec lachrymis, & lamentationibus ei tempori congruentibus impediamur multa, quae relatu digna forent, referre. Tempori enim ut nosti, inserviendum est, nec jocunda tristibus satis concinne admisceri possunt. Itaque si rationem dicendi mutavero, videor paulo ampliorem campum ad dicendum habiturus. Nam quod de prolixitate orationis me admones, idem michi quoque placebat sicque institueram. Sed nichil fas esse duco te a me celari: amicus enim ad amicum loquor, id est ipse ad me. Stamina ipsa, & fila nescio ob rei ipsius de qua agitur, vel ingenii, vel utriusque simul paupertatem mirifice me destituunt ad id, quod exorsus fueram, pertexendum, atque ut ego nunc video, & ut tu clamare plerumque soles, nos plane hoc tempore homunculi sumus, quibus etsi magnitudo animi non deesset; materiam certe deest ad nominis atque gloriae amplificationem. Marcum Claudium Marcellum Siracusae captae, Nola defensa, Hannibal repulsus, & multis secundis proeliis superatus, Consulatus V, Proconsulatus II, Caesus dux hostium, & opima Feretro Jovi suspensa spolia, Triumphus, & Ovatio celebrem reddunt. De Marco Portio Catone Syllae trucidandi consilium, Tribunatus militum, Aerarium purgatum, thesauri Cipro devecti, contentiones tribunitiae, contiones infestae, repulsa Consulatus, Praetura urbana,

bana, civile bellum, & ferro prius, deinde manu impetita viscera latam ad scribendum Ciceroni nostro praestiterunt materiam. Agesilai vero, quem laudat Xenophon, Herculis posteritas, Lacedaemonis imperium, magnificae res gestae, innumerabilia per Asiam, Graeciamque trophoea, puellaris verecundia, & probata per omnem aetatem castitas memoratur. Possum infinitos pene referre de nostris ac Graecis illustres viros, quorum latissime sunt res gestae diffusae. Nos autem hodie quam in angusto versamur? Quid enim nunc referam? aut quid dicam? magistratus ne in urbe vel extra urbem gestos? At me quam magnifici hi magistratus sint, valde poenitet. An res bello gestas? Apud Pociole credo memorabilem editam pugnam, aut tu legere poteris absque risu, aut ipse ego, si compos mentis fuero, describere audebo. Contentiones populares nullae sunt, leges perlatae nullae, decreta etiam nulla, mores dumtaxat, & humanitas superest. Tamen in illis ipsis, nisi aliqua insignia liberalitatis, humanitatis, prudentiae, severitatis, constantiae supra consuetudinem egregii ac rari exempli edita facinora extent, satis copiose laudari non possunt. Universi quidem generis laus parum habet momenti, nisi ad singularia descendis. Singularia vero, qui admirabilia videri possunt, nisi sint egregia, & rara, velut Fabii subventio pro salute Minutii ab hoste circumventi, quo uno facto summus ille Imperator tres maximas victorias consecutus est: vicit enim se ipsum, vicit inimicum, vicit hostem; Velut Marcelli humanitas, & magnitudo animi, qui fasces deposuit consulares, ut accusatoribus Siracusanis apud Senatum conquerentibus par esset. In his atque hujusmodi laudandis prius mehercule charta atque atramentum michi deforet, quam oratio. Nos vero quid

simile

simile aut par? Quid egregium aut admirabile praeter studia, & litteras? Itaque me in illis jactabo immodice, & tamen caetera diligenter perquiram, & colligam, quo prolixitas impleatur. Vale.

II.

LEONARDUS FRANCISCO PRINCIPI CORTONENSIUM (1) SALUTEM P. D.

Qua mortis morbique specie interierit Innocentius Papa (2).


VArie delatam ad te famam de Innocentii morte non equidem admiror. Quippe & hic apud nos in loco ipso atque adeo in ipsis aedibus, quibus ipse diem obiit, varia varii suspicantur opinanturque; plena est enim malivolorum Curia. Alii confestim putant, quae vellent mala, alii per calumniam, & quae non putant, diffundunt. Michi vero quantum ex his, quae aspexi, judicare licet, nequaquam dubium est illum natura interiisse. Quid enim aliud putem de homine, qui & supra septuagesimum aetatis annum, & valitudine fracta ac misera fuerit? Neque enim nunc primumvis morbi in illo, sed jampridem erupit. Nam praeterquam quod pedibus aeger, & lateris dolore nonnunquam cruciabatur, bis apoplexia, quod quidem scierim, correptus est, Romae primum levius,

dei-

(1) Ab aliis Dominus Cortonae dicitur, interfectusque fuit Mense Octobri an. 1407. jussu Loisii ejus Consobrini. Vide Sozomenum.

(2) Innocentius Papa VII. die V. Novembris an. 1406. Romae diem obiit maxima infirmitate oppressus. Ita Sozomenus. Alii die festo defunctum malunt.

deinde Viterbii gravius, cum in auditorio sederet. Quo quidem in loco nisi aliquot familiares circa illum fuissemus, qui accurrentes suscepimus, spectante multitudine de sella in caput volvebatur. A nobis tunc in cubiculum relatus semianimis plane atque elinguis, nonnisi longa medicorum cura demum evasit, si id est evadere, mortem differre. Per Martium inde mensem Romam regressus, quandiu aestas caloresque fuerunt, non improbe se habere visus est; vergente mox in hyemem anno, rursus corruit, atque interiit. Illud modo interfuit, quod prima illa Viterbiensi aegrotatione linguam sic impeditam habuit, nichil ut exprimere non ridicule quiret. In extrema vero ipsa qua defunctus est, nullum linguae impedimentum apparuit. Praeterea in prima illa difficilis, & morosus, in hac perfacilis, ac perhumanus. Quadriduo ante obitum ejus tabellarios Florentini Populi, qui captas tunc primum Pisas attulerant, in cubiculum ad eum perduxi, cum quibus ita prospere locutus est, nullo ut premi morbo videretur; tanta vero patientia, & humanitate, ut pedem ex lodice nudum proferret, quo illi oscularentur. Interiit autem Romae apud Basilicam Vaticani, corpusque ejus post funebrem pompam in eadem Basilica sepultum est. Vale.



LEO-

III.

LEONARDUS FRANCISCO PRINCIPI CORTONENSIUM S. P. D.

Describit quomodo Pontifex [1] *in locum Innocentii electus sit.*

QUod flagitas, ut ad te scribam de actis nostris, est michi quidem non satis ocii ad singula exaranda; attamen percurram, quae magis cognitu digna videbuntur. Post Innocentii mortem, funusque de more illi peractum, longa Patrum deliberatio fuit, supersederent ne electione, an alium in demortui locum Pontificem crearent. Faciebat vero dubitationem, quod Principes Galliarum, quorum, ut scis, populi diversa sectantur; Pontificem suum, quem Benedictum vocant, strictis promissionibus adegerunt se se abdicaturum esse; sive Cardinales nostri supersederent electione, sive Pontifex ipse item se abdicaret, quo utriusque Collegio in unum conveniente, unica indubitati Pontificis sequeretur assumptio. Sancta certe provisio Principum Galliarum, & a cunctis fidelibus merito commendanda. Neque enim finem ullum inveterati schismatis sperare licebat, si de jure disceptaretur: praesertim cum praeter Deum judicem ea causa nullum haberet. In hac igitur consultatione, cujus tu & causas, & respectus jam cernis, occupati Pa-

(1) Gregorius XII. natione Venetus mense Novembris (die nempe 30.) eligitur in Papam qui septuagesimum annum agens prius dicebatur Angelus Corrarius Cardinalis Aquilejensis in sacra pagina peritissimus, & homo justus reputatus. Ita Sozomenus.

Patres, quid utilissimum esset haud facile statuebant, propterea quod in supersedendo, & seditionum metus, & longior temporis delatio, & frustratio adversarii, & hujusmodi multa timebantur, & in eligendo voluntas ejus, qui assumptus esset, formidabilis videbatur. Vicit tandem eorum sententia, qui eligendum quidem Pontificem suadebant, sed validissime obligandum, quo adversario se abdicare volente, ipse quoque Pontificatum dimitteret. Ea mente jam Conclave ingressis, supervenit Joannes Dominici (h) a Florentinis Orator. Huic postulanti contra consuetudinem fenestella Conclavis aperta est, & alloquendi Patres facultas permissa. Summa Orationis ejus ista fuit: missum se a Florentino Populo, ut Patres cohortaretur, electione supersederent; eam quidem esse certissimam viam unionis consequendae. Haec multis verbis, magnaque facundia homo dicendi exercitatissimus cum egisset, Patres per se ipsos ferventes magis incendere visus est. Itaque responsum a Patribus est, quando jam Conclave intrassent, electuros quidem, verum ita provisuros, ut electus qui fuerit, procuratorem potius ad deponendum Pontificatum, quam Pontificem se factum intelligere possit: id enim jampridem se constituisse, atque ea mente Conclave ingressos. Finito in hunc modum colloquio, suum ad negocium Patres revertuntur. Cautio ab illis haec adhibita est: unusquisque Patrum promisit solemniter, ac Deo vovit, & jurejurando sanxit, si sibi contingat ad Pontificatum sumi, adversario Pontifici statim scripturum, invitaturumque ad se se invicem abdicandos; procuraturum insuper omni via, & modo uni-

(h) Beatus Jo: Dominici de Banchinis Florentinus Ord. Praed. qui post a Gregorio XII. Archiepiscopus Ragusinus, inde Cardinalis Titulo S. Xysti Lucae an. 1408. renunciatus est.

unitatem, idque bona fide, sine ulla fraude promissionem, & votum, & jusjurandum quod ipse praestitisset, omnibus Regibus, Principibusque per suas litteras primo quoque tempore significaturum, quo eos testes haberet obligationis suae. Ea multis solennibusque verbis cum in libellum redegissent, & chirographa singulorum confecta essent, agitare posthac de electione coeperunt. Vir quaerebatur non tam peritia rerum gerendarum, quam fide integritateque idoneus. Quippe ad bene agendum in hac quidem re non calliditate consilii, neque profundo, arcanoque pectore, sed bona voluntate opus fore videbatur. Ita animati cum singulos perpenderent, tandem in Angelum Corrarium natione Venetum mentem consensumque omnes verterunt (1). Is fuerat paulo ante opera Innocentii Pontificis inter Patres adscitus, cum ante titulo tenus Patriarcha Constantinopoleos haberetur, vir prisca severitate, & sanctimonia reverendus. Is ergo Conclavi egressus, promissionem, votum, & juramentum, quae privatus fecerat, nunc in potestate constitutus iterato novavit, atque ita loquitur de unione, ut si caetera desint, pedibus, & baculo se se iturum ad eam conficiendam asseverat. Nos opera videbimus, & certe spes bona superest ob eximiam hujus viri integritatem. Praeterea tanta est omnium ad hanc rem conspiratio, atque ita erecti cunctorum animi, ut si tergiversari voluerit, nullo modo sint permissuri. Vale.

LEO-

(1) De Gregorii XII. electione pulcherrima Jacob. Angeli epistola ad Emanuelem Chrysoloram adservatur in Bibl. S.Crucis, de qua tom. I. Mus. Ital. Mabillonius; eamque in hac sylloge producemus.

IV.

LEONARDUS NICOLAO S.

Ocii negociorumque rationem reddit amico.

SExcentarum epistolarum tibi debitor sum, & quidem jam antea sic in mora constitutus, ut vix illa purgari posse videatur. Sed tibi etiam atque etiam videndum est, utrum praestet solutionem hujus debiti particularem recipere, an dum totam summam persequeris, totum amittere. Hoc igitur quoniam te malle opinor, his tabellis partem dissolvam, reliqua deinde alias, quoad datorum receptorumque fiat ratio par. Illud ante omnia praemisisse velim, quoniam de morte successoris Colucii per tuas litteras admones, me, nec si praesens essem, candidatum profiteri velle, nec absentem cupere, ut meum nomen per suffragium edatur. Satis enim michi est honoris quicquid est, locumque teneo pro aetate honestissimum non ambiendo, neque petendo quaesitum, sed ultro a Pontifice Maximo oblatum. Hic ego michi vivendum puto, atque, eo magis, quod bona spes habetur, hanc pestiferam divisionem e medio sublatum iri. Erecti sunt enim cunctorum animi post Innocentii mortem, & qui ante mussabant, nunc palam unitatem efflagitant. Novus Pontifex depositis contentionibus adversario scripsit, benigne illum ad pacem invitans, seque paratum offerens, si ille hoc idem facere velit, Pontificatum abdicare, quo unica Romani Pontificis sequatur electio. Harum literarum, cum de industria cunctis his, qui peritiores habentur, mandata cura fuis-

 set.

ſet, tandemque ſcripta ſeorſum cujuſque Pontifici, Patribuſque recitarentur, Arretina Civitas, quam nonnulli contemnendam putant, judicio omnium palmam tulit, junior inter ſeniores, nova inter veteres, ac diu exercitatos. Expectarem ut haec ab aliis audires, niſi tu quoque jam me plus aequo contemnere videreris, qui me lethem potaſſe ſcribis, & inter Curiales occupationes bonarum artium ſtudiis decoxiſſe. Atqui nullae unquam de majori re a Pontifice ullo ſcriptae fuerunt, nec aut gravior, aut inuſitatior materia unquam extitit, & in qua ſingulae pene ſyllabae attentiori examine diſcuterentur. Non poſſunt omnia mandari litteris, & ſimul feſtinat tabellarius, ac ex tempore michi ſcribendum eſt. Quod vero flagitas, ut laudationi Florentinae Urbis, quam nuper edidi, nunc parta victoria, Piſiſque in ditionem adactis hanc partem adjungam, ego quoque faciendum cenſerem, ſi curſum victoriarum non longius proceſſurum exiſtimarem. At ego majora expecto, ni fruſtra augurium vani docuere parentes. Quare hiſtoria opus erit, & ſi ſapiunt cives tui, docto alicui demandabunt. (1) Mitto unam ex Demoſthenis Philippicis, quam proximis diebus interpretatus ſum. Tu vide, an ea interpretatio hominis, qui longa potarit oblivia, videatur. Aliam vero orationem famoſam, ſcilicet illam pro Cteſiphonte, quam habeo in manibus, ſi haec non diſplicuerit tibi, alias mittam. Nunc iſtam habe deguſtationis loco. Vale Romae X. Kal. Jan.

LEO-

(1) Hae provincia functus eſt V. Cl. Mathaeus Palmerius in Comment. de Captiv. Piſarum, & poſt Palmerium ſcripſit etiam de Bello Piſano Bernardus Oricellarius.

V.

LEONARDUS NICOLAO S.

Quando narratione opus sit, quando non, in caussis.

ORationem Demosthenis, quam proximis diebus, cum per vacationem Romanae Sedis ipse quoque ab occupationibus vacarem, ex Graeco interpretatus eram, puto te jam legisse, & praeterea tua diligentia omnem ejus vim studiosissime annotasse. Sed tunc cum illam ad te darem, oblitus sum aliquid praefari, ac praemittere, quo tibi ejus cognitio clarior ac dilucidior esset. Itaque nequaquam mirarer, si te, & de Diopythe, & Cheroneso, & de totius rei serie dubietas quaedam haberet; res enim apud nos minime celebris est, nec eam narrat orator, illa, ut opinor, de causa, quod tunc in consultatione explicata, omnibus nota, atque aperta erat, ut est etiam apud Ciceronem nostrum ibi: *parvis de rebus, sed fortasse necessariis consulimur P. C. de Appia via, & de Moneta Consules, & de Lupercis Tribuni plebis referunt*. Vides hic per oratorem nullam rei notitiam praeberi, quod omnia fuerint ante in consultatione explicata. Quamquam alias aliter; ut de Imperatore deligendo post principium ait: *bellum maximum, & periculosissimum vestris sociis, atque vectigalibus a duobus Regibus Mithridate, & Tigrane*, & caetera usque illuc ubi dicit: *causam quam sit videtis, nunc quid agendum sit considerate*, ubi de narratione ad partitionem sermo traducitur. Credo satis notum fuisse Populo Romano Mithridaticum bellum, tamen narrare

rare libuit. Quod tamen non ex necessitate facere ostendit cum dicit, *atque ut inde oratio mea proficiscatur, &c.* ubi manifestum est magis ad ordinem causae, quam ad necessitatem hujusmodi narrationem accommodari. Sed haec omittamus. Quando enim supersedendum sit narratione, & Cicero ipse docet, & is qui dicturus est, ex temporis, & causae, personarumque opinione peritiaque judicabit. Ut autem ad illa veniam, quae tunc praetermissi, cum pax pro Philippo esset Atheniensibus, nec secura tamen, nec tuta, missus est Diopythes cum delectu civium, qui Cheronesum habitarent. Id erat quasi coloniam deducere, veluti apud nostros Fesulas a L. Sylla, & Bononiam a Scipione sunt Coloniae deductae. Accipiebant hi, qui deducti erant, arma & viaticum ex publico, & agri portio viritim assignabatur. Cum igitur Diopythes in Cheronesum venisset caeteris ejus regionis hominibus haud cunctanter colonos recipientibus, sola Cardianorum civitas recusavit. Ob quam causam cum bello a Diopythe lacesserentur, accito Philippo se se per illius auxilia defenderunt. Hoc Diopythes indigne ferens maritimam Thraciae regionem, quae Philippo suberat, depopulatus est, atque se inde propere in Cheronesum recepit. Querebatur ergo Philippus, & pacem esse ruptam praedicabat, seque ulturum hujusmodi colonos per litteras suas Atheniensibus missas comminabatur. Ea de causa concio habetur, & ad populum de ea re publice refertur. Dicuntur graves in Diopythem sententiae, & ab iis maxime, qui Philippo favebant. Demosthenes vero Diopythem defendit, & ad bellum adversus Philippum cohortatur, quod quibus rationibus faciat legendo discitur. Cura ut valeas mi suavissime Nicolae. Romae II. Kal. Januarias.

LEO-

VI. (1)

LEONARDUS NICOLAO S.

Nicolaum rogat, ut pro amico Gellii codicem transcribi curet.

PEtrus Miamus vir jocundissimus, & in primis bene litteratus vehementer cupit Noctes Atticas sibi Florentiae transcribi. Itaque mecum egit, & quotidie agit, ut tibi hoc negocii dem. Sperat enim per tuam diligentiam commodissime fieri posse, ut scriptor, & exemplar reperiatur, & studium adjungatur ad illas recte, & celeriter perscribendas. Nummorum autem quicquid vel pro chartis, vel pro scriptore opus fuerit, exsolvetur. Id ut tibi praesto sit, apud mensam Joannis Medicis providit. Hoc amici mei negocium ut suscipias, ac tua solita diligentia cures, etiam, atque etiam rogo. Vale. Romae VI. Kal. Aprilis MCCCCVII.

VII.

LEONARDUS FRANCISCO PRINCIPI CORTONENSIUM S. P. D.

Quod duo Pontifices conati sint unitatem Ecclesiae facere, quidam autem restiterint.

POstquam alias ad te litteras dedi de unitatis negocio, haec subsecuta fuere. Pontifex noster statim ab initio adversarium (2), uti promiserat,

(1) Haec quoque deest in edit Fabriciana, quam nos ope edit. Brix. & Codd. MSS. ita edimus.
(2) Benedictum XIII.

ſerat, per litteras invitavit ad Pontificatum ſimul deponendum. Ille tandisdem ferme ſyllabis ad eum reſcripſit, eadem invitatio fuit, eademque cohortatio: locus deinde neceſſarius viſus eſt, in quo & Pontifices ipſi, & Collegia convenirent. Ad hoc Savona pari conſenſu recepta eſt, urbs medio ferme ſpatio, & tam mari quam terra acceſſibilis. Proſpere hucuſque, & plane, ex ſententia. Deinde turbationes ſuborte graves, cunctaque ſuſpicionibus referta. Neceſſarii enim quidam propinquique Pontificis poſt aſſumptionem ad ipſum confluentes ſuſpitionem apud multos pepererunt, quaſi voluntatem prius rectam inflectere conentur. Accedit quoque Ladislai Regis deteſtandus conatus. Cum enim Regnum Siciliae ad ſedem ſpectet Romanam, & in hac diviſione noſtri quidem Pontifices Ladislao, diverſi autem Ludovico Andegavenſium Duci id Regnum conceſſerint, ac certamina ea de cauſa fuerint permagna, in quibus tandem Ladislaus praevaluit, Regnumque ſolus poſſidebat; vêretur nunc, ne abdicatione facta, & utroque Collegio ad electionem coëunte, Gallicus forte aliquis ad Pontificatum ſumatur, qui favorem in regno obtinendo ad Ludovicum convertat. Hac itaque ſuſpitione permotus, omnes machinas adhibet ad unitatem impugnandam. Quod quidem factum Patribus, ac bonis omnibus ita moleſtum eſt, ut ad ſummum odium Regis nomen perveneric. Nam illi quidem ſatis cautum erat ex formula ipſa, qua providetur, in cunctis dignitatibus, ubi plures a diverſis electi reperiuntur, poſſeſſori dumtaxat jus fore. Itaque ſuſpicantur quidam, non tam eo metu Regem moveri, quam id arcane moliri, ut per diviſionem perpetuam Sedes Romana imbecillior maneat, ac nunquam in formidabile robur integrata evadat. Quicquid tandem

cum

eum moveat, aperte renititur, adeoque proficit, ut Saona communi consensu ad conventum delecta jam jam respuatur. Quo quid ignominiosius Italico nomini accidere possit, non equidem video. Oratores ex Gallia permulti quotidie ad nos: invitant, hortantur, excitant. Nos plane dormimus, nec quemadmodum fiat hoc tam sanctum opus, sed quomodo non fiat cogitamus. Habes acta nostra, quae quoniam ad te liberius scripsi dolore quodam permotus, occule queso has litteras, ne in aliorum perveniant manus. Vale Non. April. MCCCCVII.

VIII.

LEONARDUS FRANCISCO PRINCIPI CORTONENSIUM S.

Quo pacto Urbem Romam hostis ingressus sit noctu; quoque modo expulsus.

SCripsi nuper quid homines suspicarentur de Regis voluntate. Postea res insecutae cuncta etiam, quae prius obscura videbantur, magis patefecerunt. Regis enim copiae ingentes conjunctis sibi Romanis exulibus ad duodecimum lapidem via latina convenisse, atque inde ad Urbem occupandam venturae dicebantur. Erecta eo metu civitas confestim ad Pontificem decurrit, periculaque ostentans providere jam inde precabatur. Ille negare sedulo adventare quemquam, totumque rumorem hunc a malivolis fictum dicere, ut suspitiones, discordiaeque majorem in modum augerentur. Haec Pontificis asseveratio, quoniam ex vero proficisci animo videbatur, fidem multitudini fecit. Itaque nichil quasi sub-

esset

esset periculi, domum reversi cives positis armis quieverunt. Haec dicta fuerant ad vesperas. Eadem illa nocte de prima statim vigilia Regis [1] milites quidam, exulesque Romani per vaste solitudinis loca muros intrarunt; refracta deinde proxima porta aditum equitibus patefecerunt. Ad horum ingressum clamor sublatus per Urbem diffunditur, itur ad arma, concurritur adversus hostes, ac pluribus simul locis praelia conseruntur. Pontifex ubi ista sensit, confestim ab aedibus Vaticani, quibus inhabitabat, se se in Molem Hadriani recepit; Patrum vero nemo secutus est, praeter unum Columnensem [2]: nam caeteri metu perculsi, fuga sibi consulere, quam cum Pontifice includi maluerunt. Nec ego unquam noctem magis turbulentam puto fuisse, trepidis omnibus, & incertis, quid agere, quove consistere deberent suspecto Pontifice, nec tota quidem Urbe idem sentiente, fugaque ipsa Patrum debilitabat animos, quasi praestantes sapientia viri, ac plurimum discernentes, quoniam intelligerent resisti non posse, migrandi consilium assumpsissent. Quamdiu nox fuit, hostis superior habebatur, nec jam procul a Capitolio pugna erat. Sed albescente mox coelo Paulus [3] Ursinus cum equitatu subsidio nostris veniens, per diversam ab hoste regionem ingressus, media vadens Urbe, transversis itineribus ad eam portam pervenit, per quam hostes intrarant. Ibi dissipatis stationibus pone aggreditur, ita ut inter multitudinem populi, ac suum equitatum medios hostes haberet. A fronte igitur, & a tergo vexati, in fugam tandem vertuntur. Capti eorum multitudo ingens, & in his prin-

(1) Ladislai scilicet.

(2) Otho, seu Odo Columna ab Innocentio VII. Diaconus Cardinalis renunciatus Titulo Sancti Georgii in Velabro.

(3) Paulus de Ursinis Pontificii Exercitus Dux.

principes ferme omnes diversae factionis. Ex tempestate igitur admodum turbida, mox serena lux Urbi effulsit, ac ex moerore leticia ingens, ut ego ipse spectator horum omnium admirer, tantam mutationem tam brevi tempore contigisse. Revocati ex fuga Patres, cum jam eorum plerique multa passuum millia sutrium versus abiissent, summa gratulatione omnium rediere. Sunt, qui putent, hanc totam rem a Pontifice de industria compositam, quo mentio omnis unitatis obrueretur, quod futurum erat, si Rex obtinuisset. Nos de Pontifice nullo modo credimus, de propinquis vero dubitamus. Pontifex habere in animo videtur Senas petere, inde vero Lucam. Sed res adhuc perpaucis nota est. Vale.

X. (1)

LEONARDUS NICOLAO S.

Rogat ut in villa cum conveniat.

ANtequam Viterbio proficiscerer, dedi ad te orationem Demosthenis pro Ctesiphonte. Lator fuit Petrus Bardella, qui Romae negociatur. Eam orationem arbitrabar te jam legisse, ac expectabam litteras ingentis leticiae. Cum itaque in hac expectatione essem, ac jam mecum ipse, quod tardior fores, stomacharer; ecce quidam a te michi litteras attulit. Capio avide, atque aperio. Caput litterarum querelas contra me: medium autem, & finis nescio cujus beneficioli molestias continebat. Spe igitur destitutus laceravi illico litteras a Musis alienas, & alias expectare cepi. Cras ero in villa Lupi no-

(1) Haec etiam desideratur in edit. Fabriciana.

nostri, quae est Senis propinqua. Si te nichil impedit, illuc properato: sin expectare mavis, ego propediem Florentiae te conveniam. Et tamen de hoc ipso beneficio ita faciam, ut te velle intelligo. Vale. Senis V. Idus Septembris MCCCCVII.

X. (1)

LEONARDUS NICOLAO S.

Amicum rogat, ut Tullii codicem adornari curet.

NOn puto opus esse, multis ut verbis te cohorter, cum tibi & de amicissimi viri negocio, & de re tibi grata leve onus impono. Tu enim ipse re cognita moveri debes sine ulla postulatione, & rogatione nostra. Bartholomeus (2) Cremonensis mirifice, ut tibi alias narravi, studiis humanitatis deditus est; idque cum superiori tempore ante Presulatum studiosissime fecisset; non potest nunc Presul factus eas, quas ante coluit, Musas non affectuose amare, earumque sacra ferre ingenti, ut Maro noster ait, perculsus amore. Cum igitur volumen habeat praeclare scriptum orationum Ciceronis, cupit, ut singulorum capita librorum splendore litterarum illuminentur. Tu ergo in ea re diligentiam tuam adhibebis, dabisque operam, ut non auro, nec murice, sed vetusto more hae litterae fiant. Nam inaurare vel hic potuisset, si hujusce rei cupiditas

(1) Haec desideratur in Edit. Fabriciana.

(2) Bartholomaeus Capra primo Pontificiarum Epistolarum sub Innoc. VII. Magister, inde Cremonensis Episcopus, post Archiepiscopus Mediolanensis. Vide Arif. Tom. I. Crem. lnL. & Ughellum Tom. IV. Ital. Sacrae.

ditas ipsum haberet. Verum haec sprevit, & antiquitati deditus est. Quare facies ut tibi videbitur, utque existimabis amatori antiquitatis potissimum gratificari. Volumen ipsum tibi mitto. Vale. Senis.

XI.

LEONARDUS BONIFACIO COLUCII FILIO, FRATRIBUSQUE S. P. D.

Quantam curam habuerit ejus, quem in fidem receperit.

QUantam parenti vestro homini doctissimo, viroque praestantissimo pietatem mortuo etiam praestare debeam, nec oblitus equidem sum, nec unquam uti spero, quamdiu vita supererit obliviscar. Quid enim si me genuisset ille plus aut caritatis, aut benivolentiae, aut amoris michi potuit impartiri? Multi genitores a filiis se rogari expectant, ille semper michi ultro & inrogatus occurrit. Multi frena dimittunt filiorum, cum adolescere ceperunt; ille in hac ipsa aetate frena mei suscipiens nunquam e curriculo deflectere passus est: sed monendo, castigando, incendendo ad virtutem praestantiamque direxit. Quod Graecas didici litteras, Colucii est opus; quod latinas non leviter inspexerim, Colucii est opus: quod Poëtas, quod Oratores, quod Scriptores ceteros legerim, didicerim, cognorim, Colucii est opus. Nemo unquam parens in unico dirigendo filio tam sedulus fuit, quam ille in me, cujus ingenium, in quo tamen amore nimio decipiebatur, ita natum ad haec studia praedicabat, ut si aliorsum diverterem, manus se se michi allaturum, ac vi retra-

tractaturum minaretur. Qui post aliquot annos, cum me tunc primum vocatu Pontificis Romam petere volentem lacrimans dimitteret, quasi praesagio quodam futurae mortis familiam michi suam multis verbis commendavit, sed praecipuam de Salutato curam, mandataque injunxit. Eum sane, inquit, quod oculis non satis valeret, nullae ferme rei gerendae satis aptum, permagnam sibi curam sollicitudinemque afferre. Nam de caeteris quoniam sani essent, minus admodum laborare: huic autem videndum esse jam nunc, & quae sustentamenta vitae sint praeparanda. Statuisse vero potissimum, ut in Clericos transcriberetur, proinde rogare me, obtestarique per amorem, quem erga me unum semper unice habuisset, ut adolescentem ipsum in meam fidem, tutelamque reciperem, efficeremque mea opera, ut cum aliqua dignitate, & honestate vitam ducere valeret. Hoc ego tunc in meam fidem cum recepissem, quid enim nunc de me, ac de desiderio narrem meo, qui non minus erga Colucium, quam erga parentem semper affectus fuerim? Sed velle quidem non satis est, nisi opereris; nec vero id satis, nisi prudenti studio annitare: nec etiam id satis, nisi ad effectum perduces. Qui enim in fidem suam quid recipit, non voluntatem bonam dumtaxat, ut michi videtur, nec qualemcunque operam praestare contentus esse debet. Affirmare profecto possum, nec vivente illo, neque postea defuncto studium & diligentiam ista quidem in re michi defuisse. Apud duos adhuc Pontifices fui Innocentium, & Gregorium. Cum utroque saepissime de hac re, & instantissime egi; sed ita plena est expectantium Curia, imo vero non expectantium, sed obviam euntium, ut quotiens aliquid vacaverit, a mille raperetur. Gratiam vero nostram minuit, quod nos non pro nobis, sed pro alio pete-

teba-

rebamus clarissimi quidem viri filio, quis negat? attamen absente, & a familiaritate Pontificis alieno. Itaque qui praesentes vel Pontifici ipsi, vel alicui Patrum deserviebant, semper adhuc praelati sunt petitioni meae, & ea quidem causa, quominus adhuc obtinuerimus, refragata est; quod postquam satis expertus sum, ad consilium versus constitui personam meam praetexere; neque enim alium finem ullum fore videbam desiderio nostro. Postulabatur ergo nuper venerabilis vir Antonius Senensis [1] ad Episcopatum Pisauri. Ob id factum duo illius beneficia vacatura sperabantur, Canonicatus Florentinae Ecclesiae, & Praepositura Fesulanae. Haec ego ita fore aptissima Salutato existimabam, ut si nos effugerent, nunquam alias me consecuturum eam facultatem arbitrarer. Sentiens ergo quid me hactenus impedisset, non jam pro illo, sed pro me ipso petere professus sum. Pontifex vero etsi admirabatur mutatam voluntatem meam, nam Episcopatum michi ab Innocentio oblatum sciebat me respuisse, tamen concessit, nec deest tamen illi, ut animadvertere potui, suspicio, quam diluemus simulatione, & mora quadam interposita. Haec ego vobis nota facere constitui, ut sciatis, haec beneficia Salutato nostro impetrasse. Etsi dilatio intercedat quaedam oportet, ne Pontifex indigné ferat, se hoc praetextu circumventum fuisse. Vestrum quoque interea fuerit commonefacere Salutatum, ut quoniam beneficia habet parata, det operam efficiatque, ne ipse imparatus ad illa, quae Clericum scire decet, reperiatur. Valete Senis.

LEO-

(1) Antonius Casini, qui deinde a Martino V. Cardinalis creatus est Titulo Sancti Marcelli.

XII.[1]

LEONARDUS NICOLAO S.

A negligentiae increpatione se defendit.

HOdie tibi scripseram ante lucem: postea redditae michi sunt litterae cum increpatione negligentiae, cum rei meae, tum etiam alienae. Omnino reor ex parvitate animi provenire, ut pusillis de rebus magnam sollicitudinem putes capiendam, & exigui precii res grandes existimes. Quid enim opus fuit litteris meis? An non tu ipse michi scripseras te procuratorem faciundum, ut ille quasi persona quaedam aliena majorem facultatem haberet opitulandi? Cum igitur tu haec scriberes, & ille asseveraret, quid aliud ipse facere debui, quum eam sic disponerem, ut vobis placuerat? Tibi etiam, cum michi is sis qui es, propositum esse debet, ut quod in tuo faceres negotio, id facias in meo. Quare si qua de re ambigis, peritiores consule, atque ita prosequare, ut in re fore existimabis. Denique tu haec me valde curare putas, vel tanti facere, ut ab istis nunc pendeam? Non est ita, michi crede: si res eum, quem cupimus finem habuerit, michi gratum erit: longe tamen gratius foret, si M. Tullius reviviscceret. Satis de re mea. Nunc de aliena: Litteras amici tui diligenter tradendas curavi, & responsa postulare feci. Quid ultra quaeso a me requiris? An etiam ut extorqueam ab invitis? Omnia facere debui in re amici tui. Et feci equidem, & facio; nec video quid pretermissum a me sit, quod te

(1) Haec quoque deest in Edit. Cl. Fabricii.

te, vel illum debuerit commovisse. Mianus forte, quod Florentiam erat venturus, respondere neglexit, saepius quidem a me postulatus. Alias litteras Camerario, & Paulo, ac ceteris tradidi. Quae mea culpa est, si respóndere non curant? Forsan scriptum in his nichil est, quod responsum mereatur. Instruat me in negocio suo, & actorem rei esse velit, non litterarum exactorem. Tunc si defuero me carpe. At de re penitus ignota quid ipse rescribere debui? Quare vide obsecro, ne tu magis carpendus sis, qui pro quaque levissima re sic atrociter contra amicos inclames. Vale. Idibus Octobris. Senis.

XIII. (1)

LEONARDUS NICOLAO S.

Amicum rogat, ut nonnulla ex Cicerone transcribi jubeat, aliaque significat.

MItto tibi orationes Ciceronis in Verrem recte quidem scriptas, sed ut videbis male emendatas. Qui enim corrigere voluit, eas plane corrupit. Quamobrem tuae diligentiae erit, non quae postea mutata sunt, sed quae prius erant, transcribi jubere; idque facies sine ulla festinatione. Nam michi quidem cordi est etiam, quos mecum habeo libros, apud te omnes deponere, ne ferantur una nobiscum in hac fluctuosa tempestate, & ambigua peregrinatione, in qua nec portum nec sedem certam perspicimus. Me quidem valde poenitet sic a vobis properasse. Nam potui quatuor dies adjungere

(1) Haec desideratur in edit. Fabriciana.

gere ad communem voluptatem. Rumores enim qui afferebantur de Pontificis itinere, vani erant. Vale.

XIV.

LEONARDUS S. D. ZACHARIAE (1).

Quid in causa amici fecerit.

ET litteras tuas accepi, & quod me facere jubebas, quantum in me fuit, diligenter effeci. Impedimenta haec prohibent: proditor ille non adest. Procurator ab eo relictus mandatum habere se negat ad transactionem faciendam. Cum praetore multa pro te, & pro causa tua verba feci, postulans si quo jure ordinario vel ex bono, & aequo fieri posset, ut saltem in indebita pecunia solvenda, eam conditionem admitti juberet, quae vel in quocumque debito propter malignitatem temporis esset concedenda. Negat ille suarum esse partium aliquid tale jubere contra actoris voluntatem, pro quo sententia jampridem lata sit. Scripturum se tamen pollicetur ad prosopopejam illam, quam nunc, ut audio, Neapolis habet. Poggius noster omnibus assentiri paratus est, quae ad commoditatem tuam pertinebunt. Res tota differetur in reditum tuum. Interim dabo operam, ut illi scribatur. Sed quantum profecerimus apud elatam duri hominis cervicem, nescio. Tu cura ut valeas. Ex Senis X. Kal. Januarii.

XV.

(1) In omnibus MSS. Codd. est Zucharo, nempe Ser Antonii filio Notario Florentino. Porro haec epistola deest in edit. Fabriciana.

XV.

LEONARDUS PETRO MIANO S. P. D.

Quam excellenter in Papae Cardinaliumque consessu oratores Venetorum dixerint.

JAmdiu nichil magis oratorium Curia Romana audivit, quam vocem praestantissimi viri Zachariae tui [1], immo potius nostri. Ego enim propter maximas ejus virtutes amori erga illum tuo aut nichil aut non multum concedo. Qui cum a Pontifice maximo publice audiretur astantibus Reverendissimis Patribus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, & frequentissima Cleri, populique multitudine circumfusa ita locutus est, ut in verbis ejus robur fortissimi viri, prudentia doctissimi hominis, elegantia disertissimi oratoris perfacile appareret. Vellem aspexisses, quanta cum attentione auditus est, ut in tanta multitudine ne respiratio quidem alicujus sentiretur, majestate orationis, ubertate sententiarum, copia optimorum verborum mirum in modum animos demulcentibus. Dixit praeterea fortis vir Marinus Caravellus, & ipse quoque magno cum spiritu, nec minori cum majestate, qui etsi non latino, sed patrio sermone in dicendo uteretur, tamen nec sua caruit laude, & alti, ac sinceri animi haud dubie apparuit. Denique per hos duos Oratores universam Curiam Venetorum civitas sibi mirifice

 con-

(1) Zacharias Trivisanus vir doctrina consilioque celeberrimus, oratio cujus extans coram Gregorio Pontifice Romano habita pro Ecclesiae unione suadenda illum eloquentissimum fuisse ostendit. Ita Blondus in Ital. Illustr.

conciliavit, ut amplissima, & potentissima, & praeterea optima, & pacis amantissima ab omnibus habeatur. Cui si palmam hujus sanctissimae, & optatissimae Christianorum, & Ecclesiae redintegrationis Deus servaverit, nichil in toto Orbe terrarum erit penitus gloriosius. Sed de rebus publicis alias: nunc autem de privatis loqui malo. Ego Zachariam nostrum convenio saepissime, & quantum ocii ab oratoriis negociis, quae mirabili vigilantia exequitur, sibi datur, id totum in librorum, ac studiorum agitatione consumimus. Quibus vellem adesses! quamquam ades tu quidem semper sermonibus nostris, sed tamen alio quodam modo vellem te praesentem intueri: non enim dubito, quin jocundissima inter nos saturnalia ageremus. Vix tamen est, ut non invideam felicitati tuae, qui Manuelem (1) Chrisoloram virum doctissimum, atque optimum tamdiu Venetiis distineas, ejusque adventum in Curiam retardes. Nos enim ut alias saepius, ita nunc cum Oratoribus vestris ut veniret expectantes, non semel frustrata spes est, & fefellit opinio, quem rogo, ut meo nomine salvere jubeas, & volumen Augustini de Civitate Dei, quod apud te illius nomine deposueram, eidem tradito, faciasque me certiorem, an aliquos libros Graecos michi deferat. Hodie decretum est, uti Pontifex Lucam se contulisse debeat ante finem mensis, Januarii; altera pars in Veneris portum. Vale. Ex Senis.



XVI.

(1) Leonardi Arretini, Poggii, Nicolai Nicoli, aliorumque in Graecis litteris praeceptorem.

XVI.(1)

LEONARDUS NICOLAO S.

Agit de oratione sua, in qua Elagabalus meretriciam artem commendat.

TU me philosophum esse censes, & nichilominus Eliogabalum postulas. Vide ne non cohereant petitiones, & exhortationes tuae. Nisi forte hanc eandem Philosophiam meam interpretare, & si ita est accipies opus sane philosophicum non ex Zenonis disciplina, sed ex intimo Epicuri sinu depromptum. Ridebis, ut opinor, hanc incestissimam contionem: quamquam multis peperci, quorum michi copiam suscepta causa ultro largiebatur, & in taberna vinaria abstemius fui. Itaque valde equidem vereor, ne utrique me subaccusare non immerito possint: severi quia rem non satis gravem susceperim; urbani quia in causa pingui, & copiosa jejunior fuerim. Ac in me fortassis illud jactabitur: aut undique religionem tolle, aut usquequaque conserva. Sed de urbanis quidem non multum laboro, si me continentiorem fuisse arbitrabuntur. Cum severis autem, & tristibus plus michi, ut opinor, negocii superet. Verum ut Lucilius non Romanis, qui erant peritiores, & in poematibus judicandis nimium curiosi, sed Tarentinis, & Reginis se scripsisse affirmavit; sic ego tristibus, & severioribus nego me scripsisse, nec ab illis legi volo. Est autem aliud quoddam genus hominum, qui in joco severi, & in severitate jocosi sunt; qui neque Catonis rigi-

 dita-

(1) Haec desideratur in editione Fabriciana.

ditatem, nec Scipii dissolutionem sectantur: Hoc est qui nec Curios simulant, nec Baccanalia vivunt. Isti, ut spero, hanc mediocritatem meam & legent non inviti, & probabunt non simulate. Denique loquantur omnes ut libet. Ego si michi & tibi uni satisfecero, ceteros omnes cum suis judiciis flocci-pendo, eorumque opiniones, & oblocutiones vix unius assis existimo. Tu vale mi dulcissime Nicolae. Ex urbe Senis.

XVII.

LEONARDUS RUFFO S. P. D. (1)

De duorum dissentientium Pontificum animo.

ACcepi litteras tuas perbreves, in quibus id modo flagitas, ut quid agatur, quidque spei sit de unionis negocio, tibi rescribere ne pigeat. Accipe igitur: postquam Lucam pervenimus, crebri ultro citroque oratores fuere. Sed nichil adhuc perfectum, ne inchoatum quidem, quod dignum ulla spe michi videatur. In adversario Pontifice nequaquam recta mens; quamquam simulat ille mirabili astutia, ut facile imprudentes decipere possit: sed nihil sani, crede michi, illi inest: si enim inesset, quid vetaret rem perfici? Quicunque enim istorum vere vellet, quod & juravit, & promisit; alter etiam si nollet, compelleretur. Quam enim excusatio-

(1) Roberto Ruffo, quem Rossum appellant Colucius, ac Blondus. Hic in latinis litteris fuit cum Nicolao Nicolo Ludovici Marsilii discipulus, in graecis vero una cum Leonardo nostro Emanuelem Chrysoloram audivit, ac inter Cl. aetatis suae viros recensetur ab Accolto, Poggio, aliisque.

tionem, aut quod diffugium habent? Nunc vero quia uterque tergiversatur, alter alteri excusationem, & diffugium praebet. In nostro Pontifice recta, & simplex natura, sed ut quisque bonus, & simplex, ita facile ab improbis decipitur. Quidam enim honores ab eo sperantes in sinum ejus adulando irrepserunt. Hi & formidines inanes illi incutiunt, & recta volentem nonnunquam inflectunt. Ego, ut animi sunt, turbationem aliquam formido. Nichil est enim infensius, nichil indignantius. Vale.

XVIII. (1)

LEONARDUS NICOLAO S.

Thomam quemdam ei commendat.

Cogitabam tibi prolixius scribere, & propediem, ut spero, id faciam: Nunc autem brevitatis causam affert festinatio tabellarii, qui me in ipso discessu, nunquid vellem, rogavit. Est Florentiae vir egregius Thomas Britannus michi amicus, & studiorum nostrorum, quantum illa natio capit, ardentissimus affectator. Huic ergo cupienti ineptias nostras, idest libros novorum poëtarum emere, rogo ut omni cura, diligentiaque assistas. Denique pro natura, & moribus tuis admonendum te familiarius putavi, ut si quid contra sententiam, opinionemve tuam cuperet, aut sentiret, eidem te mitem, ac minime adversantem praestes. Vetus est enim: ut homo est, ita morem geras. Vale.

(1) Haec desideratur in editione Fabriciana.

XIX.

LEONARDUS RUFFO S.

Quendam cupiditates animi sui potiores habere, quam Ecclesiae unitatem.

PEr binas jam litteras a me petis, quid de Joanne Dominici aestimandum sit, variumque de eo sermonem apud vos esse significas. Quid autem ego ad te scribam de re difficili atque ardua? Nichil enim difficilius, quam mentem hominis intueri (1). Itaque nil dicam ipse de me: sed qualis sit opinio vestrorum hominum de illo, ostendam. Praestantissimum esse virum, & scientia eloquentiaque eminere nemo inficiatur. Querela tamen est adversus eum, quod cum ipse in primis auctor suasorque unionis fuisset, ac ceteros omnes ardentissime commoveret; tamen postquam Episcopatus (2) illi a Pontifice datus est, quasi medicata offa praeclusis faucibus, nichil post hoc pro unione, sed multa adversus eam videtur suasisse. Atqui nemo, qui primo illum audisset, existimavit munus Pontificis ab illo non rejici. Accepit tamen, ut deprehenditur non ingrate, ac majora sperare illum ajunt prodita causa, quam prius tamen acriter perurgebat. Nos vero,

(1) Optime observat Leonardus noster nihil difficilius quam mentem hominis intueri Nam Jo. Dominici fuit vir integerrimus, & propter suas admirabiles virtutes in Beatorum numerum cooptatus est. Quare non dubitandum, quin ea falsa sint, quae ab invidis, ac verae virtutis calumniatoribus in hominem sanctissimum jactata in hac epistola referuntur

(2) A Gregorio XII Archiepiscopus Ragusinus creatus est; ut supra diximus.

vero, ut de mentis illius arcano nichil ſcimus; ſic ea, quae agit moliturque, non probamus, affirmamuſque primo illius ardori, & ſtudio haec poſteriora videri contraria, parumque ſibi ipſi illum conſtare. Quod utinam ſapientia quadam majori faciat, ac non ambitione! Ego quidem hunc hominem, ut ſcis, amo propter excellentiam virtutis, atque eo magis doleo, ipſum in hanc adverſam opinionem hominum incidiſſe. Nemo eſt omnium, qui peccare ignorantia illum putet, ſed cupiditate animi tranſverſum agi. Vale.

XX.

LEONARDUS ROBERTO RUFFO S.

Vind. 3244 c 104v

Villae deſcriptionem cujuſdam, laetitiamque amicorum continet.

IN medio turbationum, ac moleſtiarum, quibus per hoc tempus omnia redundant, letiſſimus heri nobis, ac jocundiſſimus affulſit dies, qui mentes noſtras depulſis triſticiae nubibus mirifice ſerenaret, memoriamque omnem praeſentium vel impendentium calamitatum penitus auferret. Tres enim familiariſſimi in unum convenientes, & non bellicum, ſed bacchicum concinentes ſatis magnam ſodalium, & amicorum manum contraximus, omnibuſque ad leticiam diſpoſitis in villam Alamanni (1) Archiepiſcopi Piſani ipſo Alamanno duce veluti ex diu-

(1) Alamannus Adimarius Archiepiſcopus ea aetate Piſanus, qui mox ab Jo: XXIII. in Ordinem Praesbyterorum Cardinalium cooptatus eſt Titulo S. Euſebii, dum apud Regem Galliarum legatione fungeretur. Vide Çiaconium, Ughellium, alioſque.

diuturnis vinculis emissi nullum gaudendi, imo ut verius dicam, repuerescendi genus omisimus. Villa est media ferme inter Lucam, & Pisas a dextra ripa Auserici fluvii amoenissimo in loco sita, & maxime ad rusticanas voluptates excogitata. Surgens enim leviter in collem, subiectamque planiciem respiciens, montes a tergo habet conjunctos ad aucupationes venationesque aptissimos. Itaque sive rapaci ave, sive mordaci cane, sive plagis, sive venabulo, sive cursu, denique sive feris, sive avibus, sive piscibus delecteris, vicini montes, conjuncti colles, subjecta planicies, praeterfluens amnis affatim omne genus praedae tibi largiter sumministrant. Verum nobis illuc profectis, nec venari apros placuit, nec figere cervos, nec rursus lepores canibus agitare fugaces, nec fera blacteolis ungues armata sonoris cepit avis praedam. Sed traxit nos, & vendicavit sibi incredibilis amoenitas Auserici amnis, qui tectus fronde populea cristallino alveo, viridibus ripis mira placiditate fluebat. Quibus allecti depositis togis, & calceis acerrime piscati sumus. In quo ita lusimus, ut pueri, ita clamavimus ut ebrii, ita concertavimus, ut dementes insanique videremur. Aderat omnibus ipse Alamannus, qui quanquam religione impediebatur una ludere, tamen ita spectatorem se praebebat, ut ea quae gerebantur mira festivitate risuque comprobaret. Egressis tandem a fluvio caena dubia apponitur ex piscibus rostratisque avibus. Expectasti fortasse ut dicerem navibus; sed non est ita, non est. Sed aderant aves multae, vina plurima, omitto caetera, quae cuncta opipare apparata fuerunt. Post caenam vero avide voraciterque, ut laborantibus in aqua evenire consuevit, assumptam, deambulatio fuit equestris inter flaventes segetes, & amena vireta, ramosque foecunditate fructuum in-

curvos, qui longe lateque vagati cantantes alii, alii jocantes post multas variasque urbanitates ad ipsum amnem, quem antea vado trajeceramus, reversi, & in arena depositi luctantes inter se agricolas nudos, & lacertosos, qui placendi gratia convenerant, quasi in gladiatorio certamine usque ad primam noctis horam lectissime spectavimus, cum illi saepe violentia majoris roboris prostrati, & gravissimo casu ad terram elisi cenoque involuti uberem ridendi materiam nobis praeberent. Sed ego genera ipsa voluptatum, non singula ac minuta, nam id quidem longius esset, enarro. Scis enim tu, quam multa esse soleant inter familiares letos, & unanimiter ad festivitatem paratos. Denique hic dies procul dubio fastis ascribendus est, & meliore lapillo numerandus, praesertim cum eo turbationis devenerint res nostrae, de curialibus loquor, ut summo studio conquirendum sit aliquid, quod nos quacunque ratione ab illa amarissima cogitatione divertat. Vale. Lucae IIII. Idus Junii.

XXI.

LEONARDUS S. P. D. PETRILLO NEAPOLITANO.

De magnis Romanae Curiae turbationibus.

EN quod jamdudum saepe inter nos collocuti divinabamus fore, ut nubila haec tempestas in dies magis magisque ingravescens procellam denique subitam horendamque daret, tandem aliquando effectum est. Patres enim longa indignatione, iraque permoti relicto Pontifice abierunt. Quo qui-

quidem die nil aut procellosius, aut turbulentius fuisse unquam imaginari possum. Tuam igitur sapientiam valde equidem laudo, quod ista providens te antea Neapolim in tutum recepisti; me autem culpo, quod cum non minus fortasse quam tu ista providissem, subire tamen malui, quam vitare. Accipe ergo a nobis, quemadmodum res gesta sit; nam & avere te arbitror veritatem cognoscere, & falsa per eos, multa, qui ignorant, circumferuntur. Repetam igitur superiora quaedam ex eo videlicet tempore, quo tu a nobis discessisti, quo facilius rei gestae causas, progressusque intelligas. Fuerat Pontifex noster, postquam Roma abiit, menses aliquot Senis commoratus. Tempus interea venit, quo Saonae constituerat adesse. Id cum summa omnium bonorum querela tempus diffluere passus est, promissumque neglexit, contempsitque. Adversarius autem Pontifex Saonam, uti promiserat, venit, & quidem ad praescriptam diem, nostrique absentiam illudens singulis horis accusabat. O rem acerbam, & non praesentium modo Italorum, sed posterorum quoque dedecus ingens! Quid enim turpius nobis accidere potuit? quid foedius? quid ignominiosius (1)? Locum pro unione Christianorum a nobis paulo ante sponte consultoque receptum, mox erectis cunctorum animis adire postea noluisse? Haec tu scribere audes, dicet quispiam, cum sis in Pontificis familiaribus? protinus ita. Quid enim nunc aduler, & alia sentire me fingam? unus quippe Christianorum sum, & unus Italorum. Alteros fraudari unitate, & pace, alteros ut infidos & foedifragos in crimen vocari disrumpor.

Non

(1) Audax est Leonardus, & ea scribit, quae omittere satius fuisset. Ego vero nullus dubito, quin multa augeat, dum eloquentiam suam ostentare vult; etsi eadem tradant Ciaconius, Oldoinus, aliique.

Non tu igitur Pontificem amas? imo plus certe quam isti, qui mentiendo, & adulando diversa illi suaserunt. Ego enim veram Pontificis gloriam concupivi. Ea profecto fuit in unitate, & pace Christiano populo, ut promiserat, exhibenda, quo quid gloriosus, quid immortalius esse potuit? Isti vero, ut quomodocunque sederet, etiam cum querela hominum suaserunt, quod qui gloriosius putant, dementes ipsi sunt, praesertim cum obscurum non esset, haec quae nunc evenerunt, fuisse ventura. Sed redeo illuc, unde digressus sum. Cum Pontifex Saonam non venisset, & adversarius ad praescriptum diem eo profectus nostram absentiam accusare nunciaretur; indignantibus cunctis, & aperte frementibus secunda quaedam navigatio, ut dici solet, recipitur, ut alter Pontifex in Veneris portum, noster vero Lucam veniret. Senis igitur per Mensem Januarium maximis nivibus profecti Lucam devenimus. Ibi utpote ex propinquo crebris ultro citroque oratoribus missis acceptisque nichil res se habere melius apparebat. Nec sane mens in alio Pontifice sana erat. Sed occulebat ille quidem bona fronte malum propositum, & certe in causa superior habebatur. Nam & Saonam ierat ad praescriptum diem nostro turpiter deficiente, & postea, quasi vera cupido inesset, Etruriae littus advenerat obviam strenue profectus tarditati nostrae. Cumque in nostram, ut ita dicam, terram pervenisset, illud haud imprudenter dicere videbatur, se in littore esse velle, ne a classe tutelaque sua discederet longius: locum autem recusare nullum, modo littoreus esset. Haec illius summa erat. At noster quasi contra nitens ad littus descendere recusabat, mediterranea probabat loca, nec tamen omnia, sed ea tantum, quae se Pontificem existimarent. Ita alter quasi aquaticum animal
in

in siccum exire, alter quasi terrestre undas aspicere perhorrebat. Exacerbabat vero dolorem quod vulgo aestimabatur, neque illi si in siccum descenderet, neque huic, si littus adiret quicquam periculi subesse. Nec ipsi quoque id non intelligere putabantur, sed metum de industria fingere, quo desideria hominum frustrarentur. Erant igitur querelae ingentes, & aperta jam protinus oblocutio, indignabanturque omnes ea aetate homines, supra septuagenarium uterque est, quo paucos sederent annos, & Dei metum, & hominum censuram posthabere. Haec erat hominum indignatio, & querela. De me autem si quaeris, ego deceptum Pontificem nostrum ab iis, de quibus supradixi, metumque inanem per malos suasores injectum illi existimabam. Conspexeram enim ab initio illius rectissimam voluntatem; mutatum vero ex se ipso bonum quidem virum persuadere michi non poteram. Nam si malignum putassem, non tu praevenisses abeundo. Cum esset hic status rerum, ecce nova turbatio superoritur. Constituit enim Pontifex noster Cardinales novos in Ecclesiam Romanam assumere. Hujus vero causae erant duae: una, quia fautoribus quibusdam suis gratiam referre cupiebat, praesertim id magnopere flagitantibus, alteraque, admiscendo vetustis Patribus novos assumptos temperaturum se illorum vehementiam existimabat. Non enim dubium erat, Patres adversus hanc Pontificis voluntatem esse reclamaturos. Et est mos, nichil tale absque illorum consensu a Pontifice decerni. Fortiter igitur conandum ratus, Patres in consilium vocat. Convenere trepidi, & jam inde aliud alii suspicantes: paratur secreto locus, subsellia ponuntur. Prodit e cubiculo Pontifex, & in throno resedit: Patres inde suis locis considere jubentur. Ubi consessum est, Ponti-

fex

sex contra consuetudinem duos circa se familiares retinuit, ceteram multitudinem omnem exclusit. Id, sive ut interventu nostro, si quid opus foret, uteretur, sive aliam ob causam fecerit, incertum habeo. Mora quaedam prius, & silentium fuit; inde Cardinales aspiciens non satis leto vultu, praecipio, inquit, ut nemo vestrum assurgat. Haec prima illius vox cum mentes subita admiratione percussisset, alio alium aspiciente indignanteque, Henricus Tusculanus quid est, inquit, hoc Pater, & quid sibi vult istud praeceptum? Quandoquidem, inquit Pontifex, vobiscum nequeo recte agere, providere Ecclesiae volo. Ad hoc Henricus inflammato vultu, immo destruere Ecclesiam vis (1). Hic cum indignarentur omnes, sederent tamen, primus omnium Raynaldus Sancti Viti in Macello Diaconus vir, ut tunc visum est michi, omnium qui aderant cordatissimus repente assurgens, moriamur potius inquit. Est ille ut tu scis procero corpore. Itaque plerique post hunc surrexerunt. Sed in nova, & subita re prospicere licebat quid in unoquoque animi vigorisque inesset. Rubebant alii, alii pallebant, ira & jurgio alii, alii prece supplicioque nitebantur. Columnensem ego vidi ad pedes Pontificis provolutum; rogantemque ne ita facere vellet; contra vero Leodiensem minabundum, & contumaciter incensum. Burdegalensis vero quasi medius quidam, modo iras leniebat, modo Pontificem precabatur. Ita re infecta consilium tandem dimittitur, praecepto tamen prius a Pontifice edito, ne quisquam Patrum Urbe

Luca

(1) Libertatem, qua utitur Leonardus in describendo, & fortasse augendo Sacrosanctae nostrae Romanae Ecclesiae Schismate, haud equidem probo, eosque improbaturos confido, qui Romanos Pontifices simili mecum veneratione prosequuntur.

Luca exiret, neve injussu suo convenirent. Id rursus praeceptum non minus asperitatis suspitionisque habere visum est. Itaque majores confestim secuti motus, omnia perruperunt. Leodiensis siquidem post praeceptum illud Pontificis mutata veste Luca egressus aufugiit Id cum auditum esset, immittuntur equites, qui illum vi reducere conentur. Hi ergo vestigia parum caute secuti Pisanum in agrum discurrerunt, qui est in Florentinorum ditione, nec tamen Cardinalem ipsum apprehendere potuerunt, nam parum ante veniens in oppidum Librafactam se jam receperat. Rixa tamen non procul ab oppido coorta est & quidam ab equitibus vulnerati. Ea cum Lucae vulgarentur, Lucensis Princeps (1) veritus, ne Florentinorum iras quasi violato eorum territorio contra se provocasset, equites qui ea patraverant cum Lucam redirent, ad ipsam Urbis portam capi jussit. Erat Pontifex quoque sollicitus de equitum suorum errato, graviterque ferebat Florentinorum fines ab illis violatos. Itaque propere Marcellum Strozam virum clarissimum, qui tunc in Curia morabatur, & me quoque una cum illo ad se vocavit, dicit, quae gesta sint nullo suo jussu, sed equitum temeritate fuisse commissa. Nos ergo Florentiam oratores ire jubet, ac rem apud Civitatem purgare. Cum essemus in ejus conspectu, mandataque acciperemus, repente ingressus quidam nunciat Cardinales omnes uno agmine simul abire. Eo nuncio Pontifex aversus illico dimittere nos, ac aliis traducere animum coactus est. Neque enim falsa erant, quae de abitu Cardinalium nunciabantur. Nam illi quidem ex captivitate equitum recepto animo, prius enim Principem ipsum, equitesque for-

(1) Paulus nempe Guinisius, qui postea omnes Cardinales Luca aufugere passus est, ut infra scribit Leonardus.

formidabant, abeundi palam consilium susceperunt. Adjuvit eorum coeptum Florentinus quidam Civis paucis ante diebus Lucam missus, qui tunc praesens ex hoc ipso occasionem nactus pro invaso territorio ab equitibus vociferabatur. Ob hujus maxime clamorem, & simul ob equitum injuriam conterritus Lucensis Princeps abire Cardinales passus est. Luca igitur egressi eodem die Pisas migravere. Spectaculum mehercule durum fuit, atque acerbum, Patres cernere abeuntes; sed acerbior paulo post michi apparuit Curialium secessio. Dividebatur enim multitudo tota, & quasi ab uno corpore membra divellebantur, aliis Cardinales sectantibus, aliis cum Pontifice remanentibus, plurimis vero incertis, & vacillantibus: querelarum, & detestationum plena erant omnia. Pontifex haud multo post novos Cardinales creavit quatuor: vellem melioribus auspiciis creatos; nam, nisi, fallor, multa, & terribilia impendent. Ego Pontificem non desero; tenet enim me familiaritatis jus, & officium, quod apud illum gessi, a quo salva existimatione mea recedere posse non videor. Affirmo tamen permulta, quae hic fiunt, michi nequaquam probari. Vale.



(1) Joh. Ser Cambii de Rebus gestis Lucensium ad an. 1408. *Il ditto Papa* (Gregorio XII.) *pronunziò contra la volontà di tutti i Cardinali un suo Fratello nomato il Vescovo di Bologna, e suo Camarlengo: un suo Nipote nomato il Vescovo di Siena: un Frate Giovanni Dominichi dell' Ordine de Predicatori Fiorentino: un altro suo attinente nomato Protonotajo d' Udine*: Ita Johannes. Errat tamen: nam Episcopus Bononiensis non erat Frater Gregorii XII. sed ex Fratre Nepos; ut Episcopus Senensis Nepos ex Sorore.

XXII.

LEONARDUS RUFFO S.

Cardinales reliquisse Pontificem aliosque a Papa creatos.

AUdivisti, quae hic turbationes coortae sunt. Patres enim, ut jampridem suspicabar, Pontificem reliquerunt. Magna profecto res, et, nisi fallor, initium maximarum novitatum, de quibus refert plurimum, quid sentiat Civitas vestra. Tu, si quid habebis, facies me certiorem. Ego Pontificem non deseram, non quod michi haec probetur causa, sed in familiaritate ejus cum fuerim, non videor absque reprehensione deserere illum posse: ita tamen perstabo, ut mei juris sim, nec quemquam offendam. Pontifex post discessum Patrum Cardinales assumpsit quatuor, in quibus est Joannes Dominici, quem Ragusinum dicunt. Vellem melioribus auspiciis creatus esset. Nam multa, ni fallor, impendent, per quae non esse praestet, quam esse. Vale.



LEO-



LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM

LIBER TERTIUS.



I.

LEONARDUS PETRO EMILIANO (1) S.

De ſtatu Romanae Curiae.



QUo in ſtatu res noſtrae ſint, quibuſque agitemur vel potius jactemur fluctibus, te audiviſſe, & audire quotidie ſcio, & nunc plenius de Zacharia tuo clariſſimo viro cognoſces. Quamquam difficile videtur, rem ſic referri a quoquam poſſe, ut non multo a veritate ipſa, ac magnitudine tur-

(1) Veneto, Epiſcopo Vicentino litteris multum, plurimum prudentia decorato. Ita de eo Blondus in Ital. Inluſtr.

turbationis superetur. Ego autem mirum in modum discrucior, quod non absum, quod non in aliquo urbano, vel suburbano, vel denique in aliqua silva inter spelea ferarum abditus hoc tempore lateo libris studiisque intentus. Quivis enim locus michi jocundus esset, modo hanc exitialem ruinam, & cineres ipsos crematae Ecclesiae, quos hic degens videre cogor, aspicere non possem. Itaque, & te felicem arbitror, qui vel Dei beneficio, vel singulari providentia tua jampridem ab hujusmodi incendio ereptus sis, & me parum fortunatum, qui nunc in ista navicula fluctuanti, ac pene summersa una cum ceteris naufragium facio. Super qua re te rogo atque obsecro, ut si quid habes, quo animum aegrum consolari possis, michi rescribas, & hunc dolorem vel eruere, vel lenire tua sapientia, & facundia conere. Hoc ego a te expecto. Marinum (1) Caravellum, & Zachariam nostrum viros praestantissimos mirifice diligo: sed ut minus frequens, quam conjunctio familiaritatis nostrae postulabat, cum illis versarer, temporis conditio, & rerum turbulentia coëgerunt. Vale, & me dilige, mi jocundissime Petre.

II. (2)

LEONARDUS NICOLAO S.

De variis negociis amicum monet.

LAurentio, quem michi per tuas litteras commendasti, scribo, ut negocia ejus processere. Omnino illi cupio satisfacere, sed genus petitionis parumper exorbitat. De negocio autem Fesula-

(1) De his duobus Venetis Oratoribus videndus Sanutus in Vitis Ducum Venet. ad an. 1407.

(2) Haec desideratur in edit. Cl. Fabricii.

ſulano animadverti, quanto ſtudio annitaris. Itaque & ego in ea re tibi morem geram. Libros quos michi miſiſti accepi, e quibus volumen illud Ariſtotelis pergratum eſt, alterum nec multum cupiebam, priuſquam viderem, & poſtquam vidi, confeſtim ſatiatus ſum, nec puto michi a graeculo barbato ſatisfactum. Dii illum perdant. Tu vale.


III.

LEONARDUS S. DICIT NICOLAO.

Turbatam Curiam eſſe, ſeque indicat inopem conſilii.

PLures iis diebus a te michi redditae fuerunt epiſtolae omnes ferme commendaticiae, quibus ſi tardior in reſpondendo fui, ignoſce precor non occupationibus rerum agendarum, quae nullae ſunt in hoc tempore, ſed perturbationi, & aegritudini, quibus aſſidue mirum in modum diſcrucior. Eum quippe in locum res deductas cerno, ut neceſſarium ſit moerore confici, & quaſi conſternari amiſſa jam ſpe, ac in pejus labentibus in diem rebus. Sed his omiſſis, quae accuſari facilius, quam emendari poſſunt, breviter reſpondebo. Quantum ad Feſulanum negocium attinet, vacabit quidem Eccleſia: ſed tamen illi ipſi, qui prius tenebat, dabitur in commendam: ſic enim in cunctis, quorum memoriam teneo, factitatum recordor. Itaque non videtur hanc curam inpraeſentiarum ſuſcipiendam eſſe, & qui aliter exiſtimant, conſuetudinem, michi crede, ignorant. Ego tamen paratus ſum quocumque in caſu huic ſtudium & diligentiam adhibere,

quoniam & juſtus vacationis eſt modus, & non omnino injuſtum deſiderium; nam alterum illum, qui per ruinam alterius ad generalem beſtialitatem aſcendere cupit, utinam michi adeſſet poteſtas non de Monte Carmelo, ſed de Caucaſo praecipitem dejiciundi! Neminem cognovi adhuc virum-bonum, qui hujuſmodi pompas & inſanias per hanc viam ſibi ultro oblatas non repudiaret, nedum ambiendo, & flagitando perquireret. Ad ſextum Idus Octobris conſtitui ad aquas Puteolanas lavandi cauſa proficiſci; eroque fortaſſis ibi Octobrem totum, deinde conſtituam, quid michi in futura hyeme ſit agendum. Si qua ratione me explicare ex hac procelloſa tempeſtate poſſem, libenter ad vos tanquam in tranquillum aliquem portum me reciperem. Nam hic manentem multa undique conturbant. Primum iſtis non obſequor ut ipſi efflagitant, ſaepeque adverſus eorum voluntatem contumaciter repugno, nec quicquam exequi volo, niſi quod mea aequitas patiatur. Alii vero praeſtantes viri, qui nuper ſeceſſerunt, meam hanc moram graviter, & inique ferunt, praeſertim cum collega meus hic nuper abierit, & certe inſalutato hoſpite. Itaque utriſque diſpliceo, iſtis quod non obſequor, illis, quod non ſequor. In hujuſmodi moleſtiis conſtitutus, quo me vertam neſcio. Omnem hujuſmodi deliberationem in reditum meum a balneis reſervo. Deus bene vertat conſilia noſtra. Senis XV. Kal. Octobris.



IV.

IV. [1]

LEONARDUS NICOLAO S.

Arretii se aliquid novi exspectaturum significat.

VEni Aretium Kal. ipsis Decembribus, sumque hic moram facturus, donec a Poggio aliquid rescribatur, qui instructus atque doctus de omni cura, & cogitatione mea ad vos profectus est. Circumspicite diligenter omnia quaeso, ut maturius quid agendum michi sit, statuere possitis. Vale. Aretii II. Nonas Decembris.

V.

LEONARDUS NICOLAO S.

Pertinaciae notam a se repellit.

QUod ad me ita scribis, quasi ad hominem durum, ac nimium pertinacem, qui nec ab amicis moveri possit, nec persuaderi sibi permittat, vehementem mi dulcissime Nicola, admirationem suscipio. Nam quis me facilior, & ab omni obstinatione, duricieque remotior? Quis amicorum sententiis morigeratior, & obsequentior unquam fuit? Atqui ego nuper Senis Poggio nostro commisi, de consilio tuo, & ceterorum amicorum, quid in illo negocio per me agendum foret, statueretur. A quo tamen nec Aretii permultas dies expectans, nec po-

(1) Haec deest in edit. Fabriciana.

postea Arimini tamdiu commoratus ullam, neque litteram, neque nuncium, cum quotidie anxius expectarem, & ex illo totus penderem, accepi. Non poteram in hanc suspicionem adduci, ut Poggius in re mea praesertim tam seria ac tanti ponderis torperet, ac per negligentiam labi tempora sic periculosa pateretur. Vos potius arbitrabar deliberabundos, & ambiguos propter difficultatem consilii, & incertitudinem rerum futurarum expectare, ut aliqua inde firma spes vobis ostenderetur. Tu ergo vide, & mature cum ceteris amicis nostris delibera. Vale Kal. Februarii Arimini.

VI.

LEONARDUS RICCIO S.

Quemdam esse suspectum male sentire de Pontifice.

VOcavit me hodie Card. Senensis (1) ac vehementem querimoniam michi adversus germanum tuum exposuit, quod Burdegalensi Londonis obviam exisset, quod ipsum postea omni reverentia & obsequio honorasset, quod in praesentia Regis, & alibi cum multa contra Pontificem dicerentur, ipse praesens, & audiens nunquam restiterit, quod litteras, quae per Pontificem eidem transmissae fuerant, nunquam ostenderit, sed tacendo illius calumniis quasi consentientem se praestiterit. Addit etiam esse factum, ut Joanni Cincio Equiti Britanno, & Metensi Episcopo, qui Pontificis fave-

(1) Gabriel Condulmerius Venetus Gregorii XII. ex Sorore Nepos Praesbyter Cardinalis Titulo S. Clementis, ac Episcopus Senensis.

vebant partibus, fides derogaretur detectis eorum consiliis apud Regem. Haec omnia se accepisse ex litteris Veneti cujusdam, qui Londonis negociatur, affirmat, a quo commendationes germani tui saepius jam suscepit. Itaque non dubitare se, quin & haec quae superius dicta sunt, & alia insuper multa, de quibus ille non scribebat, contra honorem Pontificis fuerint ab eo peracta. Haec Senensis ad me, tanquam ad hominem tibi arctiori vinculo conjunctum cum indignatione quadam exprobravit. Ego quae pro tempore dicenda videbantur respondi, fecique meo solito more, ut ad mitigationem irarum conatus omnes adhiberem. Sed tu vide, quid agendum putes: michi quidem ad mores istorum, & conditionem locorum, in quibus Anconitana Ecclesia est, mentem vertenti major formido incumbit. Intelligis quid dicam; quare mature, & prudenter consilium sume. Arimini Kal. Februarii.

VII.

LEONARDUS NICOLAO S.

Quid agendum sit iis, qui Episcopatum desiderant.

BInas proximis diebus abs te litteras accepi, sic tamen, ut quas tu prius dederas, michi posterius redderentur. In primis, quae michi hodie redditae sunt, intellexi amici tui, qui ut Deo servire sine inopia possit, Episcopatum desiderat opulentum, eximiam cupiditatem, & immaturam procul dubio festinationem. Atque ut huic parti ante om-

omnia respondeam, nec amicum tuum virum utique bonum, sed minime, ut michi quidem videtur, astutum spe vana deludi permittam, primo scias, de privatione illius, quo de scribis, nullam omnino in hac nostra Curia fuisse, aut esse mentionem, falsumque rumorem ea de re vestras ad aures pervenisse. Illud praeterea haudquaquam tacuerim, quod suam, & tuam prudentiam fugere non debet, in hujusmodi promotionibus Episcoporum necessarium esse, ut aliqua diligens, & operosa praeparatio antecesserit, per quam animi eorum, qui dare possint, ita dispositi sint, ut dare velint. Hujus ergo praeparationis, & opportunae, & necessariae, & sine qua qui sperat, stolide ac vane sperat, in hoc amico tuo ego nichil video; & si per me verbis dumtaxat fieri posse credatis in hoc tempore, & in hac tanta Florentinorum Civium multitudine, quibus aut pro adversa inclamatione, medicata, ut ita dixerim, offa praecludendae sunt fauces, aut pro favore, aut navata opera gratiae referendae, vehementer erratis.

Aude aliquid brevibus gyaris, & carcere dignum,
Si vis esse aliquid, probitas laudatur, & alget.

Haec ego scripsi liberius, ut intelligere possitis, aliter per vos super hac re istic vigilandum, & providendum esse. Nam quantum ad me attinet, paratissimus sum, sed hoc non satis habet virium hoc tempore, tantaque ambitiosorum hominum cupiditate. Quare faciat ipse qui petit, ut aliquo memorabili obsequio, aliquave insigni re gesta nomen ejus apud Pontificem commendetur. Medio posuit Deus omnia campo, nec sedentibus coronae, sed pugnantibus traduntur. Quod autem in eadem epistola scribis tibi meum adhuc consilium vehementer placere, est id michi quidem, ut ita existimes, pergratum; sed Nicola noster contra sentit, Poggius vero ad.

utrum-

utrumque mussat. Itaque illud Horatii dicere non immerito possum.

Tres mihi convivae prope discordare videntur
Poscentes vario multum diversa palato.

Nunc venio ad alias litteras tuas. Expecto epistolas, quas michi uberiores, prolixioresque polliceris, quibus vellem, ut de Salutato responderes, quando Poggius noster, ut dudum Apollinis Delphici oraculum, obmutuit. Vale. Arimini Idibus Februarii.

VIII.

LEONARDUS ZUCHARO S. P. D.

Significat, qua ratione inter partes se integrum servet.

VEllem interdum michi scriberes, & quae istic agantur, quaeve sperentur, notum facere tua solita diligentia curares. Ego Arimini sum, verumtamen ita sum, ut meus sim, & meo arbitrio, non alieno vivam. Nichil enim facio, nichil scribo, nisi quantum michi placet. Placet autem tantum, quantum tu nosti. Nulla adhuc littera mea, ne unus quidem apex conspici potest, de quo quisquam in hac miserabili divisione possit querimoniam adversus me justam habere. Adeoque nota est omnibus haec integritas mea, nichil ut omnino michi, quod ad hac divisionem spectet, demandetur, processus & hujusmodi pestilentias nec legere, nec scribere, nec ubi legerentur, scriberenturve, adesse unquam volui, quae res multum ad utilitatem, & gratiam michi obest. Sed obsit quantum vult; semel decrevi ita fore in Curia, ut neminem laedam. Si hanc

hanc integritatem servare michi liceat, motabor: si non licuerit, confestim abibo. Vale.

IX.

LEONARDUS NICOLAO S.

Vetustatis reliquiae Arimini Urbis quae sint, item quid differat civitas ab urbe.

EGisti mecum pro cetera tua diligentia, & vetustarum rerum eximia cura, ut si quid antiquitatis Arimini reperirem, tibi notum facere per meas litteras curarem. Quod postquam intellexi, tametsi antea sponte mea satis accurate visendi studio cuncta lustraveram; tamen cognito desiderio tuo circumivi rursus urbem, omniaque perscrutatus sum, & quam diligentissime potui, singula quaeque prospexi, ut tuae quamaccumulatissime satisfacerem voluntati. Est autem Ariminum, ut te ignorare minime arbitror, Populi Romani Colonia antiquissima quidem, ac celeberrima. Sed evenit in hac, quod in ceteris antiquis urbibus evenire solet, ut reliquiae, ac monumenta quaedam vetustissimorum operum conspiciantur, verum ita ruinis quassa, ac vetustate ipsa consumpta, ut nec cujus figurae, nec ad quem usum fabricatae fuerint, quamvis diligentissimus prospector queat agnoscere. Duo tamen notabilia, & praestantia antiquorum operum monumenta, quae adhuc pene integra supersunt, digna annotatione, & visu speciosa, tibi quam minus inepte potero, describere conabor. Porta est sublimis ac magnifica lapide quadrato, & diligenti artificio perpolita, cujus antiquitatem ex litteris superne incisis

cifis conjecturare licet. Quanquam enim ex parte quadam disjectae; tamen & Consulis mentionem habent, & diphthongi quaedam secundum antiquam scribendi normam, ut pro viis *vieis*, & pro celeberrimis *celeberrimeis* more Graecorum, qui nonnunquam hujusmodi diphthongo utuntur, scriptae leguntur. Ejus vero portae latera turres duae utrinque muniebant, quas tamen quia non item ex lapide, sed ex lateritio fuerunt, jam antiquitas pene totas assumpsit. Habes unum monumentum, nunc aliud accipe non minus insigne. Pons est ex marmore ornatissimus ac pulcherrimus, quem, ut litterae ab utraque sponda docent incisae, Divi Augustus, & Tiberius dedere. Fieri potest, ut alter inceperit, alter absolverit, vel ut ab altero destinatus, ab altero sit perfectus. Quomodocunque sit, pontis structura est permagnifica, marmora undique decorant. Quatuor in alveo pedes habet, arcubus quinque ripas conjungit, latitudo est satis ampla, ut binae quadrigae adversum citatae se ad invicem non impediant, & via insuper ab utraque parte per gradus paulo altiores secundum parietes, qua pedibus iri possit, relinquatur. Parietes vero ipsi ex marmore sunt per hunc modum facti: singuli lapides deinceps positi per latitudinem recti, & a summo teretes suo tantum pondere, moleque subnixi viam utrinque muniunt, & pontis oras claudunt extremas. Quod autem pro magnificentia ejus operis maxime noto, longius trans ripam ab utraque parte structura pontis eodem ornatu facieque protenditur, ne mutatione alvei fallere, aut circumvenire amnis possit. Via autem a ponte strata fuit lapidibus illis, quibus circa urbem Romam multa itinera strata fuisse cernuntur, extantque adhuc reliquiae quaedam, lapidesque ex eo genere passim jacentes pluribus in lo-

locis conspiciuntur evulsi. Ex iis vero duobus monumentis satis aperte judicari potest, hanc Urbem priscis illis temporibus majoris ambitus, quam hodie sit, non fuisse, sed aliquanto etiam minoris. Nam ea ex parte, quae Pisaurum, ac Fanum fortunae spectat, antiqua est porta, de qua supradixi, & ex opposita regione oppidi, qua Ravennam versus itur, pons est Augusti, & Tiberii super flumen, quod urbem abluit: aliis rursus ex partibus tam versus mare, quam versus continentem moenia cernuntur vetusta, a quibus productum esse pomerium constat, & spatium antiquae urbis addiramento non parvo amplificatum. Quod si quis forte non putat hanc, quam dico parvitatem, illi tam crebrae apud historicos mentioni, ac celebritati hujus loci convenire, majoremque, & ampliorem fuisse contendat; is cogitare debet ob opportunitatem potius hujus Urbis, quae extremis Italiae oris sita, Gallisque finitima accommodata erat, quam ob magnitudinem ejus tam frequentem mentionem haberi. Illud insuper considerandum est, quod plerosque non satis eruditos interdum fallit, aliud urbem significare, aliud civitatem: urbs enim est solum aedificia, & moenia ab orbe, quo locus cingitur, appellata. Civitas autem est congregatio hominum jure sociatorum, & eisdem legibus viventium; unde bonus vir, ut ajunt Stoici, ex urbe quidem pelli potest, ex civitate vero non potest, ut licet urbs ipsa parva fuerit, civitas nichilominus maxima & amplissima fuisse potuerit. Neque enim multum refert, ut opinor, intra urbem cives habitent, vel extra, modo iisdem legibus, unoque statutis consilio vivant, eosdem magistratus vereantur, muneraque, & honores simul capiant. Perusium, & Aretium parvas fuisse urbes ex utriusque antiquis moenibus aperte di-

discernitur; eaedem tamen Civitates magnae, & Etruriae capita fuere. An credis multitudinem civium, quae nunc est, cum illa quae tunc erat, aliquo modo comparandam? Dici procul dubio non potest. Quid ergo erat? & intra, & extra urbem civitas vocabatur. In ipsa vero urbe, quod erat praecipuum civitatis oppidum, fora erant & judicia, & magistratus, qui cum res postulabat, in concilium cives vocabat. Hoc etiam nomen ipsum civitatis attestari videtur. *Ciere* namque vocare est; inde cetus, inde cives, inde civitas, inde etiam illa composita concio, concilium, conciliabulum, & alia hujusmodi congregationis vocabula ex eo dicta, quod multitudo varie dispersa in unum convocabatur. Qui vero ajunt civitatem dici, quasi civium unitatem, ii, cum eorum pace dictum sit, omnino delirant inscitia litterarum. Velim namque ab ipsis audire, num & parvitas dicatur, quasi parvorum unitas, & similiter diversitas, & varietas, diversorum & variorum unitas. Probat insuper illa ratio, quod apud veteres distinctio fit inter cives, & peregrinos, non ut hodie facimus ineptissime quidem, sed tamen facimus. Imperitia enim non solum rerum, sed etiam verborum omnia in hac temporum nostrorum faece confudit inter cives, & comitativos. Peregrinus Rex Numa Pompilius Romae fuisse dicitur, quod erat ex Sabinis licet finitima civitate, tamen aliena, & Ciceronem nonnunquam malivoli propter immodicam judiciorum potentiam peregrinum Regem vocitabant, quod erat Arpinas origine. Haec dixisse velim, ut quam diversa sit urbis, ac civitatis significatio non ignoremus, nec admirationi sit nobis, si celeberrimarum ac potentissimarum olim civitatum parvas interdum urbes, & quae tantae celebritati famae non videantur respondere, conspicimus. Possem

ſem ad hoc multa ex antiquis adducere, quibus ea, quae ſupradixi, de civitate, & urbe manifeſtiſſime comprobantur, niſi vererer, ne in re manifeſta tedium, ac faſtidium prolixitas pareret. Sed redeundum eſt, unde digreſſus fui. Tanquam enim, ſi praeſens tecum loquerer, facultatem quandam evagandi licentius, & de tota antiquitate loquendi michi aſſumpſi, putans id tibi plus voluptatis, quam moleſtiae allaturum. Urbem igitur Ariminum vetuſtis illis temporibus minorem aliquanto, quam nunc ſit, fuiſſe apparet; civitatem nichilominus longe majorem, ut ſupra dixi, arbitror fuiſſe. Ex monumentis autem vetuſtis duo tibi deſcripſi, quae michi relatu digna videbantur. Sed poſtquam antiquorum hujus loci monumentorum facere mentionem inſtitui, & liberius evagari epiſtola coepit, non praeteribo unum hujuſce loci, ac pulcherrimum priſcae antiquitatis ſpecimen, cui nec illa inclyta Roma, quae imperium terris, animos aequavit Olympo, neque Athenae, aut *Syracuſae* magnificarum quondam urbium ingentes ruinae quicquam par, aut ſimile in ſuis hodie reliquiis habent. Eſt autem hoc non marmor Parium, non lapis Numidicus, non Phidiacum ebur, non Corynthium vas, non ſtatua ex aere, aut marmore fabricata, non aedificium, non penſiles horti, non cochlea columna, non theatrum, non obeliſcus, non ſignum, non tabula, non toreuma res mutae quidem, & puerorum oblectamenta, ſed praeſtantiſſimorum virorum, eorum dico, quos ſtupidi legentes admirari, & quorum memoriam venerari ſolemus, vivam & animatam effigiem. Virum enim praeſtantiſſimum, & michi credo, qui quam lentus ac diffidens laudator eſſe cenſuerim non ignoras, virum inquam praeſtantiſſimum ex illo priſco genere hominum in hac urbe inveni Carolum Malateſtam

comoverim (nach [illegible] ed. Nanniani S. 9)   Prin-

Principem hujus civitatis, quem quotiens intueor, totiens michi aliquem M. Marcellum, aut Furium Camillum invictissimos bello duces, & eosdem in pace mitissimos atque optimos viros, legibusque obtemperantissimos videor intueri. Crede michi Nicolae, non te fallo, nec ipse fallor. Nunquam vidi hominem, qui magnitudine animi, & ingenii praecellentia, aliisque summo Duce dignis virtutibus ad antiquos illos illustres viros propius michi videtur accedere. Nec tamen nunc a me in hoc viro tibi recensendo laudationem oratoriam, & dicendi artificium expectes. Illis enim hujuscemodi ornatu opus est, quorum virtutes, ac res gestae satis per se ipsas formosae non sunt, ut mulieres videmus illas maxime fuco ornatuque inniti, quae sua ac vera pulchritudine carent. Praeterea nec tempus, nec propositum meum, nec epistolaris brevitas patitur me nunc per rhetorum praecepta discurrere, & panegyricas commendationes excerpere. Itaque illa praetereo, quae de generis claritate, quae de amplitudine ac gloria majorum, quae de fortunis ac facultatibus, ceterisque hujus generis verissime, & accumulatissime possem, si in his demonstrandis occupatus esse vellem, referre. Quid enim attinet splendorem familiae, ceteraque hujuscemodi in hujus laudem adducere, cum ipse quocunque in loco natus fuisset, propter egregias virtutes sibi ipse fuerit nobilitatem gloriam, & amplitudinem pariturus? Illud tantum breviter & summatim dicam, ex clarissima hujus familia praestantissimis ac summis viris continua successione referta, sic omnes superiorum virtutes Dei munificentia in istum collocatas, ut quicunque in hac familia aut consilio, aut magnitudine animi, aut strenuitate, aut justicia, aut liberalitate conspicuus fuerit, in hoc uno tamquam legitimo omnium suc-

cessore cunctae hujusmodi superiorum suorum praestantissimae dotes appareant. Est enim, ut quidem videtur, prorsus mirabile, quam multis ac variis rebus hic Princeps excellat. Et primum in rebus bellicis quanta hic vir gloria sit, quamtumque judicio omnium, qui rei militaris peritiam habent, excellere putetur, consentiens omnium fama testatur; extantque res ab eo gestae magnae quidem ac memorabiles, & ab ipsa adolescentia continuatis victoriis feliciter confectae, in quibus & generosa celsitudo cordis ad pericula capessenda, & inter ipsa pericula invictum corporis atque animi robur apparuit. Rursus ad pacem, atque ad eas res, quae sine armis geruntur, si te vertas, invenies consilii maturitatem, & prudentiam singularem, quae in hoc viro tanta est, quantam & acumen excellentis ingenii, & multarum ac maximarum rerum tritus & diuturnus usus maximam in homine efficere potest. Accedit ad haec illud meo judicio mirabile, ac nescio si recte dixerim, stupendum, quod vir in his rebus, quae a studiis abhorrere videntur, occupatissimus tantum litteratura, & doctrina pollet, quantum pauci assequuntur ex his, qui universam aetatem in hujuscemodi studiis posuerunt. His adjicias illa praeclara, sine quibus omnis praestantia in Principe deformatur, modestiam, honestatem, mansuetudinem, tranquillitatem, religionem, sanctimoniam, integritatem, & haec omnia egregia. Est praeterea tanto naturae munere, ut ad singula praecipue natus videatur: celerrime legere, versus facere, soluta oratione eleganter dictare, & quod in robustissimo corpore mirandum est, nec ipse de eo scriberem, nisi de divo Augusto, ac divo Tito Vespasiani filio idem legissem, ita venuste propria manu scribere, ut omnes librarios vel adaequare faciliter, vel superare possit.

Ita-

Itaque haud facile dixerim robuſtior an doctior, corpore an mente validior atque aptior, juſtior, an ingenioſior ſit aeſtimandus. Sunt inſuper, qui felicitatem ejus ex ſucceſſibus rerum bene geſtarum magnifice extollant, quod equidem tribuendum puto cum induſtriae ſummi viri, tum ejuſdem juſticiae, ac pietati: verbum eſt enim Furii Camilli, omnia proſpere evenire ſequentibus Deos, adverſa ſpernentibus. Nolo quemquam ex antiquis praeſtantibus viris in contentionem adducere, ſed certiſſime confido, cum de vetuſtis rebus a me quaeſiveris, hoc ſpecimen antiquitatis nequaquam fuiſſe praetereundum. Vale. Arimini X. Kalendas Martias.

X.

LEONARDUS PETRO EMILIANO S. P. D.

Excuſat ſe, quod non frequentius ſcripſerit.

OPinor tibi non ſatis manifeſtam ſolum, verum etiam ſatis probatam eſſe cauſam, cur per hoſce menſes ad te ſcribere haud multum properaverim. Cum enim epiſtolarum officium ſit, ut abſentis de his rebus, quae apud nos geruntur, certiores faciamus, atque ego apud eos degerem, quorum opera ac voluntates a te minime probari ſentiebam; committendum non cenſui, meae ut litterae, in quibus praeſertim nichil utilitatis ad corrigendam emendandamque prolapſam rempublicam ineſſe poterat, aliquid aut ſuſpicionis, aut offenſionis contraherent. Scis enim, quia ubi adverſus quempiam infenſi ſunt animi, omnis omnino communicatio, etiamſi nichil habeat nocumenti, moleſtiſſima

 eſt.

est. Quamobrem intermisi equidem ad te scribere, cum tamen amor erga te meus nullam intermissionem caritatis aut benivolentiae pateretur. Nunc autem quoniam ex eo loco, in quo nichil aliud, quam jus quoddam familiaritatis me detinebat, decreto Florentinae Civitatis revocatus sum, & jam sine cujusquam offensa scribere posse videor; dabo operam, ut quam intercapedinem abstulit condicio temporis, hanc jam liber, & omni solutus cura animus exsuppleat. Hoc item a te, qui iisdem, ut opinor, rationibus adductus longum michi litterarum tuarum silentium praestitisti, nunc submota causa censeo faciendum. Sic & quod intermissum est, assiduitate crebritateque faciliter instaurabimus, & non longi temporis incommodum longa, atque continua commoditas leniet. Vale.

XI.

LEONARDUS S. D. ANTONIO.

Qualis veri magistratus animus, qualisque corrupti.

INgentem voluptatis partem peregrinatiunculis meis defuisse existimo, quod nec Florentiae, nec Aretii tecum esse potuerim, sed alternatis temporibus, dum ego Florentiam venissem, tu Aretii fueris, dum rursus Aretium peto, tu Florentiam remigraris. Super qua re vix est, ut non putem michi fortunam invidisse, & cum cetera, ut optarem, praestaret, hoc unum denegasse, ne cupiditas mea penitus impleretur. Valde tamen molestius michi fuit, te Aretii non invenisse quam Florentiae; primo quod

quod non quemadmodum Florentia Aretium, sic Aretio Florentiam petiturus eram. Deinde quod licet prius esset apud me firmissima de tua probitate constituta opinio; tamen ita magnas, & egregias laudes admirabilium virtutum tuarum, in ea Civitate, quae te proxime semestri cum imperio praesidentem experta erat, audivi, ut longe magis inflammatus sim ad benivolentiam, & caritatem tui. Itaque valde angebar animo, facultatem michi ademptam tibi praesenti e vestigio gratulandi. Fuit enim profecto virtus omni tempore admiranda, sed aetate nostra tanto magis, quanto bonorum virorum penuria est major, praesertim in magistratibus, ubi propter licentiam peccandi abstinere se difficilius est. Plerisque enim non tam voluntas malignandi deest, quam facultas. Cui vero cum licuerit, non libuit, in eo cognita, & spectata est bonitas. Enarrare quidem non possem, quantopere universam civitatem in te conversam repererim, quam amplissimis commendationibus te, ac nomen tuum, ubicunque sermo inciderit, prosequantur, quam satiari nequeant tuam justiciam, integritatem, abstinentiam, moderationem, humanitatemque memorantes. Praetereo illa, quae tibi communia sunt cum multis. Hoc vero egregium, & ut sunt mores nunc maxime, luculentum, quod te unum fuisse ajunt ex illo sanctissimo genere hominum, qui non putares praedam tibi concessam, cum gubernatio subjectorum demandaretur. Qui non vexationem, & spoliationem hominum tuae ditioni potestatique mandatorum, sed tutelam, & sublevationem tibi commissam arbitrarere. Nolo quenquam meis litteris attingere, nec ex aliorum malefactis virtutem tuam extollere: sed tamen vereor, ne ea de causa haec a te observata homines in admirationem convertant, quod rarissima sunt

hujus probitatis, integritatisque exempla. Nam usque adeo conversa est res, tantumque potuit cupiditatum vesania, ut impunitatem, & praedam se nactos existiment, quibus magistratus, & imperia committuntur. Ac si vera fateri volumus, fasces, & secures nostri temporis nichil aliud sunt, quam mercimonia, vel potius latrocinia quaestus & rapinarum causa sceleratissime comparata. Itaque illi maxime justiciam violare didicerunt, quibus ad justiciae tutelam publice arma, gladiique traduntur. Quo quid perversius esse possit non equidem intelligo. Natura enim ita comparatum est, ut in rectoribus praeponendis populorum tantum quaeratur utilitas, punire maleficia, facinorosos absterrere, discordias tollere, de commodo eorum, qui reguntur, cogitare, rapinas, damna, injurias, contumelias non solum non inferre, sed etiam ne alter quisquam inferat, prohibere, abstinentia, & integritate in omnibus uti. Quid ergo scelestius, quid proditioni similius, quam ut ea facias, ad quae prohibenda custos praefectus sis? At enim quid sibi habebit is, qui magistratum gerit? An non aliud quicquam, nisi laborem, gerendique molestias? Habebit profecto, & quidem rem maximam, omnique pecunia, lucroque potiorem. Id autem erit honor, & gloria, ad quem omnis pecunia comparata vilescit. Cui autem hoc non satis est, is nunquam bonus erit Gubernator. Recta igitur partitio fuerit, ut qui reguntur utilitatem, rectores autem honorem percipiant, quod & ista, quae feruntur, instrumenta declarant. Quid enim quaeso parant homines magistratum inituri? Vexilla credo, & equos, & stragulam vestem, sagulaque, & parmas & losos, ac cetera hujusmodi, quae quidem omnia non pecuniae captandae, sed splendoris, ac magnificentiae sunt instrumenta. At enim mercator

cator quaestus gratia proficiscens nil tale secum defert, sed libros, & calculos. Lucri igitur, & honoris quaerendi diversa admodum ratio est, diversique apparatus, quae duo nunc plerique confundunt, ad lucrum, & pecuniam cuncta referentes, perinde in magistratibus, ut in mercimoniis quaestuosi. Tibi igitur gratulor, qui verum iter ingressus non quantum pecuniae, sed quantum laudis ex magistratu referres, cogitasti, quem neque cupiditas animi a ratione distraxit, neque superbia ab aequabilitate. Itaque non jam alium tibi imitandum proponam, sed ut te ipsum imiteris exhortor. Nichil enim tibi deerit ad laudem, si te posthac praestiteris quam simillimum tui. Vale.

XII.

LEONARDUS RUFFO S.

Magnam multitudinem Pisani Concilii esse.

AD III. Nonas Apriles cum Pisas venissem obediens Patribus, qui per crebras me litteras evocarant, offendi rem Concilii opinione meliorem; ita frequens jam multitudo coivit, & quidem excellentissimorum hominum, tamque in dies singulos cumulatur omnibus undique confluentibus, ut vix suffectura haec urbs magnitudini conventus videatur. Collegio autem Patrum nichil humanius nichilque vigilantius. Expectantur Britanniae Episcopi, qui cum Burdegalensi propediem affuturi dicuntur: Processus interea legitimi fiunt adversus Pontificem nostrum. O rem duram, sed tamen necessariam, quando ille post malos suasores abiens pro-

missa, jurataque contempsit. Alamannum Archiepiscopum Pisanum propinquum tuum hominem omni laude dignissimum convenio frequenter, ac de te sermo nobis creber est. Haec tibi scripsi potius, ut litteras tuas elicerem, quam ut quicquam haberem, quod magnopere nosse te vellem. Tu michi aliquid prolixius rescribas rogo, praesertim de studiis tuis, quae multo malim, quam acta Concilii perdiscere. Vale.

XIII.

LEONARDUS NICOLAO S.

Quaedam vetusta exemplaria amicum suum reperisse.

IN hac ipsa hora cum tibi scribere pararem, litterae tuae michi redditae fuerunt; primo igitur dicam quod dicturus eram, deinde tuis respondebo. Bartholomaeus Cremonensis michi hodie affirmavit, se Ciceronis epistolas ex vetustissima littera reperisse. Contempsi primo, mox cum magis magisque asseveraret, confestim domum ejus visendi studio me corripui, quo in loco michi ostenditur volumen antiquissimum sane, ac venerandum. Sed dum avide evolvo, ac singula scrutor, invenio epistolas ad Brutum, & ad Quintum Fratrem, eas videlicet ipsas, quas habemus, & septem dumtaxat ad Atticum libros. Fuit id minus quam optarem; sed tamen opinor aliquantulum inerit lucri ad nostras emendandas. Illud satis constat, quas antea habuimus, ex eo volumine non fuisse transcriptas, cum ibi non plures, quam septem ad Atticum libri, nos vero,

vero, ut opinor, quatuordecim habeamus. Nonium Marcellum dicit se in dies expectare. Haec tibi nota facere constitueram prius. Nunc ad litteras tuas. De libro eligendo utrumvis eliges, bene erit & quos meo nomine habes, habebisve, quaeso diligenter conserva. De Augustiniano autem negocio litteras uberiores expecto. Gorgiam per hunc Riccii puerum tibi mitto. Tu, si commode fieri poterit, dabis operam, ut quam celeriter transcribatur. Vale. Pistorii Kal. Novembribus.

XIV. (1)

LEONARDUS NICOLAO S.

De Guarino, Chrysolora, aliisque rebus commonefacit.

QUod de Agathocyrio scribis, me quidem in ea re quominus respondere tibi aperte queam, prohibet consideratio antiqui librarii, quem nec ejicere honeste, nec una retinere commode possum. Suspicor tamen hunc per se emigrandi consilium sumpturum, quod si faciet, continuo Agathocyrium vocabo. Graecorum vitam legit nunc Antonius Luscus (2): cum eam praelegerit, ad te deferetur. Cum haec superiora jam exarassem, aliae michi litterae tuae delatae fuerunt, quas XIII. Kalendas Martias ad me dederas. De Agathocyrio satis super

(1) Haec in edit. cl. Fabricii deest.

(2) Vicentinus, Secretarius Apostolicus, cujus nonnulla MSS. exstant in Bibl. Laurentiana. De hoc ita Cortesius: *Antonius Luscus fuit Rhetor quoque non contemnendus, quem etiam indisertum dicunt fuisse.*

per expressi. De Gracchis quid Cicero scripserit non ignorabam, & est varia apud illum relatio, ut alibi deprimat illos, alibi tollat. Nec id mirum, cum & illorum acta fuerint varia; ab optimis enim initiis profectos contentiones civiles longius evexere, ut sint quae laudari, & quae damnari possint. Ego tamen de his alias ad te rescribam plenius. Haec satis ad litteras tuas. Sed tu accipe, quae apud nos noviora: Joannes Graecus miles Bononiam venit ad XI. Kal. Martias. Secum habet Demetrium non Poliorcitam, & Guarinum Veronensem [1]. Hic ut gustare primo aspectu potui, Juvenis est apprime doctus, & qui tibi placere non immerito possit. Miles satis habuit vestes portare, quae apud eum levissimae sunt: nam libros, quoniam graviores esse videbantur, omnino reliquit. Manuel vero Chrysoloras nescire se ajunt, ubi terrarum siet. Conjectari tamen, illum in Hispania esse. Vale.

XV.

LEONARDUS NICOLAO S.

Praeter alia, quae haec continet, scribit se nolle Religiosum juvare, ut Monasterium relinquat.

VAlde cupio, meae ut aliquando litterae tibi fastidio sint non ob inconcinnitatem, nam id avertat Jupiter, sed ob nimiam crebritatem, quod tamen nescio, an unquam continget. Gua-

(1) *Leonardi fere aequalis fuit Guarinus Veronensis, doctus Magister*. Ita Cortesius, apud quem plura. Vide Blondum, Volaterranum, Gyraldum, ac cl. Maffeium Lib. III. Veronae Inlustr.

Guarinus tibi praesto aderit, quem praesentem intueri, ac perspicere licebit. Expectas judicium meum? Ego & alias scripsi ad te, & nunc magis etiam confirmo eruditissimum michi videri, & quem tu probare non immerito possis. Illud permolestum est, quod miles libros attulit nullos, graves esse putavit; ipse vero decreverat nichil praeter levitatem secum afferre. Itaque illos omisit, vestes autem nequaquam gravi homine dignas attulit. Quare populus concursat, Curia ridet, ego digito compesco labellum, & quo me vertam, nescio. Vereor enim, ut nunc mores sunt, ne ut olim Chaldaei ex urbe Roma, ita nunc Graeci ob has ineptias e Curia pellantur. Mitte quaeso eos, quos jampridem flagito, codicillos. Pro Religioso autem illo, qui Religionis pertaesus exire cupit, miror, te usque adeo vehementer anniti, quasi vero desiderium aut honestum, aut tolerabile videri possit. Nam quod causas allegat, velamenta quidem illa sunt inconstantiae, & vacillationis, quae quem tu haec eadem allegare non putas? Itaque ne me roga quaeso; sed sive rogabis, sive non, ego tamen nichil agam. Vale.

XVI.

LEONARDUS NICOLAO S. (1)

De negocio sibi commisso bene sperari jubet.

NIchil michi longius visum est, quam ut litteras tuas diu quidem intermissas reciperem, quanquam leniebatur desiderium meum spe propinqui reditus, quem in dies singulos distuli, & adhuc

(1) Hanc omisit cl. Fabricius.

adhuc differre non desino. Nunc ad rem, pro qua Pontifici Maximo supplicari voluisti, breviter, & pauca respondebo. Omnia ut spero consequemur secundum sententiam, & quidem intra paucissimos dies. Data est enim forma, ut ego cuncta in libellum redigam, atque una cum Florentino Cardinali, is est Zabarellus noster [1], discutiam, & censeam quid agendum sit. Non ergo dubito, quin ita arbitremur, ut vos ipsi optatis. Una dumtaxat res admirationem Pontifici dedit, quod Religiosos ex observantia B. Augustini dicit sibi antea inauditos. Sed nisi fallor, id non oberit: vel quia reperiemus exempla, vel quia etiam si opus sit, bonis in rebus novum exemplum laudabiliter institui posse faciliter persuadebimus. Vale.

XVII.

LEONARDUS POGGIO [2] S.

De suarum nuptiarum impensis, & magnificentia.

AD XV. Kal. Apriles Aretio rediens deflexi iter in patriam tuam [3], ibique parentes tuos vidi utrosque sane incolumes. De sorore autem nuper nupta, itemque de ceteris tuis prospera michi retulerunt. Itaque summatim tibi scribere possum more majorum, recte sunt apud te omnia. Inde

(1) *Francesco Zabarella Padovano Cardinale Dottore eccellentissimo. e sommo Teologo, e Monarca di Scienza, che compose in ragione Canonica, ec.* Ita in Ducibus Venetis Sanutus. Hunc inter doctissimos Cardinales recensuit Aecoltus. Vide Ughellium.

(2) Bracciolino, Pontificiarum Epistolarum Magistro, ac Leonardi nostri Collegae.

(3) Terranovam videlicet.

Inde Florentiam reversus suscepi abs te litteras, quibus etsi longioribus vigiliis ita confectus, ut dormire quam scribere praestaret; tamen ut potero respondebo. Primum igitur, quod Zucharum virum omnium suavissimum, facete, ut solet, dictitare scribis me quidem ut matrimonium consummarem abiisse, se vero remansisse ad patrimonium consumendum, id aperte scias verum non esse. Ego enim non matrimonium dumtaxat, sed patrimonium insuper unis nuptiis consumpsi. Incredibile est, quam multa impendantur his novis & jam ad fastidium usque deductis moribus. Nec ego nunc sane de conviviis loquor, quanquam est acta illa res a me non tibiis disparibus, ut est apud Comicos, sed paribus, nec unis, sed pluribus. Aderat insuper Pincius Citharedus nobilis, meministi, opinor, ejus, qui apud mulieres quandoque in conviviis querebatur, quod illae sederent, cum Pincius erectus staret. Hinc tu frequentiam existimare potes. Vacuefeci forum, & aromatarias tabernas, coquos, farctores, aucupes notos, & ignotos pariter fatigavi. Verum haec licet sint magna, tamen non sunt magna, propterea quod rumoris plus habent, quam impensae, & plus strepitus inferunt, quam damni. Sed illa intolerabilia, quod vestitu, mundoque muliebri nullus est finis. Vellem, ut Romani isti tui, quibus ex vetere gloria nichil praeter inanem jactantiam remansit, aurum, argentum, purpuram, margaritas, ceterumque ornatum mulierum Florentinarum conspicerent, ut desinerent aliquando tam absurde de se ipsis opinari. Sed haec Zucharus noster efficacius redarguet, Nos ad reliquam partem litterarum tuarum accedamus. Quod enim quaeris, quemadmodum appellare me in hac nova militia debeas, res gestas meas tibi breviter exponam, tu postea, ut dignum putaveris

veris, vocitato. Si militariter loqui oportet, quoniam & tu hanc novam militiam dixisti, sic accipe. Castra, ad quae capienda veneram, prima vigilia adortus expugnavi, victoria non incruenta fuit In illis ego castris nunc insideo, quanquam die quidem vagor latissime, nocte tamen in illa ipsa castra reversus, pervigilia custodio. Itaque tu sive ducem, sive tribunum, sive centurionem, uti libet, appella. Si tamen audies me, caligatum militem vocitabis non a caligis, nam illas lectum ingressurus statim depono, sed a caligine oculorum. Sic enim jam vigilavi, ut singula michi prospecta bina videantur. Vale, & Zucharum nostrum meo nomine salvere jubeto. Iterum vale. Florentiae XV. Kal. Apriles.

XVIII. (1)

LEONARDUS NICOLAO S.

Quid in negocio Religiosorum B. Augustini transactum sit.

SCripsi nuper, quod actum esset, quidve sperarem de negocio Castaneano. Postea vero cum essemus in summa & firmissima opinione confectum iri, supervenit Olivetanorum importuna postulatio. Statim illi ad me per Pontificem rejecti sunt ac subinde simul auditi. Ab illis vicinitas locorum, & multa quae hactenus perpessi ob vicinitatem fuerant, dicebantur. Ego quae causae nostrae profutura existimavi, in medium protuli, nec praetermissum est a me quicquam. Nam & conformitatem regulae & voluntatem Prioris se se ac locum ipsum subjicere cu-

(1) Hanc praetermisit Jo: Fabricius.

cupientis, & desiderium insuper tuum & tuorum, & alia cuncta, prout tempus patiebatur, explicui. Nec fore vicinitatem ab illis pertimescendam, cum pro bonis malos, pro neglectoribus regularis observantiae cultores, professoresque forent in posterum habituri. Tandem, ut Oratores vocant, admiscui: Pontificem enim obtestatus sum, ut meum hoc negocium putaret: iis siquidem amicitiae vinculis adstrictam esse conjunctionem nostram, ut nichil posset ab eo praesente me contra rem tuam statui, quin contra honorem, existimationemque meam constitui videretur. Auditus sum diligenter a Pontifice Maximo, maximeque eum movere visa est ea pars, in qua conjunctio nostra allegabatur. Denique Olivetanis palam edixit, se invito te nichil facturum; proinde si confiderent vi postulationis suae, id tibi persuaderent, nam & sibi postea fore persuasum. Cum ergo illi ostenderent se apud te hoc facile impetraturos, & dicto Pontificis acquiescerent, postularunt, ut supersederetur in causa, donec tecum agere possent. Non repugnante me illis concessum est. Tibi itaque tributus est honor meo judicio maximus. Quid enim majus esse potest, quam a Pontifice ipso ad te rejici? Dices ergo quid nunc agam? Primum rogo te, ut quod Deo futurum acceptius sit, id sequare. Deinde per tuas litteras Pontifici scribas quid velis; nam id fiet, nec est, quod scribere reformides. Ita enim scribas, ut si ad me. Unum praeterea non reticebo. Zabarellus noster, contra atque ego opinabar, totus pro Olivetanis est; & affirmat se, Episcopus Florentinus cum esset, locum ipsum Olivetanis concedere statuisse, ac si diutius in Episcopatu perseverasset, procul dubio fuisse facturum, quod Pontificem ex certo ambiguum reddidit. Habes omnia. Et supersedebitur in causa, nec

te

te invito Olivetanis dabitur. Tuas litteras expectamus. Haec, quae ego ad te scribo, aliis quoque, qui una tecum scripserunt, referre poteris. Ego propter occupationes respondere illis omitto.

XIX.

LEONARDUS NICOLAO S.

De quibusdam verbis quomodo reddat latine dubitat.

QUotiens abs te litteras accipio, totiens stimulos suscipio ad studia litterarum. Etenim studia mea in hunc locum deducta, in quo neque socium aliquem, neque peritum earumdem rerum invenire possum. Fatiscerent utique, ac veluti arescerent, nisi per tuas litteras veluti faces quasdam refrigerato ingenio admoveres. Per hos igitur dies cum ocio abundarem, orationem Aeschinis in Ctesiphontem latinam feci. Utinam adesses, ut una illam legeremus! & utilitas quidem duplex proveniret. Nam cum per se ipsam est luculenta, multisque rhetoricis ornamentis picta, tum oratio illa Demosthenis, quam olim converti, quia huic respondet, multo erit illustrior ex hujus cognitione. Quo enim pacto excusatio placere potest, si accusatio ignoretur? Hanc ego praetuli Ciceronis vitae, quod ista oratoria nescio qua ratione me plurimum oblectant, atque ut totum scias, librum hic habeo nullum praeter haec ipsa, quae converto. Eaque res michi interdum obest. Nam saepe de verbis ambigens, ad quem recurram, habeo neminem. Heri me suspensum habuerunt duo, de quibus te librorum divitem con-

consulam. Ἀρὰν Graeci dicunt, ut ita loquar, *maledictionem*. Id verbum michi non placet, quia nec elegantiam, neque dignitatem, neque sonum habet. Dixi igitur imprecationem. Tu vide quaeso Livium ubi foedere per Fetiales solemnibus verbis peragit, ibi opinor aliquid invenies, quod nobis ad expressionem ejus verbi sufficiat. Praeterea ἐνάγεις Graeci vocant eos, qui aliquo terribili, maximoque Deorum judicio sic affecti sunt, ut nec ipsis, nec qui cum illis versantur, prosperum quicquam esse possit. Hos michi quo nomine appellem, non sane occurrit. Nam pollutos aut infaustos dicere non omnino placet. Tu vide, & sapientiores, idest libros consule. Litteras Cautii nostri legi gaudens Capram (1) nostrum esse non incolumem modo, verum etiam in culmine. Postquam haec scripseram occurrit michi, ut pro ἀρὰ execrationem diceremus. Id opinor optimum fuerit. Vale.

XX. (2)

LEONARDUS NICOLAO S.

Nonnulla Aeschinis verba exscribit.

CIcero cum has orationes, quas ego latinas feci convertisset, addidit proemium, quod perditis orationibus extare nunc etiam credo, & si

(1) Bartholomaeum Capram, de quo supra: qui apud Johan. XXIII. tanquam Gregorii XII. studiosus cum accusatus fuisset, ab eodem Cremonensibus Infulis spoliatus est. Sed perspecta ejus integritate, idem Joh. Pontifex pro Episcopatu Cremonensi Mediolanensem Archiepiscopatum Caprae tradidit. Vide Aris. Tom. 1. Crem. Litteratae.

(2) Haec desideratur in edit. Fabriciana.



LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM

LIBER QUARTUS.



I.

LEONARDUS NICOLAO S. (1)

De gratulatione, donisque sibi missis gratias agit.



QUantam laeticiam vel potius voluptatem michi attulerint litterae tuae, in quibus chorum illum gratiarum circa puerum descripsisti, vix satis dicere aut explicare valerem. Deus faxit, ut haec tua auguria non frustra sint. Quod vero totam fidem ei praebuisse dicis, gratias ago: quod apud te nichil reman-

(1) Haec a cl. Fabricio omissa est.

mansisse, id fieri nullo modo potest. Est enim fides divina quaedam res & amplissima, quam ut maximam alicui praebeas, ita maximam habeas Nichil deperit ejus praebitione, nec dando alteri minuitur, sed augetur. Demosthenis vitam suscepi, & reliqua avide expecto. Chrysoloras, qui nuper eam legit, miris laudibus elegantiam & conversionis fidelitatem extollit. Ei nos de fidelitate concedimus de elegantia refragamur. In tuo volumine quasdam mendas deprehendi, quas tibi emendandas censeo. Tu videas ergo diligentius. Martiolinos tuos avide arripui: nam hic nulli sunt, praeter bubulos. Eos qui probat, valde dissentit a Zuchari nostri judicio, qui glutino dumtaxat, & muribus illos mandabat. Sed heus tu: novus hic mos, ut patri munera mittantur? Putabam satis esse puerperae missa. De libris meis, quos desiderare te scribis, jussi, ut vel omnes tuo arbitrio depromi permittant. Vale. Ex Urbe Roma VII. Kal. Januarii MCCCCXII.

II.

LEONARDUS NICOLAO S.

Amicitiae vinculo quosdam jungere studet.

CUm Joanne Praeposito Insulensi, qui aliquot menses apud nos fuit a Rege Francorum Legatus, viro humanissimo, atque doctissimo & studiorum nostrorum ardentissimo magna michi familiaritas est. Itaque non potuit, cum me cognoverit, te pro nostra amicitia ignorare. Multa saepius de me audivit, per quae licet te nunquam viderit, tamen & ingenium & suavitatem tuam agnoscit, cupitque tecum indelebilis amicitiae foedera fe-

rire non caesa porca, ut Reges illi prisci, sed caesa, & trucidata pedantaria, cujus ipse non omnino est expers. Hunc igitur virum obsecro humanissime suscipe, & bibliothecam tuam ostende, ac ceteris officiis tuis prosequare. Cum enim multa saepe, ut dixi, audierit de me, cupio ut talem experiatur, qualem sermo te meus illi pollicitus est. Vale. Ex Urbe Roma idibus Januarii.

III.

LEONARDUS NIGOLAO S.

Suae peregrinationis ab Urbe Constantiam usque descriptio.

SI quae hic agantur, quaeve dicantur, te curare putarem, scriberem tibi acta Concilii, & quotidianarum rerum commentarios facerem. Sed si te bene novi tu ejusmodi mentis es, ut non modo non cures ista cognoscere, verum etiam interesse tua arbitreris haec, ut tu appellare soles, taedia, & deliramenta hominum ignorare. Est autem ut invitantis opus ad gustum convivarum epulas quaerere, sic scribentis ad amicum convenientem ejus desiderio materiam sumere. Quando igitur tu quidem delicatior es, nec quemcunque cibum stomachus tuus admittit, multa etiam, quae ceteris placent, fastidit; paremus sane epulas gustui tuo gratas, & quoniam nostratia ista contemnes, peregrina tibi obsonia conquiramus. Nichil itaque tibi magis placiturum per haec tempora arbitror, quam si peregrinationem meam tibi perscripsero. Accipe igitur non totam quidem, nam id quid expedit? sed ab

Ita-

Italia. Veronam ad V. Kalendas Decembris cum satis mane venissem, ibi eam diem visendae urbis gratia, sunt enim nonnulla antiqua, & visu digna, commoratus, postridie prima luce secus Athisim fluvium ad Alpes contendi. Ut igitur ad eum locum pervenimus, quo Athisis in planos Italiae exit campos, mirabilis prorsus res michi visa est. Via siquidem profundissima, atque arctissima inter duos montes, quasi de industria naturae secata per fauces strictas ac sinuosas emanat. Alpestris sane locus & superbus, ita ut murmure aquarum & impetu gurgitis protervos & immanes earum gentium mores, a quibus fluit, imitari videatur. Inter fluvium, & dexterum montem vix tantum itineris est, ut singuli equites, ad plus ut singuli carri transire possint. A sinistra vero gurges montem perstringens avium facit, hinc atque hinc vastae rupes, geminique minantur in coelum scopuli. Eadem post ingressum longo itinere facies est; impendent enim hinc atque hinc minacissimae rupes, profundus amnis inter eas labitur, via perangusta inter rupes & alveum, coelum veluti ex aliquo hiatu conspicitur, montes saxa habent durissima quidem atque asperrima, imo ipsi toti montes nichil aliud sunt, quam dura silex & marpesia cautes. Cedant jam Ciliciae pilae, cedant Caudinae furcae Romana clade nobilitate. Satis enim superque michi constat, vel unum homunculum superne stantem & saxa volventem universorum Gallorum, & Germanorum impetum, si transire conentur, inhibere posse. Per hanc vallem biduo profecti Tridentum pervenimus, urbem pro natura loci satis amoenam. Nam & supra, & infra paulo patentiorem habet campum, & flumine ipso non indecore abluitur. In ea illud merito quis miretur, quod viri mulieresque, & cetera multitudo intra

una moenia conſtituti alii Italico, alii Germanico ſermone utuntur. Ut quiſque enim regione urbis habitat vel ad Italiam vel ad ulteriorem Galliam verſa, ita aut noſtra, aut illa utitur lingua. Atque ego credo evenire, ut in concionibus & publicis conſiliis aliae noſtro, aliae barbarico ſermone ab unius Civitatis civibus ſententiae dicantur. A Tridento aliquot millia paſſuum profectos, quidam barbarorum mos vehementer turbavit. Eſt autem talis. Multa per rupes, quae fluvio imminent, caſtella ſunt: ea tenentur a nobilibus. Ut igitur viatores paulo plures numero conſpiciantur, cum jam illi caſtellis ſubſunt, repente ex arcibus cornua ſonant, & quam maxima fieri poteſt hominum multitudo ex moenibus, & propugnaculis clamorem barbaricum, & hoſtilem ululatum extollit. Subita igitur re perculſi homines plurimum trepidant, nec eſt quiſquam ita conſtantis animi, qui non ea novitate moveatur, praeſertim in locis vel de induſtria ad latrocinandum electis. Hunc morem barbarum, & immanem illi valere putant ad cuſtodiam rerum ſuarum, magiſque ab injuria temperaturos homines, ſi jam conſpecti, & declamati ſe obſervari exiſtiment. At ego michi per hoſtilem terram iter facere videbar, ſaepiuſque illud ſubibat animum: Ut belli ſignum Laurenti Turnus ab arce extulit, & rauco crepuerunt cornua cantu. Sed ad rem redeamus. Ex Tridento Tramenum venimus vicum pulcherrimum, atque beatum in ſiniſtro monte trans amnem poſitum ſcopuli tamen ſuperne terribiliter imminent. Vicus hic famoſus eſt multitudine vinetorum, & Baccho, ut videtur, inprimis ſacer. Sunt enim ita multa vineta, ut nullo unquam in loco plura conſpexerim: ſolum ipſum, in quo conſitae ſunt vites, quibuſdam in locis ſic album eſt, ut nivi ſimillimum videatur.

conſpiciantur (...)

Id, ex eo accidit, quod mons ſuperne impendens marmoreus eſt. Itaque marmor confractum & in fruſta deciſum terram ubique contegens albentem loci faciem reddit. Vini apud Tramenum tanta copia oritur, ut in tranſalpinas uſque partes abundantiam afferat. Inde Maranum devenimus, quod oppidum, an vicum appellare debeam neſcio. Omnia quippe ſunt ad urbis ſufficientiam, praeterquam quod moenibus caret. Id & Trameno, & Marano opulentiſſimis locis accidere puto, quod ita praeruptis rupibus ſubſunt, ut muro cincumdari non poſſint. A Marano ſecus Athiſim profecti tertia die ad jugum pervenimus. Via eſt inter duos vertices leviter acclivis. Summitas planiciem habet, duoſque ſubinde lacus parvo inter ſe ſpatio diſtantes. Aquarum divortia ex eo loco fiunt. Ex altero enim lacu Athiſis oritur, qui in meridiem vergit, ex altero, qui Germaniam verſus aſpicit, fluvius manat, qui Danubium influit, Inum accolae vocant. Deſcenſus ex eo jugo longe difficilior fuit, quam aſcenſus, via praecipiti & arcta, ac quibuſdam in locis manuſarcta longo anfractu per praeruptas rupes quaſi in baratrum ducit. A dextera parte viae mons ingens impendet; a ſiniſtra praecipicia ſunt vel aſpectu formidanda: abietum ſurſum deorſumque incredibilis multitudo; pinus inſuper ſilveſtris, cupreſſus, fraxini, fagi, orni, ac omne genus ſilveſtris materiae. Ab eo jugo biduum per valles profundas ac difficiles ſub ipſos montes progreſſi, ad aliud rurſus jugum pervenimus. Aquilae montem barbari vocant. Hujus montis tranſitus longe difficillimus, atque aſperrimus fuit; nam praeterquam quod ſemper ſcandentibus arduum iter habet, tunc nives omnia texerant, quarum pleriſque in locis ſupra viginti pedes altitudo erat. Semita per medias nives plantis via-

viatorum impreſſa non amplius uno pede lata deducebat. Per eum callem homines facile gradiebantur; nam & leviores ſunt, & pedetentim incedunt. Equi vero miſere & laborioſe per frenos ducebantur, qui, ſi uno vel altero pede ſemita excedebant, in profundam nivem immergebantur, nec niſi cum ſummo labore & periculo eximi poterant & ad ſemitam reduci. Haec difficultas tribus fere paſſuum millibus continuo nos afflixit, donec tranſverſi jam verticem deſcendere incoepimus, ut vel in eo univerſa hujus itineris pericula difficultateſque conſtitiſſe affirmare auſim. Eſt autem latitudo Alpium, qua nos iter facimus, a faucibus Athiſis, quas ſupra demonſtravi, ad tranſalpinum completum deſcenſum millia paſſuum circiter ducenta. Tanti autem montes, tanti ſcopuli, tam crebra & continuata dorſa, tanta cacumina atque faſtigia, tantae magnitudines ubique inſurgunt, ut valde mirandum videatur, quid parens illa, & fabricatrix mundi Natura cum eas fecit, ſibi voluerit. Me quidem aeternas illas ac perpetuas moles intuentem horror quidam & religio frequenter habebat, & nunc item ſine horrore meminiſſe non poſſum. Poſt tranſitum Alpium XX. millia paſſuum profecti in oppidum venimus nomine Valcircium ideſt opulentum, atque urbanum: aedificia habet ſpecioſa, vinetis & pometis plurimum abundat. Inde poſtera die profecti procul ab eo loco ſeptem millibus paſſuum Rhenum tranſivimus. Flumen Rheni oritur in Alpibus non longe ab eo loco, quo nos tranſitum fecimus ex ſiniſtra manu. Sed mox ad dexteram vergens & ſuo gurgite, & multorum incrementis adjutum ingens, & robuſtum decurrit inter orientem, & ſeptemtrionem recto alveo converſum. Aquam habet medii coloris inter coeruleam, & viridem, curſum rapidum, alveum

[illegible] are-

arenosum, solidum tamen, ita ut pedibus pressus vestigio non signetur. Navi ad ulteriorem ripam transvecti dextrorsum relicto amne per longam planiciem, ac palustre solum ad Castellum venimus nomine Rinecium. Ibi rursus praeterfluentem Rhenum offendimus. Nam veluti pertaesus prioris itineris mutato consilio inter septemtrionem & occasum magis declinat, ac paulo infra castellum stagnans lacum facit. Haec cum audissem, videndi desiderio ductus equis & familia per terram praemissis ipse scapha piscatoria conducta per fluvium, ac per medium lacum Constantiam trajeci. Lacus est omnium amoenissimus, multaque castella, & vicos undequaque per ripas habet. Aqua nitida fundo glareoso, ac perspicuo. Pisces fert varios quidem ac multiplices, sed pro tanta aquarum magnitudine non admodum copiosos. Vigintiquinque millibus passuum in longitudinem patet, latitudo alibi ad decem, alibi ad quindecim millia passuum extenditur. In infima lacus parte Constantia est, urbs non magna, sed opulenta atque formosa. Ejus propter moenia Rhenus lacu emergens rursus in alveum redit. Pons in eo est, qui ab ipsius urbis porta ad Germanos pertinet, ultroque pontem crebra aedificia secus alteram fluvii ripam. De Constantiae antiquitate, & origine cum saepe a quibusdam civibus quaesissem, nemo adhuc michi occurrit, qui vel avi sui nomen & memoriam, nedum urbis tenere videretur. Ego cum diligentius perscrutarer, tabulam inveni marmoream vetustas litteras continentem, ex quibus apparet a Constantio Constantini patre, qui a Diocletiano, & Maximiano Caesar dictus est, hanc urbem nomen coepisse, cum prius Vitudura nuncuparetur. Hanc tabulam nemo Constantiensium legere scit, tenetque vulgus opinio esse santuarium quoddam praecipuae religio-

ligionis. Itaque mulierculae, & cetera imperita turba fricandis per eam manibus & ad faciem refricandis jam litteras pene totas ex tabula deleverunt, cum tamen ibi scripta sint non Sanctorum Christi, sed persecutorum Christianae Fidei nomina. Mores quoque, & instituta civitatis, nam ea quoque res ad peregrinationis historiam attinet, ostendere conabor. Singulis annis unus ex civibus suffragio creatur, apud quem summa potestas cum imperio sit. Hic non publicis aedibus, sed in privata domo sua, & consueta habitat. Si quando per urbem incedit, lictores habet virgas manu ferentes. Cetero autem habitu nichil a reliquis differt civibus. Hic in caput uniuscujusque animadvertendi potestatem habet, si de homicidio, de furto, de rapinis, de veneficio, de adulterio, ac de ceteris criminibus agatur. Astant in consilio ii, quos sibi civitas deputavit. Rei ipsi in vinculis adducuntur. Ibi & accusatoribus, & defensoribus dicendi contra reum & pro reo facultas datur. Auditis omnibus in sententiam itur. Si reus damnatur, lictores magistratus supplicio afficiunt. Eodem ordine de civilibus causis cognoscitur apud hunc magistratum, & ejus consilium. Quia liberam judicandi potestatem habent, oratoria facultas plurimum valet. Itaque si qui diserti reperiuntur, hi advocati in civilibus, & criminalibus causis adducti plurimum & gratia, & dignitate in civitate possunt. Universa haec civitas in duo genera divisa est: alii enim sunt equestris generis, alii plebei. Plebei mercaturis, & officinis intendunt; equites veteribus patrimoniis contenti redditibus aluntur, & equestrem dignitatem observant. Si quis plebejus ditior factus ad equestrem locum pervenire tentaret, ei nullo modo licere putant, nec nobilitas, quae in eo prophanari & pollui dignitatem suam arbitratur, hoc eum facere

cere permittit. Ita per longa tempora uterque ordo in suis finibus consistit, cum equites ad mercaturas & sordidiora munera declinare in turpissimis sit; plebeio autem ad equestrem ordinem dignitatemque se attollere nullo modo liceat, nec nobilitas patiatur. Gubernatio tamen reipublicae communis est plebeis & nobilibus. Vale II. Kal. Januarii.

IV.

LEONARDUS POGGIO S. P. D.

De Constantiensi Concilio.

KAlendis ipsis Januarii dum una cum Nicolao nostro mulierum catervam, quae apud templum convenerat, ex consuetudine viseremus litterae tuae Idibus Decembr. Constantiae scriptae nobis redditae fuerunt uno atque eodem fasciculo alligatae. Meas confestim posthabita visendi cura ad ipsas templi valvas, nam intus quidem tenebrosius erat, cum perlegissem, jocunditate magis & salibus tuis exhilaratus sum, quam rerum ipsarum, quae a te significabantur, confusione permotus: Etsi enim tam longa intercesserit mora, ut non maturitatem jam rebus, sed putredinem sane debuerit attulisse; tamen quo longius delatus est, eo celerius finem expecto. Molestissimam tamen esse tibi hanc nimiam tarditatem nequaquam admiror. Nempe ex molestia mea, qui hic in meo sedens lectulo expectando discrucior, tuam & aliorum, qui istic ut vere dicam, tabescitis, saepe metior anxietatem. Qua quidem in re prudentiae fuerit tuae, ita ut te facturum scribis, tolerantiam adhibere. Senatum vero nichil consuli, timere

te multa, michi molestissimum est, doleoque & indignor, hujusmodi dignitatis homines in hunc contemptum esse dilapsos. Dii vos respiciant: quamquam vereor, mi Poggi, ne illorum magna pars haec ipsa & graviora insuper, ob superiora quae referre piget, errata merito atque optimo jure perpeti videatur. Sed haec alias, & saepe coram. Nunc autem non mei solum sed & tui, ad quem scribitur, rationem puto michi habendam esse. Faecem Piceni agri atque Flaminiii in possessiones nostras scribis impetum fecisse. O rem acerbam! Quid ergo posthac non timendum?

Jungentur jam gryphes equis, aevoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damae.

Ego praeter hos & lunaticos expecto, quod si fiat, vides plane integram legionem. Quod me mones, ne properem, recte atque ex officio arbitror te fecisse. Etsi enim patria domus, familia, quemadmodum debent, me plurimum oblectant; tamen dulcissima recordatio curiae, & tot amicorum familiaritas sic interdum movet animum, ut omnibus posthabitis advolare cupiam. Contra hos itaque animi motus tuum opponam consilium, atque ut ii, qui ad certam horam expergisci volunt, si nemo vigil observet, nedum possunt quidem, sollicitudo animi quiescere permittit; sin autem observet quispiam, securi capient somnum: Sic ego confisus pollicitatione tua omnem sollicitudinem animi repellam, nec nisi te vocante tempus surgendi adesse putabo. Quod autem de rebus meis certior fieri postulas, ego ad studia id refero. Vereor equidem ne insanire coeperim ea scribere aggressus, quae supra meas sunt vires. Exegi librum meum, eumque pergrandem, in quo longo discursu multa, quae ad historiae nostrae cognitionem pertinent, explicavi.

Ha-

Habet varietas delectationem, cognitio vero etiam utilitatem. Sed tantus est labor in quaerendis investigandisque rebus, ut jam plane me poeniteat incoepisse. Insuper ut tu nuper in Gallia orationes duas M. Tullii, quas nostra secula nunquam viderant, tua diligentia perquaesitas reperisti; sic ego nuper Aretii epistolam quandam ejusdem reperi, quam te nunquam vidisse certo scio. In ea non sine stomacho Tullius noster Petrarchae respondet. Vale & me ama; praeterea D. Cardinali Florentino, Pisano, & Placentino me commenda. Iterum Vale IV. Nonas Januarii MCCCCXV.

V.

LEONARDUS POGGIO S.

Abhortatur Poggium, ut pergat ab interitu vindicare bonos scriptores.

SI vales bene est, ego quidem valeo. Legi apud Nicolam nostrum litteras, quas de hac ultima profectione, ac de inventione quorundam librorum scripsisti. Nec tantum de iis, sed de optima spe, quam pro ceterorum adeptione suscepisse te video, letandum existimo. Erit profecto haec tua gloria, ut amissa jam ac perdita excellentium virorum scripta tuo labore ac diligentia seculo nostro restituas. Nec ea res solum nobis grata erit, sed & posteris nostris, idest studiorum nostrorum successoribus. Neque enim silebuntur ista, nec oblitterabuntur, sed extabit memoria, haec dudum longo intervallo perdita, & jam plane deplorata per tuam industriam recuperata, ac restituta nobis fuisse.

se. Utque Camillus secundus a Romulo conditor dictus est, quod ille statuit Urbem, hic amissam restituit; sic tu omnium, quae jam amissa tua virtute ac diligentia nobis restituta fuerint, secundus auctor merito nuncupabere. Quare te hortatum oratumque maxime velim, ne in hoc praeclaro opere desideas, sed erigas te, atque insistas. Nam rei pecuniariae tenuitas ne tibi impedimento sit, nostra jam hic providentia erit, atque in hac inventione tua scito majus lucrum factum esse, quam tu sentire videaris. Quintilianus enim prius lacer atque discerptus cuncta membra sua per te recuperabit. Vidi enim capita librorum, totus est, cum vix nobis media pars, & ea ipsa lacera superesset. O lucrum ingens! O insperatum gaudium! Ego te, o Marce Fabi, totum integrumque aspiciam? & quanti tu michi nunc eris? quem ego quamvis lacerum crudeliter ora, ora manusque ambas, populataque tempora raptis auribus, et truncas inhonesto vulnere nares; tamen propter decorem tuum in deliciis habebam. Oro te Poggi, fac me quam cito hujus desiderii compotem, ut si quid humanitas impendeat, hunc prius viderim, quam e vita decedam. Nam de Asconio quidem, & Flacco licet uterque placeat, tamen non usque adeo laborandum existimo, quorum si neuter unquam fuisset nichilo fere minus latinitas haberet. At Quintilianus rhetoricae pater, & oratoriae magister ejusmodi est, ut cum tu illum diuturno ac ferreo barbarorum carcere liberatum huc miseris, omnes Etruriae Populi gratulatum concurrere debeant; mirorque te, & illos, qui tecum erant, non statim in hunc manus avidas injecisse, sed levioribus perscribendis hunc posthabuisse, quem ego post Ciceronis de Republica libros plurimum a latinis desideratum, & prae cunctis deploratum affirmare ausim. Proximum

mum est, ut te moneam, ne in iis, quae hic habemus, tempus teras, sed quae non habemus, conquiras, quorum maxime Varronis, & Ciceronis opera tibi proposita sint. Vale & me ama, ac Mediolanensi, Arecinoque Praesulibus me commendatum facias. Iterum vale: Florentiae Idibus Septembr. MCCCCXVI.

VI.[1]

LEONARDUS CORVINO S.

Amicum commendat, amorisque sui causas exponit.

MUltiplices amoris causae michi tecum sunt, & singulae, ni fallor, pondus habentes. Quare illam pro Patriae honore principem dixerim, quod nos una atque eadem civitas tulit. Id vero quanti sit, & existimari oporteat, tibi eruditissimo viro scribens non aggredior explicare, ne te forte, qui ista multo melius nosti quam ego, docere voluisse videar. Nec illud sane omiserim, quod majores tui, ut in legibus & in ceteris publicis monumentis intueri licet, ita eminentissimi fuerunt cives, ut propensiorem benivolentiam apud nos, posterosque nostros mereantur. Tuque eorum praestantiam assecutus eum dignitatis gradum tuis virtutibus meruisti, ut ad patriam quoque gloria tua redundet. Accedit ad haec maximum profecto vinculum studiorum nostrorum unanimis conjunctio, quod ego in his humanitatis studiis delectatus sum, in quibus tu non mediocriter excellis, & familiaritates Principum secutus, in quibus tu etiam, quod summe gaudeo, flo-

(1) Haec desideratur in edit. Fabriciana.

floruisti. Illud quoque me plurimum movet, quod ab egregio adolescente Poggio Terranovano familiarissimo, & amantissimo mei dudum percepi, quanto honore ipsum, cum ad vos accessisset, vel solo meo nomine fueris prosecutus. Cui etiam diversoria michi splendidissime parata, quod illuc venturum putabas, domi ostendisti. Potest igitur non summus amor erga te michi existere, cum quo & tot vincula intercedunt efficacissimae conjunctionis, & propensissima erga me conspecta affectio? Haec scripsisse nunc libuit, ne forte me ex taciturnitate mea, ea quae sunt, ignorare conjectes, intelligasque te habere hominem amantissimum tui, & sine ulla exceptione deditissimum tibi. Atque ego plura scribere ea quoque de causa sum adductus, quod nobilis vir Franciscus Brundalia conterraneus noster meo, ac ceterorum amicorum non hortatu modo, sed impulsu ad te venit, vir, ut ex longa familiaritate verissimum afferre testimonium valeo, omnium optimus, ac nulla ex iis virtutibus carens, quae nobilem decent virum. Causa vero impellendi fuit, quod ejus virtutes ociose senescere, ac nichil agendo deficere interireque dolebamus, praesertim cum res familiaris non ampla illi sit, & magnae familiae onus, magni etiam pro tuenda dignitate majorum sumptus incumberent. Eum igitur ita tibi commendo, ut nichil magis me unquam cupiturum esse existimes. Ego si res Ecclesiastica non penitus obruta ac dissipata esset, te hoc onere vel liberassem omnino, vel sublevassem. Cum vero in eo statu sit, quem vides, tuum erit munus hunc civem nostrum tuo favore ad aliquem locum suis virtutibus dignum apud tuum Principem promovere. Quod ut faciam, te etiam atque etiam rogo. Vale. Florentiae. Kl. Decembr. 1416
[Vid. Vol. 8°. 25]

VII.

VII.

LEONARDUS FELICI S.

Ciceronem ex regio genere fuisse.

LAtior michi ad pervagandum campus ostenditur, si amico tuo viro eruditissimo respondere prolixius velim. Miratur enim, seu potius quaerit, si Ciceronis genus in Tullium Regem Volscorum, uti ego in vita ejus perscripsi, referebatur, cur aut Salustius humilitatem generis illi objecerit, aut ipse Cicero respondens hanc originis suae excellentiam conticuerit. Nam ignorasse quidem sui generis primordia virum omnium doctissimum, & antiquitatis curiosissimum, verisimile non est. In his igitur unum videtur quaesitum, sunt autem plura. Non solum enim verum ne sit de genere scriptum quod ad historiam attinet, sed & dicendi ratio postulari videtur, quod totum rhetoricae est. Respondeo itaque ad omnia, sed breviter quidem, ne ostentare magis ipse me, quam satisfacere postulatis voluisse existimer. Primum igitur in Tullium Volscorum Regem Ciceronis originem referri, non ego ipse ex me, sed probatissimos auctores secutus asserui. Omitto ceteros, qui de Cicerone scribentes hoc ipsum testantur. Hieronymus vir doctissimus, & antiquarum rerum inprimis studiosus in libro de temporibus, quem ab Eusebio scriptum e Graeco transtulit & prosecutus est, cum Ciceronis natalitia annotaret sic inquit: CLXXIX. *Olympiadis anno* IV. *Cicero Arpini nascitur matre Olbia, patre equestris ordinis ex regio Volscorum genere.* Plutarchus autem

non solum genus regium, sed & Regem ipsum Tullium auctorem generis nominat, qui apud Volscos insigniter regnavit. Ipse quoque Cicero, ne forte amicus ille tuus ignorasse hoc, aut omnino reticuisse credat, idem quodam loco scribit. Nam cum de philosopho antiquo, & Tullii Regis coaetaneo mentionem faceret, sic inquit: *Pherecides Syrus primum dixit animos hominum esse sempiternos. Antiquus sane: fuit enim meo regnante gentili*. Quis igitur ambigendi locus relinquitur? cum & alii probatissimi auctores, & Cicero ipse hoc idem testetur? Restat ea dubitatio, cur aut ille objecerit, aut iste non refellerit. Equidem ab oratore non exigo, ut semper verum inimico objectet. Deinde si genus regium quamvis ab initio splendidum in obscuritatem migrarat, res quidem talis erat, ut ex utraque parte ansam haberet, & ad laudem splendor generis, & ad vituperationem obscuritas. Dicentis autem est id assumere, quod & pro se sit, & contra adversarium. Itaque obscuritatem, quam recte potuit objicere, in medium protulit; splendorem autem, qui commendationis erat, praeteriit. Quamquam si recte memini, non tam obscuritatem Salustius objicit, quam novitatem. Sic enim inquit: *ubi M. Cicero ita gubernat, ac moderatur, quasi unus reliquus ex familia Scipionis Africani, ac non reptitius, & paulo ante insitus huic urbi civis*. Haec non obscuritatem generis, sed novitatem civitatis designant. Id ipsum in Historia clarius positum ab eo Salustio est, ubi de Cicerone, ac de consulatus petitione loquens dicit: *veluti pollui consulatum putabant, si quamvis egregius, tamen novus homo adeptus foret*, & Catilina: *cum eam defendat M. Cicero inquilinus urbis Romae*. Haec omnia, ut dixi, novitatem civitatis redarguunt, non generis obscuritatem. Sed cur Cicero ipse in refutandis

dis adverſariis hoc reticet? Primo non objiciebatur obſcuritas, ut dixi, ſed novitas. Itaque ejus argumenta novitati reſpondebant. Nam ſi nullis praeclaris rebus majorum ſuorum in republica geſtis commendabatur, ut Scipiones, & Metelli; at ſuis, & propriis, quod praeſtantius erat. Praeterea tacendi plures erant cauſae. Primo quod nomen regium apud Romanos inviſum ſane, ac deteſtabile erat; deinde quod arrogantiam invidiamque vitabat, quae in civibus praeſertim novis faſtidioſae, & intolerabiles ſunt. Illud inſuper accedebat, quod Rex ille inimiciſſimus Populi Romani fuerat. Non erat ergo prudentis conſilii illum proferre, ne ab hoſte Populi Romani originem traxiſſe diceretur. Itaque callido conſilio obſcuritatem potius, quam bonis rationibus in ſuarum virtutum laudem traducere poterat, objici patiebatur ſibi, ut ego, qui novus Florentiae civis ſum, ſi a Caſtrucio illo praeſtante quidem Duce, ſed inimiciſſimo Florentini Populi originem traxiſſem, latere in plebecula mallem, quam eum generis auctorem egregiae licet nobilitatis proferre. Haec habui, quae reſponderem. Vale.

VIII.

LEONARDUS P. TURCO S.

Amicorum naturam ferendam in quibuſdam.

VEreor, ne parum tibi reſpondere in amicitia videar ex hac mea tarditate ſcribendi. Eam quaeſo ſuſpicionem, ſi quam forte cepiſti, animo tuo erade. Factis enim promptiſſimus ſum, verbis autem tardus, idque natura cum inſit, non

facile dimoveri potest. Traditur autem ab his, qui de amicitia scripserunt, in quibusdam ferendam esse naturam amici, ut de Scipione, & Laelio scriptum memini. Cum in Laelio quidem hilaritas esset, in Scipione autem vita tristior, ambitio major; disparitatem morum par voluntas conjungebat animi, nec tamen a Laelio, ut secum una letus esset Scipio, flagitatum est, nec si flagitasset ille, praestare valuisset. Quare tuum quoque fuerit pro tua humanitate existimare, amici animum ita affectum esse erga te, ut debet, etsi forsan facilitas, quae in te plurimum redundat, deesse illi videatur. Sed haec satis. Nunc venio ad litteras tuas, quas nuper Aretio rediens Florentiae offendi. Quod Matthaeus Albitius familiaris tuus me subiratum tibi ex judicio illo affirmaverit, valde equidem admiror. Nisi forte jocari tecum voluit, quod non ex litteris tuis solum, verum etiam ex illis verbis conjecto. Erat una Nicolaus noster, cum ille in foro me conveniens te admodum litteris, quas nuper accepisses, letatum esse, ac perluculente scriptas existimare inquit: cupere denique certiorem fieri, quisnam illas scripsisset, ac suspicari quidem de me. Egone pro his tibi subirascerer, qui quod luculentum existimas, a me scriptum existimas, & quae maxime probas, mea esse conjectas? Contra equidem si accidisset, ut quae elegantissima tibi viderentur, ea esse mea diffideres, graviter ferendum putarem. At quae optima reris, eadem mea credidisse, cujus tandem signum est, nisi magnificentissime de me opinantis? Quamobrem tibi non modo, quod postulas, veniam do, verum etiam gratias ago. At forsitan graviter tulisti, me dicendi genus non internosse. Primum id quidem leve est. Michi enim satis eleganter dicta videri solent, quaecunque bene dicuntur. Deinde quid ego novi; utrum

ille michi, an ego illi in hoc genere scribendi praestem? Equidem nullum alium exitum scriptorum meorum unquam optavi, quam ut ab iis, quibus scribo, vehementer litterae meae comprobentur, quod illi accidisse video in iis, quae ad te scripsit. Id ergo cum ille scribens assecutus sit, quod ego assequi opto, nichil ejus litteris defuisse judico. Assentior nichilominus tibi, facilius affici nos laudibus nostris, quam ulla alia re. Quo ergo facilius, eo minori conatu opus est, ad id quod volumus, assequendum. Nam & Themistocles ille summus vir quondam cantu maxime delectaretur rogatus, ejus inquit, qui laudes meas apte concineret. Ut si etiam in his percensendis dulcedine laudis captus enarrasses, venia tibi sit tribuenda. Priscianum, quem postulas, omnes tabernas librarias perscrutatus, reperire nondum potui. Admonui tamen quosdam familiares, ut perquirant. Si quid emerget, ad te illico transmittam. Vale. Florentiae. II. Nonas Decembris MCCCCXVI.

IX.

LEONARDUS POGGIO S.

Exitum Constantiensis Concilii expectari ab omnibus, & admonet Poggium, ut cautius de Hieronymi supplicio scribat.

DEdi nuper ad te litteras Philippo nostro, in quibus sane prolixior fui. Nunc autem nichil fere est, quod ad te scribam, nisi hoc ipsum, quod litteras expecto. Flagito igitur, quod adhuc non flagitavi, ut nos crebrius de iis rebus,

quae istic geruntur, certiores facere studeas. Nec ego a te acta solum exigo, sed qua prudentia es, etiam spem rerum futurarum. Scito enim non proceres modo, verum etiam plebem nichil tam per haec tempora curare, nec ulla de re cogitare, ac loqui magis, quam de Concilii exitu. Cum igitur haec sollicitudo sit alienis, quid michi, qui verna sim, fieri putas? Tu igitur me hac cura subleva, & siquid de futuro Pontifice odorare sagacius poteris, significa. Si quid occultius fuerit [1] . . . . adnotabis. Nudius tertius exemplum habuimus litterarum tuarum a Barbaro missum de Hieronymi supplicio, quarum elegantiam equidem valde probo. Tu illi tamen plus tribuere videris, quam ego vellem, etsi judicium tuum saepe purgas, tamen nescio quid majoris affectionis prae te fers. Ego cautius de hisce rebus scribendum puto. Quintilianus tuus laboriosissime emendatur. Permulta sunt enim in nostro vetusto codice, quae addenda tuo videantur. Sed in quibus locis vetustus deerat, hoc est in sincopis illis grandioribus, plerisque in locis insanabilis morbus est. Me Pisano, Placentino, & Florentino Cardinalibus commendabis. Vale. Florentiae II. Nonas Apriles.



X.

(1) In MSS. Codd. lacuna quaedam reperitur, in qua graecam aliquam vocem deesse arbitror.

X.(1)

LEONARDUS FRANCISCO BARBARO S.(2)

Adolescentem ei commendat.

VOluissem tibi praesertim nunc scribere incipiens seriosius aliquid, & tua dignum excellentia, dignumque studiis communibus afferre. Quamquam quid seriosius esse potest, quam hominem, quem cautum esse velis, per tuas litteras commendare? Verum aliud quiddam scribendi genus latius, fusiusque optassem. Nam pro commendatione alicujus multa ad amicum scribere diffidentis quodammodo videtur esse. Ita si uberius extendas epistolam, molesta prolixitas; sin ultra legem coërceas, arida brevitas resultabit. Illa igitur copia, pleno, ut ita loquar, cornu aliud in tempus servetur. In re autem, qua de agere constitui, haec insunt. Rainerius Petri filius adolescens satis claro loco Florentiae ortus, ac juris civilis studiosus nonnulla Venetiis negocia habet, quae cum explicare cupiat, & patrocinium tuum quantum sibi prodesse queat non ignoret, mecum egit, ut ipsum tibi per meas litteras commendarem. Qualia vero sint ejus negocia, & quemadmodum jampridem agitari coepta

& in

(1) Haec deest in Edit. ejusdem Fabricii.

(2) Patricio Veneto, Chrysolorae discipulo, de quo ita Blondus: *Franciscus Barbarus excellentissimi vir ingenii, cujus litterarum Graecarum, & latinarum doctrinae, an eloquentiae editis operibus celebratae, aut in administranda Rep. sapientiae, & pietatis aut gestarum praesertim apud Brixiam rerum gloriam anteponas, haud facile possis discernere, &c.*

& in hoc ipsum tempus perducta facilius ab eo cognosces, nec ambigo, quin statuas aequissima esse. Hunc igitur Rainerium pro nostra amicitia tibi majorem in modum commendo rogans, ut eum tuo favore, & auctoritate proregas, & ab injuria tueare, faciasque, ut, quod ille speravit, hanc meam commendationem plurimum apud te valuisse intelligat. Guarinum virum suavissimum, atque optimum meo nomine salvere jubeto. Vale. Florentiae II. Idus Aprilis.

XI.

LEONARDUS PETRO MIANO S.

Se Curiales res dubias, & confusas reliquisse, & ad studia litterarum rediisse scribit.

PRopediem, tu opinor, plura tibi scribam. Nunc autem scias velim, me Florentiam rediisse ad II. Idus Martias Curia, & Curialibus rebus omnino relictis. Utor autem solacio cum studiorum, quae longo intermissa spatio avidissime repero, tum etiam familiarium antiquorum, quorum tanta dulcedo est, ut prope gratias me debere putem iis procellis, quae ex alto abreptum me in hunc voluptatis, amoenitatisque portum retulerunt. Quoniam vero michi jampridem suasi, omnia quae apud te sunt, mea esse, & quae apud me, tua; utar nunc ea lege praecipue in libris, quos tu dudum summa cum liberalitate obtulisti. Vale.

XII.

XII.

LEONARDUS NICOLAO S.

Optat amicorum adventum. Significat autem se ad eos venturum.

SAlvum te advenisse gaudeo, ac ex Pisana coeli gravitate ad salubres Aretinorum colles incolumen evasisse incredibilem de eo suscepi voluptatem. Sed ista coram inter nos agemus uberius. Nunc venio ad epistolam tuam, quam communi amicorum decreto ais scripsisse. Nisi istuc ipse accessero, exercitum michi denunciatis, & ducem apud vos esse & regem, quasi exhortaturi jactantes. O rhetoricam contrariam! Vosne me his minimis terrere putatis, & hoc adhibito metu ad veniendum compellere? Videte quam erretis. Ego etsi illico venturus fuissem, tamen vel ex eo immorandum putarem, ut tam praeclara cohors diversari apud me compelleretur Nam quid michi dulcius, quid michi optatius esse posset, quam videre domum meam tot simul clarorum virorum, & michi amicissimorum contubernio honestatam? Etenim si hoc in singulis semper optatissime fecimus: quanta voluptatis accumulatio foret universos, ut ita dixerim, amicissimos uno agmine simul accipere? Itaque ego vos oratos atque rogatos velim, ut hoc bellissimum, ut vere dicam, bellum, quod per literas indicitis, michi inferre non differatis. Equidem si has vestras comminationes facta putarem non verba, etsi superbum forsan videri potest, tamen nunquam me prius venturum affirmarem, quam vos huc accederetis. Verum quia tar-

ditas

ditas nonnullorum vestrum michi suspecta est, ego veniendi inducias postulo dierum octo, quibus exactis ad vos properabo. Causa induciarum est negociorum quorumdam explicatio, quibus ita impedior, ut nulli rei vacare commode possim, abesse certe per hosce dies nullo modo licet. Deambulatiunculas vero ad inclita religionis loca, quae finitima habetis postulo, ut in adventum meum differatis. De Poggiano thesauro coram. Libros Ethicorum divinissimos ut ex integro rescribas, jam nunc te para. Vale mi dulcissime Nicolae, & in adventu meo, ut mecum Aretium venias, certissimum statue. Iterum vale. Aretii VI. Kal. Octobris.

XIII.(1)

LEONARDUS LAURENTIO S.

Petit ab eo nonnulla Ciceronis opera.

REdditae sunt paulo ante michi litterae *tuae* non modo officii plenae, sed benivolentiae, caritatis, & sollicitudinis onustae. Pro *quibus* quid ego nunc tibi gratias agam, cum familiaritas nostra nichil non ab alterutro promereatur? Verum ut ad sollicitudinem tuam, & praestantissimi viri Rainaldi veniam, nichil est profecto, ex quo formidinem suscipere debeatis, vel quia locus non multum periculi habet, vel quia persona non multum damni. Vigilabo tamen, & ero ipse salutis meae qualiscumque tandem sim, ob tuas adhortationes curiosior. Ac si forte locus infestus esse perget, confestim abibo. De Nicolao recte michi nunciasti, & si

(1) Haec deest in edit. Fabriciana.

& si quid in diem habueris, oro michi diligenter significes. Fines Bonorum a te expecto. Nam Aristotelis Ethica, quae traducere coeperam, nuper absolvi. Ea cum expolire nunc cupiam, Cicerone, ac Finibus illis opus est.

XIV.[1]

LEONARDUS GUARINO S.

Laurentii epistolam petit, a quo se defendere cogitat.

Legi hodie litteras Barbari nostri praestantissimi, & disertissimi viri, quas Laurentio Cretensi[2] Cancellario sub apologiae vocabulo graviter simul, ornateque rescripsit. Quibus etsi magnopere delectatus sum, nichil non ab illo praetermissum, quominus accumulate illius calumniis responsum arbitrer; tamen quia communis est accusatio, ac me quoque, qui eidem Laurentio amicus ac jampridem notus sum, tangit, cupio ipse quoque pro virili mea censori, & correptori nostro respondere. Res profecto, ni fallor permagna agitur, utrum nos omnes, an ille unus deliret. Itaque te majorem in modum rogo, ut exemplum litterarum, quas Laurentius Barbaro scripsit, michi transmittere procures, ut videam, an rationes ejus tales sint, quae me poenitere cogant temporis hisce studiis impensi, & ab oblivionem harum litterarum quasi inutilium provocent, vel ipse potius sui erroris commonefactus no-

(1) Haec quoque in Edit. Fabriciana non exstat.

(2) Laurentio de Monaco Magno Regni Cretensis Cancellario, de quo Fabricius Lib. X. Bibl. Med. & Inf. Latin.

bonis rationibus tacere compellatur. Sed dices: num tibi Barbarus noster satisfacit? Abunde profecto. Sed uti si praesens contentioni adessem, quamvis Barbarus superior foret; ego tamen non tacendum michi putarem, sed aliquid ipse quoque dicerem, quo meam in eam partem declararem sententiam: sic & nunc quamquam ipsum longe victorem puto, tamen contra officium arbitror esse, ut taceam, nec ipse quoque simul aliquid pro causa praesenti mea dicam. Praeterea his diebus victus longo, & continuato taedio quorumdam hominum, qui boni haberi volunt, cum sint mali, oratiunculam veteri more perscriptam in illos dedi, quam nunc ad te mitto. Tu cura, ut aliquid rerum tuarum majori mensura michi reddas. Vale. Florentiae.

XV.

LEONARDUS POGGIO S.


Deplorat nescio quod malum Constantiensis Concilii.

Litteras tuas perbreves accepi transmissas michi a Nicola nostro. Eum qui detulit, conveniendi, ac rogandi non fuit facultas. Nam Aretii sum tum mearum rerum curandarum gratia, tum etiam vitandae pestis vel potius suspitionis. Nam illa quidem adhuc talis est, ut terreat magis, quam laedat eos, qui Florentiae habitant. Hac igitur de causa illum qui detulit convenire non potui, quamquam in Amalthea Saturnino cetera conjecto. O rem acerbam! Etsi de Patribus non tam equidem laboro, quam de plebe.

Quic-

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi
Seditione, dolis, scelere, libidine, & ira
Iliacos intra muros peccatur, & extra.

Acceperam & alias tuas litteras triduo, ante quam Florentia abirem, in quibus permolestum sane id fuit, quod commentariolum illud, quod michi te mittere cum his litteris significabas, nunquam repertum est, neque cathalogus ille librorum index. Omnia perdita per viam ajebant: quin & aperta, resignataque diplomata venisse. Quod autem in illis me percontaris, num & aliae tuae litterae, quas ante profectionem tuam dederas, michi redditae fuerint; si de iis rogas litteris, in quibus reprehensiones stultissimi, ac levissimi hominis continebantur, ne dubita; jam pridem illae michi redditae fuerunt, risique potius illius stulticiam, quam animo commotus sum. Nam ejus stuporem mentis, ac veluti fanaticam vesaniam jampridem prospexeram. Itaque non michi nova res est. Scripsisse autem nunc illa ipsa, quae mente vesana, atque distorta gerebat, quanti faciendum putas? cum vel nulli unquam lecturi sint, vel si legerint aliqui, in ipsa scribendi ineptitudine nullitatem ejus cognituri. Ille certe ne illa ipsa, quae reprehendere conatur, intelligit, & quae fatur, puerilia sunt, ac pene infantia. Itaque illum omnino sperno, atque contemno, nec dignum responsione mea duco. Tu vale, & me ama, & quid istic agatur, crebro significa. Iterum vale. Aretii Idibus Juniis.



XVI.

XVI.

LEONARDUS EPISCOP. SENENSI S.[1]

Excusat se, quod non scripserit, & laudat Episcopum ocio negotia postbabentem.

QUem non delectet humanitas, & mansuetudo tua? qui antequam de negligentia me, quemadmodum poteras, accusares, rationem excusationis meae tu ipse obtulisti. Cum enim te jampridem admirari diceres, quod ego nichil omnino ad te scripsissem; illud statim addidisti, te putare non alia causa, quam occupationibus meis id accidisse. Itaque cum id tuae sapientiae persuasum sit quod ego maxime persuasum esse cupio, tacere forsan in hac parte praestaret, quod & facerem, ni haec mea excusatio partim ambitiosa, partim incredibilis videretur, ambitiosa, si me occupatissimum praedicem, incredibilis, si non potuisse scribere asseverem. Pauca igitur ad hanc ipsam defensionem tuam ex meo addam, quo dilucidius ea intelligatur. Fuerunt michi quidem occupationes, & sunt, sed nequaquam tantae, ut scribere non valerem, praesertim cum omnis occupatio mea in studiis litterarum versetur. Cur non scripserim, audi quaeso patienter. Ego te semper eum hominem putavi, cui non nisi magna quaedam, & praeclara, & digna tua gravitate, auctoritateque convenirent. Cum igitur post naufragium illud gubernatoris nostri ad studia litterarum me tanquam in portum quemdam optatissimum retulissem, scribenda quaedam ac mandanda

(1) Antonio Casino, de quo supra diximus.

danda litteris assumpsi. Ad haec ego quantum ocii est, totum confero, nec libenter diverto. Credo, & aliis evenire, quod dicam. Sed michi, ut affirmare possum, haud dubie evenit: difficulter resumo, quod semel abrupi. Ad te ergo, quoniam graviora quaedam tua auctoritas postulat, ne ab inceptis diverterer, scribere supersedi. Poteram certe leviora quaedam, sed ea indigna tuo nomine arbitrabar. Graviora vero, & expolitiora sine intermissione coeptorum scribere non dabatur. Haec est defensionis meae ratio paulo explicatior, quam a te sit dicta. Quod autem te, & optime contentum, & in quiete constitutum significas, ob id te longe beatiorem puto, quam cum in magnis rebus agendis, magnisque negociis oppressum caterva hominum intuebar. Ocia enim negociis longe sunt praeferenda, cum haec finis sint, illa ad finem. Negociamur enim, ut ociemur, & bellum gerimus, ut in pace degamus. Quod si ocia sunt praeferenda, & haec certe vita quieta, & tranquilla laboriosae illi, & occupatae, ad quam nisi aut honoris ambitio, aut pecuniarum cupiditas impelleret, quis tandem nostrùm illam suscipiendam censeat, ac non velis remisque fugiendam? Qui autem in ocio contenti non sunt, ocium ipsum, ut ita loquar, perdunt. Immo nec sunt ociosi, sed potissima sui parte, idest mente & animo infestantur, ac longe rapiuntur. Tu ergo cum utrumque nactus fueris, gaude quaeso, & felicitate tua diutius fruare. Quod si te forsan aut Pontificis jussum, aut voluntas tua in Curiam, atque in illum aestum negociorum retulerit, ipse te ubique amabo. Primum tamen sanius consilium est, quod utinam, & ego tenere possim! Vale.

XVII.

LEONARDUS FRANCISCO BARBARO S.

Praedicat agriculturam, ita tamen ut musas praeferat, laudatque in amico Sacrarum literarum studium.

REdeunti michi ex agro Aretino, litterae tuae praesto affuere, atque ut de eo ipso, qui illas reddidit, cognovi, complures ante dies Florentiae sic reditum meum praestolatae fuerunt, ut jam longiorem moram incusarent. Ego autem eo diutius illis in locis detentus sum, quod jam supra biennium crassante pestilentia facultatem adeundi non satis habueram. Quare avidius incumbens ita delectabar, ut pene jam urbis me haberet oblivio. Nunc autem & nitore litterarum tuarum, & summa humanitate tua ad meliora revocor studia. Etsi enim agriculturam valde equidem probo, nichilominus illa stat sententia: *Me vero dulces nutriant ante omnia Musae*. Quid enim cum Musarum suavitate Pan, & Silvanus possint conferre? In hoc igitur genere, & audire eruditissimas voces tuas, & reddere ipse meas optavi equidem, atque opto, praesertim cum mutuo in amore familiaritateque jampridem inter nos suscepta silentium hoc, quod adhuc intercesserit, culpandum potius, quam laudandum videretur. Quod autem te ad sacras litteras majore impetu, & attentiore animo conferre significas, in eo sapientiam, gravitatemque tuam indeficibili laude commendandam duco. Si enim omnes Musae, quod supra diximus, dulces sunt; quanto illae magis, su-

quae verae sunt Musae? Et si vox poëtae in re ficta delectat; quanto magis vox Dei delectabit in vera? Et si praecepta hominum discentibus prosunt; quanto magis proderunt Divina? Quare te currentem, ut video, vehementer cohortor ad hujus optimi, perfectissimique operis insudationem. Casum vero gravissimum amantissimi fratris, incommodaque inde suscepta, & tua moderatione, & illarum litterarum solacio levare debes. Vale. Florentiae.

XVIII.(1)

LEONARDUS S. D. JOHANNINO(2).

Commentaria ei pollicetur, & de rebus nonnullis eumdem monet.


TRes epistolas tuas unum fere sub tempus accepi, quibus antequam respondeo, juvat praefari atque praemonere, ea videlicet ipsa, quae meus erga te amor, ac patriae caritas exposcit. Multum igitur hoc brevi tempore, quo a nobis abfuisti te profecisse statuo; siquidem in tanta civitate recentem adhuc, & modo advenam nonnulli praestantes viri in familiaritatem susceperunt, quorum gratiam tuere quaeso diligenter, atque annitere, ut eos bene promerendo in amorem tuum quammaxime vertas. Id tu si, quemadmodum spero, assequare, quod tandem lucrum cum hoc lucro existimem comparandum? Illud praeterea moneo, ut istic degens conquiescere animo velis, nec eorum, quos hic reliquisti, desiderio torqueri. Quod nisi feceris, nichil de

(1) Hanc omisit Cl. Fabricius.
(2) Tortellio fortasse tunc adhuc adolescenti.

te laudabile unquam praeſtabis. Quid enim cor anxium & moerens exhibere aut ſibi ipſi, aut alteri poteſt? Cogita igitur non tam domeſticos, quam impias tuorum moleſtias domi reliquiſſe. Urbem autem nunc incolere opulentiſſimam, ornatiſſimam, & in qua nichil moleſtiarum inſit, niſi forte quas tu ipſe ſtulta mollicie tibi ultro ſuggeſſeris. Haec ego quae ſentiebam de perſonis, & urbe commonefacienda putavi. Nunc venio ad epiſtolas tuas. Mea neſcio quae iſtic reperta quod admirarere, quodque a ceteris ea laudari praedicas, ajunt fortaſſe homines:

. . . . ſed non ego credulus illis:
Nam neque me Varo videor, neque dicere Cinna
Digna, ſed argutos interſtrepere anſer olores.

De epiſtolis autem, quas aliorum voluminibus inſertas deprehendiſti, ne fer quaeſo tu id quidem moleſte. Satis michi honoris ille quiſquis fuerit, meis detulit, qui inter ſuas, quas bonas putavit, collocare dignatus eſt. Commentaria vero primi belli Punici, quae flagitas, ad te propediem tranſmittam. Quod autem me conſulis de re illa tua, michi una ſalus videtur, ut fortem nunc te conſtantemque praeſtes, etſi ſcio quam difficile ſit non flecti animo, praeſertim tibi, qui es natura molliſſimus. Sed tamen, ut mea fert opinio, aut nichil unquam, aut taciturnitas tua illorum veſaniam refringet, erranteſque, & devios in orbitam reducet. Quod ſi indices te pati non poſſe, eludent. Vale. Florentiae. 2. Kal. Febr. 1422 [illegible]



XIX.

XIX.

PILEO ARCHIEPISCOPO GENUENSI (1) LEONARDUS S. P. D.

Litterarum studium ad quae utile sit.

FAcile recognovi litteras tuas, doctissime simul, optimeque Antistes. Erant quippe ea facundia sapientiaque perscriptae, ut ex tuo potissimum judicio manasse viderentur. Atque ut natura fit, cum alterum dicentem audias, quod tu maxime probes, ut valde assentiamur; sic ego tuae illi de lectione studioque sententiae vehementer assensi. Sic enim michi quoque perspicere visus sum, aut nichil humanarum rerum adversus animi aegritudinem valere posse, aut unicum in litteris studiisque esse refugium, quas qui fastidiunt & contemnunt, verae puraeque veritatis gustum non habent. Tu igitur iis incumbe, ut facis, praesertim cum nulla res dignior sit homine sapienti, & in ea, qua tu es, dignitate constituto. Quod autem de libris scribundis rogas, non deerit tibi diligentia mea. Verum admirabilis est apud nos ejus rei penuria. Nam & studiosi permulti sunt, & qui mercede scribant, admodum pauci. Ego tamen quo tibi morem geram scrutatus omnia, cum tandem nichil reperirem, ex-

(1) Pileo de Marinis Ambrosii Corsicae Gubernatoris filio, Patricio Januensi, qui primum in Romana Curia Protonotarius, deinde an. 1400. Archiepiscopus Januensis electus fuit, licet aetate juvenis valde, tamen virtute senex, ut ad an. 1401. in Annal. Januens. scribit Georgius Stella, qui paulo infra *Scientiarum amantem, Sacrisque eruditum litteris* cum nuncupat.

oravi quendam ex familiaribus meis, ut libros quosdam, sui ipsius gratia quos ille scripserat, venundaret. Sunt autem Ethicorum libri, quos nuper traduxi, & Commentaria primi belli Punici cum quibusdam orationibus Demosthenis, & Oeconomicorum libro, sat, ut michi primo aspectu visum est, emendate perscripti. Haec emere licebit. Tu igitur cuivis Januensium tuorum, qui hic negociantur committere poteris, ut libros excipiat, ac precium decens pro illis exolvat. Vale. Florentiae II. Idus Februarii.

XX.

LEONARDUS JOHANNI S.

Imperitorum calumnias contemnere se scribit.

EXpecto Langustum illum tuum ac litteras ejus, praesertim si, ut michi persuadeo, festivissimae sunt futurae. Me profecto Epicureum litterarum factum esse scito; voluptatem in illis, festivitatemque consector. Quocirca jubeas velim, si quas ad me missurus est, jocunditate ut illas, salibusque respergat. Judicium illud tibi permolestum, totamque stultorum hominum vaniloquentiam vix unius assis aestimandam puto. Adde etiam si placet rhetorem illum eloquentiae hostem. An tu his me censuris commoveri putas, quae ab hominibus parum acutis, ac stulte sibi ipsis judicandi peritiam arrogantibus proferuntur? Fieri non potest, quin ut quisque sapit, ita sentiat. Sed & nostrum nobis judicium est, quo magis nitimur, quam alieno: nisi forte Apellem, aut Protogenem quid rectum, amoenumque

in

in pictura foret, non ex suo potius judicio, quam ex aliorum opinionibus statuisse credamus. Quamquam est quidem abs te non satis acute causa mea defensa adversus Constantinopolitanum. Quid enim opus fuit ad Ciceronem allegare hanc, quaecunque est in nobis, rerum moralium notitiam? Quasi vero Aristoteles ipse ab studio nostro fuerit alienus, cujus libros in adolescentia sic audivimus, ut etiam publice de his disputationes ex ordine studiorum substineremus. Biennio certe toto ab optimis illius disciplinae magistris incredibili aviditate imbuti sumus. Haec ego fundamenta cum in adolescentia jecerim, quis juste admiretur, si nunc aliquid a me exaedificatum sit? aut quis novum me ad haec sacra venisse dicat, quibus ego ab ipsa pueritia fuerim initiatus? Sed haec satis. De se enim ipso omnis sermo gravissimus est. Attamen silere aliquando non licet, ita multi occursant partim arrogantes, partim desipientes. Venio nunc ad id, quod per superiores literas de Commentariis flagitasti. Ego quae scivi, quaeque memoratu digna aestimavi, in eos libros congessi, neque vero quominus, si quis plura teneat, plura conscribat. Commentaria tamen ab historia multum differunt. Illa enim amplior ac diligentior est: haec contractiora, & minus explicata. Livius quoque in Romuli, & in Hostilii, & Tarquinii Regum Romanorum gestis referendis non annos prosequitur, sed rerum summam. Idem Polybius facit, & ipse quidem probatus auctor, cujus auctoritatem secuti sumus. Vale. Florentiae.



XXI.

LEONARDUS POGGIO S.

Gratum sibi scribit, quod negotium suum apud Pontificem curet.

NIchil omnino statuo duobus nobis fieri potuisse stultius cum hoc nostro importuno silentio. Sed quia illa jam corrigi non possunt, praeteriti defectûs temporis, futuri exuberantia compensemus. Unum tamen non ignores volo, me per hoc ipsum silentium grandem tibi epistolam perscripsisse excitatum litteris tuis, quas ad Nicolam nostrum misisti de controversia Nicolai, in quibus cum te falsa illius suggestione deceptum animadverterem, totam rem verissime sincerissimeque patefacta tuo examini censuraeque subjeci. Eas litteras video te non accepisse. Itaque conquiram nunc rursus illam, tibique remittam. Negocium meum quod apud Maximum Pontificem curaris, michi summae est voluptati. Perspexi enim in te, & amici fidem, & sapientis hominis consilium, & impigri vigilantisque solertiam. Quod autem hortaris, ut ad Pontificem scribam, faciam ut mones Antonio Lusco, & Cintio sodalibus nostris meo nomine gratias agito, salvereque jubeto. Vale X. Kal. Martii. Aretii.



XXII.

XXII.

LEONARDUS DEMETRIO S.

Quod Aristoteles eloquens fuerit, & male a linguarum imperitis latinitate donatus sit.

TRia ut ex litteris tuis animadvertere potui, a te in crimen vocantur ex illa praefatione mea, quam libris Ethicorum adscripsi. Unum quod Aristotelem de eloquentia commendarim, quem tu asseris, nec eloquentem fuisse unquam, nec curavisse quidem, ut eloquens esset. Alterum, quod interpretem illum, qui ante me hunc librum traduxit, Ordinis Praedicatorum fuisse dixerim. Tu vero antiquiorem interpretem ejus libri putas esse quam Ordinem ipsum, ex quo fuisse affirmo. Tertium, quod húic ipsi interpreti maledixerim indignaris. Sunt & alia quaedam in litteris tuis, sed mehercle ita caliginose scripta, ut sensum eruere nullo modo potuerim & illa ipsa, quae supra retuli, allucinando potius deprendi te dicere velle, quam tu dicas. Ad haec igitur tria nunc: ad alia vero, si forsan id cupies, cum apertius scribes, respondebo. Primum igitur de Aristotele vehementer erras. An non curavit ille, ut eloquens esset? nam utrum fuerit mox videbo. Sed ita curavisse illum constat, ut neminem magis. Testes sunt artes rhetoricae ab eodem philosopho labore summo diligentiaque perscriptae, nec semel tantum, sed rursus atque iterum pluribus voluminibus explicatae. Nec est quicquam in ea facultate, quod non illum non modo pro se didicisse, sed etiam alios docere voluisse appareat.

Tan-

Tanta vero in eo cura eloquentiae fuit, ut etiam minutissima quaeque scrutari, & indagari niteretur. Quis enim quaeso ante hunc pedes, & syllabas etiam soluta in oratione servandas ostendit? Ut dactylum jambumque rejiceret, alterum ut elatum nimis, alterum ut depressum: paeana vero illum duplicem probaret, qui est aut ex longa, quam tres breves subsecuntur, aut ex tribus brevibus & longa postrema, quorum alterum principiis, alterum clausulis assignavit. An non curavisse illum dicis ut eloquens esset, qui eloquentiae artes tam curiose perscripsit, & minutissima quaeque tanta diligentia perscrutatus est? Atque ego certissime scio, nec te, nec praeceptorem illum tuum hominem, ut audio, magna theologiae scientia, sed nullarum penitus litterarum, quid sit paean, quid jambus intelligere, nullum denique vestigium eloquentiae intueri. Nec id sane in vobis reprehendo: non est enim cujusque ista discernere: sed id reprehendo, quod tam leviter de rebus vobis incognitis judicium proferatis. Falsum est igitur, quod scribis non curavisse illum, ut eloquens esset, sed an fuerit eloquens, videndum est. Nam fieri potest, ut curaverit quidem, nec tamen sit eloquentiam consecutus. Equidem quantum est in me judicii, non video, quomodo iis de rebus, quas Aristoteles tractavit, aut aptius, aut suavius, aut copiosius scribere quisquam potuerit. Lege ejus libros, nec morales solum, & civiles, in quibus magna eloquentia cohaeret, sed eos, qui physici, aut metaphysici scribuntur. Invenies locos nullius eloquentiae capaces eloquentissime ab eo tractatos, rebusque obscurissimis splendorem, & claritatem per eloquentiam attulisse. De quo si non michi credere vis, at Ciceroni credas. Quamquam nec tu forsan, Cicero qui fuerit, intelligis, egoque fatuus sum, qui tecum ista dissero.

ro. Sed tamen Cicero vir acerrimi judicii summus ipse orator suavitatem, & copiam, & omnia scribendi ornamenta Aristoteli tribuit, flumenque aureum illius scripta appellat. Ex quo magis translatoribus indisertis irasci soleo, quod hujus Philosophi libros admirabili facundia, suavitateque in grae o scriptos, tam absone nobis converterunt. Sed noi .nt illi Aristotelis libri, nec si vivat ipse, suos esse velit, sed merae conversorum ineptiae. Ille enim & politissimus scriptor esse voluit, & quod voluit curavit, & quod curavit, assecutus est. Quid ergo me in crimen vocas? Quid eloquentissimum Philosophum infantiae condemnas? An non pudet de rebus tibi incognitis ita leviter asseverare? sed satis de hoc. Ad aliud transeamus. Eum, qui librum Ethicorum ante me convertit, Ordinis Praedicatorum fuisse dixi Hoc tu ita derides, quasi erratum manifestum. Ecce rursus fatua crassaque opinio vix pueris digna. Putas enim interpretationem illam Boetii fuisse, qua quidem in re perquam pueriliter aberras. Nullam enim Boetii interpretationem habemus, praeterquam Porphyrii & Praedicamentorum & Perihermenias librorum, quos si accurate leges, videbis summum illum virum sine ullis ineptiis libros illos transtulisse. Textus est nitidus, & planus, & graeco respondens. At enim in Ethicis, & Physicis quid tandem est, praeter ineptias meras? Non verba in his latina, non dicendi figura, non eruditio litterarum: praeterea ab ipso graeco male accepta complura. Haec a Boëtio longe absunt viro in utraque lingua docto, & eleganti. Nunquam ille architectonicam, nunquam eutrapeliam, nunquam bomolchos, nunquam agricos, quorum vocabula in latino habemus, graece reliquisset. Nunquam tristiciam pro dolore posuisset, nunquam honestum cum bono, eligere

cum

cum expetere confudisset. Atque ut scias, duo fuerunt ante me, quod equidem viderim, interpretationes Ethicorum. Una, quam ex arabe lingua traductam constat post Averrois Philosophi tempora, quae quoniam anterior est, vetus appellatur. Altera haec posterior, & novior a Britanno quodam traducta, cujus etiam proëmium legimus, in quo & Fratrem se Ordinis Praedicatorum scribit, & rogatu confratrum de his transferendis laborem suscepisse. Quomodo igitur interpretatio ista prius fuit, quam Ordo ipse institutus est? Aut quomodo Boetii fuit ista nova interpretatio, cum vetusta illa, & anterior post Averroim fuerit, Boetius vero aliquot seculis Averroin anteeat? Reliquum jam crimen est, quod huic interpreti maledixerim. Equidem si vitam illius, si mores, si genus insectatus essem, tunc faterer me illi maledixisse. Sed nichil tale attigi, neque attingerem. At enim de litteris studiisque contendere, ac interdum vehementius urgere, & si res exigat, adversarium pungere: differere id quidem est, non maledicere. Denique tota vis in eo versatur, jure an injuria illum reprehenderim. Dixi graeca verba ob ignorationem latinae linguae ab eo relicta, pro quibus latina vel optima haberemus. Nec dixi modo, sed & probavi, & verba ipsa ostendi. Cetera quoque errata, nec ea pauca, nec levia redargui. Aut igitur ista defende si potes, aut me pupugisse illum non moleste feras. Equidem si in pictura Jotti quis faecem projiceret, pati non possem. Quid ergo existimas michi accidere, cum Aristotelis libros omni pictura preciosiores tanta traductionis faece coinquinari videam? an non commoveri? an non turbari? Maledictis tamen abstinui, sed rem ipsam redargui, ac palam feci. Vale.

XXIII.

XXIII.[1]

LEONARDUS POGGIO S.


Librum a se procuratum scribit, integritatemque suam ostendit.

SI vales bene est, equidem valeo. Egi cum Cosmo, ut liber ille ad te deferatur, quod ipse pollicitus est intra paucos dies esse facturum. Tu cum illum habueris providebis, ut a scriptore tuo pure diligenterque custodiatur. Quod autem de librario mones, recte tu quidem, & amice facis; sed tanta est apud nos hujusmodi hominum penuria, ut quamvis cupiam, habere non possim. Quare te rogo, ut si qua ratione potes, hoc michi negocium conficias. Si quem fortasse idoneum huic operi alicunde eruere queas, ad me mittito perquam cupide suscipiendum, habendumque. Franciscus Barbarus ad vos profectus est, cum quo una hic fui, ac de te multa ab utroque nostrum. Scio cum Romae fuerit, futurum te illi in intimo sinu. Itaque non praetermittendum videtur, quominus te commonefaciam efflagitemque operam, ac medelam tuam. Compertum habeo multa per aemulos obtrectatoresque meos sinistre de me ad hunc esse perscripta. Quis sit harum calumniarum fons, tute nosti: quam ingrate indigneque id faciat, te non latet. Adjecit se se huic atque addixit levissimus quidam homo professione hypocrita, patria sodomites: ambo hi de me ad Barbarum, ut compertum habeo, perversa quaedam scripsere. Huic tu rei, quaeso, medelam appone. Tu enim

(1) Haec a cl. Fabricio edita non est.

enim scis, quanti Barbarum semper fecerim, & quanta commendatione illius nomen prosecutus sim. Hoc ille ex te audiat. Deinde tibi notissimum est non mea culpa has inimicitias cum Nicolao esse susceptas. Nichil in hac parte abs te postulo, nisi verum, pergratumque michi fuerit, si pro rei noticia epistolam illam meam, quam de hac ipsa controversia ad te scripsi, Barbaro ostendes, ne aliud pro alio censeat. Intelliget enim, quod ego ad te scripserim, minime in eo me esse mentitum. Nam quod de vita ajunt ipsa, vita mea integerrime acta, & communis de me censura eos refellit. Versor in oculis hominum, atque in luce probatus quidem & acceptus omnium judicio. Nec est quisquam viventium, cui in hac parte integritatis, innocentiaeque concedam. Nulla foeditas in me, nullum flagicium, nulla libido mala, nulla injuria unquam reperietur. Studiis vero non quantum cupio proficere possum, sed tamen non frustra a me in illis versari opera mea laboresque testantur, constatque me & Curiae Romanae commoda, & hujus urbis emolumenta ultro oblata posthabere, quo studiis & litteris dare operam possim. Quid ergo dicit sodomites ille, cujus una dumtaxat cura est in angulis, atque in umbris latentem cevere? Atque ut totum noris, ego de his rebus nichil cum Barbaro egi: praestare enim duxi, hoc quicquid sit apud eum ulceris dissimulare me scire. Quare & tu sic accedas ad hanc medelam, quasi nescias id, quod scias. Plena sunt omnia invidorum, Poggi, & malivolorum, & perversorum hominum. Sed crede michi magno animo eos contemno. De Barbaro tamen laborandum putavi, ne mea negligentia abalienatus dici possit. Vale.

Finis Partis Primae.



LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM

PARS SECUNDA.

LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM LIBRI VIII

AD FIDEM CODD. MSS. SUPPLETI, ET CASTIGATI

Et plusquam XXXVI. Epistolis, quae in Editione quoque Fabriciana deerant, locupletati

RECENSENTE

LAURENTIO MEHUS

ETRUSCAE ACADEMIAE CORTONENSIS SOCIO,

Qui Leonardi Vitam scripsit, Manetti, & Poggii Orationes praemisit, Indices, Animadversiones, Praefationemque adjecit, Librumque Nonum, ac Decimum in lucem protulit.

ACCESSERE

Ejusdem Epistolae Populi Florentini nomine scriptae nunc primum ex Codd. MSS. in lucem erutae.

PARS SECUNDA.



FLORENTIAE. MDCCXXXXI.

EX TYPOGRAPHIA BERNARDI PAPERINII.

Sumptibus Josephi Rigaccii.

SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. ALBERICO

COMITI ARCHINTO

ARCHIEPISCOPO NICAENO

APUD MAGNUM ETRURIAE DUCEM

PONTIFICIO LEGATO,

ec. ec. ec.

LAURENTIUS MEHUS FELICITATEM.



Uis miretur, ILLUSTRISSIME, & REVERENDISSIME PRAESUL, quod Tutelae Tuae alteram harum epiſtolarum

partem commendare, Tuoque patrocinio tutari, atque ornare ausus sim? Tu enim is es, qui non solum vel paterno splendore, vel avita Proavorum Tuorum amplitudine praefulges; verum etiam omnibus & litterarum praesidiis, & disciplinarum institutis auctus omnium oculos in Te convertis. Et quidem nullos existimo adeo hospites in litteris versari, ad quorum aures ARCHINTAEI NOMINIS gloria non pervenerit, cujus e Stirpe tamquam ex equo Trojano innumeri Heroës prodierunt, quorum partim ingenii praestantia, partim magnitudine rerum gestarum, illustres fuerunt. Neque vero, PRAESUL AMPLISSIME, id mihi negotii datum credidi, ut ve-

tu-

rustissimam Florentissimae Tuae Familiae originem ab ultimis usque Langobardorum Regibus repetita memoria producerem, vel ANSELMI ARCHINTI munificam pietatem, vel MANFREDI piissimam liberalitatem, vel HIERONYMI eximiam in jure scientiam, vel PHILIPPI summam apud Principes existimationem, ac gratiam referrem. Congerant sane haec, & in avitis hujusmodi praeconiis se jactent, qui alienae laudis indigum commendant. Unum tamen & quidem recentiorem ex Progenie Tua nominare fas sit, JOSEPHUM puta ARCHINTUM Eminentissimum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, qui cum apud Magnum Etruriae Ducem eodem, quo

Tu nunc emines, Oratoris munere fungeretur, nihil sibi deesse ostendit vel humanitatis ad gratiam, vel consilii ad res bene gerendas, vel ingenii ad utriusque linguae, & sacrarum litterarum pervestigationem. Quid quod & CAROLUS ARCHINTUS amplissimus Pater Tuus in multiplicibus, subtilibusque disciplinis versatus est, & harum quoque artium gloria effloruit, ita ut omnem liberalissimorum studiorum varietatem, & reconditarum disciplinarum paene infinitam vim capaci mente comprehenderit. Sed quid ego haec, PRAESUL AMPLISSIME, in laudem Tuam commemorem? Quum Te magnum ARCHINTAEI SANGUINIS incrementum, Te inquam pro-

pria cumulatum virtute intueri praeſentem, ac ſubſpicere liceat? Adeo ſimili eſſictus es ingenio, ut qui Te unum novit, omnes ARCHINTAEORUM HEROUM virtutes noverit. Nihil dicam de pietate, nihil de prudentia, nihil de litterarum latinarum peritia, quas ſemper cum graecis conjunxiſti, nihil de Hiſtoriae Eccleſiaſticae cognitione, in quam etiam nunc vehementiſſime incumbis. Praetereo etiam graviſſima Eccleſiae munera, quibus a Summis Pontificibus cohoneſtatus & honorificentiſſime functus es, & ſapientiſſime fungeris. Excitat me, atque alio abripit incredibilis ille Tuus in literas amor, atque adſiduum de his benemerendi ſtudium, quod

Tibi cum Majoribus Tuis commune eſt, idemque me allicit, ut favorem Tuum, ac patrocinium ſupplex ambiam. Praeterea cum in his, quas Tibi ſiſto, Epiſtolis de veteri etiam Mediolanenſis Urbis celebritate, origine, ac vetuſtate tractetur, cui potius hunc libellum conſecrem, quam Tibi PRAESUL AMPLISSIME, qui non ſolum maximum es ejuſdem Urbis ornamentum, verum etiam ex ea Stirpe prognatus, quae adeo praeclare de eadem civitate promerita eſt? Excipe igitur hilari vultu hoc obſequii mei monumentum, quod Tibi, ampliſſimaeque Domui Tuae dulciſſimo Muſarum domicilio venerabundus offero, dum longaevam Tibi vi-

tam, atque uberrima Virtutum Tuarum praemia in publicam Fidei, ac literarum utilitatem a Deo Opt. Max. precor.

Dabam Florentiae VIII. Kal. Augusti MDCCXXXXI.




CAN-



CANDIDO LECTORI

LAURENTIUS MEHUS S. P. D.





Abes, Lector Benevole, alterum volumen Epistolarum Leonardi Arretini, *in quo praeter illas, quae jam editae circumferebantur, leges librum nonum, ac decimum, qui numquam publicam lucem adspexere. Primum ex his nosmetipsi exscripsimus ex Codice Chartaceo humanissimi Viri* Ludovici Gualtierii, *quem in prioris voluminis proëmio perperam* Julium *nuncupavimus, quique amplissimam possidet collectionem Codd. MSs., qui ad Etruriae nostrae historiam*

riam pertinent. Alterum vero exscriptum ad nos Arretio transmisit Marius Florus *Patricius Arretinus, ac pro sua humanitate nonnullas alias diversorum ejusdem seculi scriptorum epistolas adjunxit. Pollicitus eram in Epistola ad Lectorem primo volumini praefixa pag: XV. editurum me* Leonardi Arretini epistolam ad doctum juvenem Marrasium Siculum, *quae ita inciperet:* Nuper suavissime Marrasi cum apud quosdam praestantissimos juvenes, &c. *eamque jam descripseram ex Codice Chartaceo Illustrissimi, & Reverendissimi Marchionis* Gabrielis Riccardii *amplissimi Florentinae Ecclesiae Subdecani, qui humanissime annuit, ut ex privata sua Bibliotheca longe praestantissima quicquid in rem nostram sit excerperem, atque in publicum commodum proferrem. Sed cum, hanc quam diximus, epistolam sedulo perpenderem, in eaque de Batrachomyomachiae vulgo Homericae traductione hexametro versu facta tractari animadverterem, deprehendi non esse* Leonardi, *sed* Caroli Arretini, *qui Batrachomyomachiam è graeco transtulit, eademque epistola versioni suae praefixa* Marrasio Siculo *inscripsit, atque illa versio tum in multis Bibliothecarum MSs. Codicibus adservatur, tum typis descripta jamdiu prodiit, ut ostendit praestantissimus Annalium Typographicorum parens* Michaël Maittaire. *Hanc itaque nos abire jussimus, aliam-*

que

quae produximus ex Cod. Membranaceo illius quem modo laudavimus, ac propter pietatem, eruditionem, humanitatem, atque in literas amorem numquam satis laudandi Marchionis Gabrielis Riccardii, *quae ita inscribitur*: Leonardi Arretini Epistola contra detractores suos ad Johannem Nicolam Veronensem Clarissimum ex equestri ordine virum incipit feliciter. *Initium ita se habet*: Admiratum dixisti doctum quemdam virum, &c. *Hanc epistolam excipiunt nonnullae aliae Populi Florentini nomine ad Concilium Basileense conscriptae, in quibus Patres adhortatur, ut Concilium Florentiam transferant, ac malevorum voces, qui id inhibere conabantur, retundit. Paucas vero e multis excerpsimus tamquam specimen amplissimae collectionis, quam tibi exhibebimus, cum plus otii nanciscemur. In aliquibus MSs. Codicibus repertum a nobis est opusculum quoddam, quod hunc titulum praeseferebat*: Leonardi Arretini de studiis & litteris ad illustrem Dominam Baptistam de Malatestis; *de quo* Leonardi *nostri opera recensentes plura in superioris voluminis* Artic. XIII. pag. LX. *disseruimus. At in nonnullis Codd. non* opusculum, *sed* epistola *nuncupatur, ut praeter alios habet Codex Cl. Viri* Jacobi Facciolati, *in quo legere est*: Ad Dominam Baptistam de Malatestis de generibus studiorum

Leo-

Leonardi viri eloquentis Epistola; *ut idem vir Celeb. maximum Patavini Lycei ornamentum nuper ad me scripsit. Sed quum in pluribus voluminibus manu exaratis* opusculum, *non* epistola *inscribatur*, & Leonardi *scripta enumerans hoc tamquam diversum ab epistolis sejungat* Jannotius Manettus, *nullum in hac epistolarum collectione locum ei reliquimus*. De Leonardi *vero scriptis multa in superiore volumine diximus. Lubet nunc eam partem percurrere, ac nonnulla adjungere, quae vel omissa a nobis, vel perperam tradita fuerunt. Itaque in* Epist. ad Lectorem pag. V. *animadvertimus Editionem Epistolarum* Leonardi *nostri*, *quae an.* 1472. *prodiit*, *praetermissam fuisse a Cl.* Maittairio *in* Annal. Typographicis. *Id de prima eorumdem Annalium editione intellige. Nam in ea, quam ille vir praestantissimus altera vice curavit, earumdem epistolarum an.* 1472. *editarum mentio fit*, *ejusque editionis etiam meminerat amplissimus S. R. Ecclesiae Cardinalis* Angelus Maria Quirinus *non tam Sacra Purpura*, *quam eximia*, *qua praefulget*, *eruditione Eminentissimus pag.* LIII. *Aurei Operis*, *in quo* variae Literaturae Brixianae specimen *ab oculos ponit*. Pag. XIX. *produximus particulam Epistolae* Alamanni Lunae *ad* Jannotium Manettum; *ubi pro* Alamanni, *reponendum* Nicolai Lunae. Pag. XXXI. *seq.*

ani-

madvertimus contra Fabricium *in Cod. Regio*, *quem adfert* Labbeus, *sejungendum esse* Jacobum Angelum *a* Rinuccino. *Nunc adde*, *quod* Jacobus Angelus *est* Jacobus *Angeli filius a Scarparia*, *de quo* Blondus *in* Ital. Inluftr. *haec habet*. Primum Regionis Mugellanae oppidum est via Bononiensis Scarparia Jacobo ornata Angeli filio, cujus graece latineque doctissimi exstat M. Tullii Ciceronis vita in latinitatem luculenter traducta. *Ita* Blondus. Multi nominis virum Jacobum Angelum Florentinum in Mathematicis doctissimum *hunc appellat* Jo: Andreas *Aleriensis Episcopus in* Epist. ad Paulum Secundum *Straboni praefixa*, *quam in* Append. ad Vindicias ejusdem Pontificis pag. 253. seq. *recudendam nuper curavit Eminentissimus* Quirinus. Pag. LII. *ubi agitur de Libello*, *quem* de Republica Florentinorum *graece scripsit*, *praetermittendum non est*, *quod etiam Vir Clarissimus* Leo Allatius *hoc opusculum ex Codicibus MSS. descripserat*, *idemque a se versum edere decreverat in primo* Variorum Antiquorum *Volumine*, *ut non solum* Tom. X. Bibl. Graecae pag. 410. *nos docet* Fabricius, *sed ipsemet* pag. 178. Apum Urbanarum *de se testatur*. *Sed quamvis excerpta quaedam ex primo* Variorum Antiquorum *volumine ann.* 1641. *edidisset* Allatius, *nostri tamen Scriptoris opusculum in pu-*

blicam lucem numquam protulit. Pag. LV: *invenimus* in Plut. LXI. Bibl. Laurentianae Cod. Chart. num. 1. *adservari Historiam de* Bello Gothorum *ab anonymo Italice conversam*. *Nam interpretis nomen accipe, quod reperimus in Cod. Chart. amplissimi Marchionis, & Subdecani* Gabrielis Riccardii, *ubi haec leguntur*: Proemio di Messer Leonardo di Francesco Bruni da Arezzo sopra il Libro de Bello Gothorum composto da lui al Reverendissimo in Christo Padre Messer Giuliano Chardinale di Santo Agniolo & poi vulgharizzato per Bernardo di Ser Francesco di Bartolo di Vanni Nuti. *Initium hujusmodi est*: Benche a me molto più giochondo sarebbe stato referire la felicità, che i danni di ytalia, niente di meno, perchè, ec. *Pag. LXI. suspicabamur Librum* de institutione, *vel ut in aliis MSs. Codd. legitur*, de ingenuis moribus adolescentium ad Ubertinum Carrariensem *non esse* Leonardi Arretini, *sed* Pauli Vergerii *Senioris*. *Quod ita se habere mihi per litteras significavit vir Cl.* Josephus Antonius Saxius, *ac me monuit in* Cod. membr. Bibliothecae Ambrosianae *adservari opusculum* de ingenuis moribus, *in quo tam initio, quam ad calcem sublatum fuit auctoris nomen, ubi haec leguntur*: Explicit de ingenuis moribus . . . . . Viri peritissimi Ferrariae. *Principio vero MSs.*

Co-

Codicis haec sunt: Licet abrasum fuerit Scriptoris, sive mavis auctoris nomen, fuit tamen Ferrariensis, ut constat ex calce. *Paulo infra ab alia manu additur*: Credo esse Leonardum Aretinum: *sed subjungitur ab altero*: non: sed Petrus Paulus Vergerius Justinopolitanus. *In eadem* Ambrosiana Bibliotheca *extat alius Codex Chartaceus, qui varia* Leonardi *opera continet, & inter haec legitur opusculum* de ingenuis moribus ad Ubertinum *nullum auctoris sui nomen praeseferens. Is autem, qui Codicem recensuit, ejusdem initio scripsit* de ingenuis moribus ad Ubertinum. *Oscitantis vero manus adjunxit* Leonardi Aretini, *quod ineptum est, cum nihil certius umquam sit, quam hunc libellum a* Vergerio *fuisse elucubratum. Testatur hoc alter Codex Membranaceus ejusdem* Ambrosianae Bibliothecae, *qui cum hoc opusculum exhibeat, & titulo careat, ad calcem tamen haec habet*: Petri Pauli Vergerii Justinopolitani ad Ubertinum Carrariensem de ingenuis moribus, &c. *Causam hujus erroris cum Cl.* Josepho Saxio *eam esse arbitror, quod* Pauli Vergerii opus *in Codd. MSs. nunc inscribitur* de institutione adolescentium, *nunc* de ingenuis moribus adolescentulorum, *nunc vero* de ingenuis moribus, & liberalibus studiis adolescentiae, *ut prae se fert editio Mediolanensis ann.* 1474. &

Cod. membr. Bibl. Laurentianae Plut. LXV. n. XV, *idque* Art. XVII. *superioris voluminis innuimus*. Leonardus *vero* Arretinus *dum adhuc graecis scriptoribus Florentiae vacaret, transtulit* Basilii *Librum, quem habuit ad discipulos instituendos, ut testatur* Poggius. *Hic itaque libellus tam in vetustis editionibus, quam in MSS. Codd. varios titulos prae se fert, quorum plerosque* Art. XXXIV. *primi Voluminis pag.* LXX. *enumeravimus. Codicem MS. prae manibus habeo, in quo legas*: Sancti Basilii de liberalibus studiis, & ingenuis moribus liber per Leonardum Arretinum e greco in latinum conversus, *eumdemque titulum exhibet editio Mediolanensis an.* 1474, *quam se vidisse mihi significavit Cl.* Joseph Saxius, *& Bononiensis ann.* 1497., *ut* Tom. I. Annal. Typograph. *nos docuit Cl.* Michaël Maittairius. *Quamobrem cum nonnulli* libellum de liberalibus studiis, & ingenuis moribus ad Ubertinum Carrariensem *sine* Vergerii *nomine in Codd. MSs. invenerint, meminerintque legere se opusculum* Leonardi Arretini *eodem modo inscriptum, nullo habito discrimine* Leonardi *esse putarunt, cum revera* P. Pauli Vergerii *sit. Siquidem* Leonardus Arretinus *opusculum suum de* Liberalibus studiis, & ingenuis moribus *non* ad Ubertinum Carrariensem, *sed ad* Colucium Salutatum *misit. Sed de hoc hactenus.*

Lau-

Laudationem Florentinae urbis, *de qua* Art. XVIII. pag. LXI. *verba fecimus in Italicam linguam transtulit* Lazarus Patavinus *e Sacra Dominicanorum Familia Monachus*, *cujus versionem mecum communicavit vir doctissimus* Nicholaus Bargiacchius *ex MS. membr.*, *quem in suo musaeo adservat ita inscriptum*. Comincia il probemio, overo epistola di Frate Lazaro da Padova dell'Ordine de' Frati Predicatori maestro in theologia nella traductione del trattato di Messere Leonardo d'Arezzo huomo elloquentissimo fatto in latino de le vere Lode de la inclita, e gloriosa Città di Firenze, e per lo predetto Frate transposto in volgare intitolato a spettabili Cittadini, e Mercadanti Firentini. Feliciter. *Incipit proëmium*: Non solo dagli Antichi Philosophi, ma anco, ec. *Orationis vero initium hujusmodi est:* Vorrei dallo immortale Dio mi fosse conceduto che, ec. *Meminimus* Art. XXXIII *fabulae cujusdam*, *eamque in* MS. Riccardiano *reperiri addidimus*. *Ea extat in Codic. Chart. Marchionis praestantissimi* Gabrielis Riccardii, *ubi legitur:* Novella bellissima e leggiadra di Seleuco Re di Soria, e di Antioco suo figliuolo tracta dall' Antiche Hystorie, e in volgare ydioma per lo excellentissimo Oratore Leonardo Aretino composta contraria a quella

di


di Tancredi. *Incipit autem*: Non sono molti anni passati, che trovandomi in compagnia di più gentili huomini, e donne, ec. *Traductionem actus primi primae Comoediae Aristophanis, quam nos* Art. LVI. *memoravimus, nihil aliud esse putamus, quam versionem actus primi illius comoediae, quae in Edit. Aristophaneis principem locum obtinet. Haec vero nihil habet commune cum comoedia* Polixenae, *quam a* Leonardo Arretino *elucubratam fuisse testatur* Philibertus de la Mare *eamdemque ineunte Seculo XVI. a* Melchiore Lottero Typographo Lipsiensi *editam fuisse nuper nos docuit* Jo: Henricus Leich de Orig. & incrementis Typograph. Lipsiensis Cap. IV. *Inter literas, quae* Lib. VI. *leguntur, extat* num. IX. *Epistola ad* Cyriacum Anconitanum, *quam nonnulli* Leonardo Justiniano *tribuunt, eademque inter ejus opera Venetiis per* Bernardinum Benalium *excusa exhibetur. Sed* Leonardi Arretini *esse omnes existimabunt, qui MSs. Codd. versaverint, in quibus* Arretinus, *non* Justinianus *legitur.* Titus Livius Ferrariensis, *ad quem* Epist. IX. Lib. VII. *scribitur, est* Titus Livius *de* Frulovisiis, *vel ut in aliis MSs.* Filonisiis *Orator, ac Poëta eximius, qui ann.* 1430. *floruit, librumque de orthographia composuit, ac vita* Henrici V. *ab eo exarata MS. adservatur in nonnullis Angliae*

Bi-

Bibliothecis, *de quo* Tom. III. Script. Eccles. Cas. Oudinus, *&* Lib. XI. Bibl. Med. & Inf. Lat. Albertus Fabricius. *In* Epist. III. Lib. IX. *nullo habito suae amicitiae discrimine*, *exagitat* Laurum Quirinum *virum aetatis suae doctissimum*, *ac juris cognitione celebrem*, *a quo flagitiosa* Leonardi *convicia propulsare*, *ejusque eruditionem patefacere breviter decreveram*. *Ecce autem cum haec scriberem*, *opportune mihi redditus est fasciculus*, *in quo reperi partem* Diatribae Praeliminaris *propediem ante epistolas* Francisci Barbari *evulgandae*, *quam ad me humanissime transmisit* Eminentissimus Quirinus *maximum Purpuratorum Patrum decus*, *& ornamentum*, *ubi* pag. DXVIII. seq. *eximiam* Lauri *doctrinam ex* Blondo, Cyriaco, Francisco, ac Zacharia Barbaris, Leonardo Justiniano, *ac* Francisco Philelpho *contra* Leonardum nostrum, *ac* Matthaeum Bossum *doctissime ostendit*. *Itaque hanc* Diatribam Praeliminarem, *vel potius immensum totius resurgentis litteraturae thesaurum consulet lector*, *qui ejusdem* Lauri *praestantiam pernoscere cupit*. *In verbis* Blondi, *quae* Lib. IX. pag. 147. *ad epistolam* IV. *adtulimus*, *pro* Nicolaus Bracelleus *legendum est* Jacobus Bracelleus. *Cardinalis Sanctae Sabinae*, *ad quem epistolae nonnullae Populi Florentini nomine scriptae sunt*, *est* Julianus Caesarinus.

Ti-

Tituli Sanctae Sabinae Presbiter Cardinalis S. Angeli vulgariter nuncupatus. Vide Mabillonium Tom. I. Muſ. Italici parte II. pag. 245. *Cardinalis vero S. Petri ad Vincula* Johannes Cervantes *natione Hiſpanus, qui a* Martino V. *Presbiter Cardinalis creatus eſt, de quo* Ciacconius, Attichius, *aliique. Haec ſunt, de quibus te breviter admonitum volui.*



LEO.



LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM


LIBER QUINTUS.



I.

LEONARDUS HUGONI SENENSI S. (1)

Declarat contra calumniatores se recte ex graeco τἀγαθὸν summum bonum transtulisse.



Requenter dubitari percipio in hac nova Ethicorum interpretatione, quam publice legere coepisti, quoniam ita scriptum in ea sit: summum bonum quod omnia appetunt. Oriri autem dubitationem, vel admirationem potius ex eo, quod antiqua interpretatio habuerit, non summum bonum,

(1) Hugoni Bentio Medico Senensi, ac Philosopho.

ſed bonum. Itaque ſuſpicari quosdam viros, eosque ferme veteres ſtudiorum hujuſmodi ſectatores a me eſſe erratum, & malivolos, obtrectatoresque meos id ipſum jam non ſecus ac manifeſtum, deprehenſumque crimen circumferre. Quare, & reſpondere malivolis, & apud bonos me ipſum purgare quidam ſuadent. Ego autem hujuſcemodi mentis ſum, ut de malivolis, & obtrectatoribus illis non multum exiſtimem laborandum. Novi enim & qui ſint, & quam facile contemnendi. Bonis autem & ſtudioſis, qui non malivolentia aliqua, ſed opinionis errore ducuntur, veniam eſſe dandam cenſeo. Eſt enim difficile, ac protinus arduum, antiqua illa jampridem imbibita animis exſtirpare tam cito, ac evellere poſſe. Itaque intueri licet, interdum homines magis anxie male percepta dediſcere, quam bona percipere. Ignoſcendum igitur, & ſimul reſponſione mea ſatisfaciendum, meque ipſum apud hos purgandum, probandumque eſſe duco, ut veritate agnita omni me crimine abſolvant. Quamquam in hac mea cauſa neque difficili ſane per ſe, neque obſcura illa ſubit difficultas, quod de verbo graeco controverſia ſit, de quo apud homines graecarum litterarum ignaros aſſenſionem facere perarduum videtur. Sed tamen tanta eſt veritatis lux, tantumque jubar, ut aliena etiam in lingua apparituram ejus vim, ſplendoremque confidam. Nam vero quidem omnia conſonant; falſo autem cito diſſonat verum. Primum igitur videndum eſt, de quibus michi conveniat cum adverſariis, & de quibus ſit quaeſtio, ut ordine, & via procedat oratio. Interpretis quidem eſſe puto, quae in aliena poſita ſunt lingua, ea in ſuam fideliter ſcribere. Hoc & adverſarii fatentur. Inſpiciamus ergo quid ſit in graeco poſitum, pro quo ipſe in latino ſummum bonum reddiderim. Eſt autem verbum τἀγαθόν: hoc

hoc etiam adversarii fatentur, sed male interpretatum esse contendunt. De significatione igitur hujus verbi controversia fit. Ego summum bonum significare dico, illi bonum. Antequam ad probationem descendam, placet quid summum bonum, & quid bonum latine dicimus constituere. Nam frustra de verbo graeco disputaremus, si de latino ambiguitas esset. Haec verba summum bonum eam puto vim apud latinos habere, ut per illa notetur extremum illud ac perfectum bonum, ad quod cum tandem perventum fuerit, appetitus omnis conquiescit, id est, quod semper propter se expetitur, & nunquam propter aliud, cujus gratia cetera fiunt omnia, & ad illud referuntur, ipsum autem nunquam refertur. Media vero, per quae ad hoc extremum ascenditur, bona quidem sunt, non tamen summa, quoniam propter aliud, quod supra erat, expetuntur. At summum bonum nichil supra se habet, sed in eo appetitus conquiescit, nec ultra requirit. Quid autem sit extremum illud ac summum, ad quod omnia feruntur, hoc non est jam de vi verbi, sed de re ipsa perquirere, in quo magna Philosophorum ingenia conflictantur. Nec latere nos oportet hoc idem, quod summum bonum diximus appellari finem bonorum, & extremum, & ultimum, & primum. Dicitur enim extremum, & ultimum, quia non est ultra progressio: primum autem, quia principium est, & causa. Nam ejus gratia omnia omnes agunt, de quo praeclare Tullius in libris de Finibus Bonorum inquit: *Quaerimus enim quid sit extremum, quid ultimum bonorum, quod omnium Philosophorum sententia tale esse debet, ut ad id omnia referre oporteat, ipsum autem nusquam*. Ecce quid nos bonum, & quid summum bonum latine dicimus. Age nunc τἀγαθὸν, de quo controversia est, utrum bonum significat, an

summum bonum? Ego summum bonum significare dico, atque aliud esse ἀγαθὸν, aliud τἀγαθὸν: alterum enim bonum significare, alterum summum bonum. Quomodo id probas? Quia sic Graeci utuntur. Non credimus inquit. At si non michi, saltem Eustratio credas. Eustratius enim natione Graecus est, & inter doctissimos apud Graecos habetur. Libros certe Ethicorum graeca in lingua sic perite commentatus est, ut solus commentator illorum meruerit appellari. Verba Eustratii sunt haec in X. Ethicorum libro: τἀγαθὸν quod conjungitur ex τὸ & ἀγαθὸν nichil aliud est, quam solum bonum, & primum bonum: alia autem, puta intellectus & scientia, & virtus bona quidem sunt, non tamen prima, & est intellectus quidem ἀγαθὸν, non tamen τἀγαθὸν, & virtus ἀγαθὸν, non tamen τἀγαθὸν. Sic per hoc elementum tibi ostenditur primum principium, & causa, & radix, ac velut centrum omnium bonorum. O testimonium michi optatissimum! testimonium vero? immo sententiam. Quid enim aliud Eustratius, quam velut de tribunali me victorem pronunciat? ἀγαθὸν inquit significat bonum, sed τὸ cum illo junctum facit, ut significet primum principium, & causam, & radicem omnium bonorum. Et quid aliud me dicere oportet? nonne haec probant? nonne haec purgant? Intelligant igitur boni & studiosi, qui dubitabant prius, veritatemque opinioni suae anteferant: invidi autem & obtrectatores erubescant, & concidant. Nam quid est, quod hiscere valeant contra graecum auctorem, ac doctissimum hominem. Dixi de Eustratio. Quid Aristoteles ipse? nonne haec eadem probat? Certe non minus aperte, sed si dici potest, etiam clarius docet in primo Ethicorum libro bonorum alia esse laudis, alia venerationis. Vult autem laudis esse virtutem, ac cetera hujusmodi bona. Venerationis

tionis autem praestantiora quaedam ac diviniora. Tale inquit esse Deum & τἀγαθὸν: ad haec enim, & alia referri. An iste, qui par fecit Deum, & τἀγαθὸν, & ad haec alia omnia referri dicit, minus tibi probare videtur, quam Eustratius, τἀγαθὸν designare non bonum, sed summum bonum? Nam si τ'ἀγαθὸν declararet idem quod bonum; cur diceret praestantius aliquid esse, quam bonum, ac Deo comparari? Quid Boëtius vir doctissimus? Nonne ex hac eadem paritate ab Aristotele sumpta τἀγαθὸν summum bonum appellat? Duo inquit summa bona, quae inter se diversa sint, esse non possunt. At Deum, & Beatitudinem summa bona esse concessimus. Ecce quod Aristoteles τἀγαθὸν dixit, Boëtius summum bonum exponit, cum Deum, & τἀγαθὸν duo summa bona esse concedit. Quid ad haec respondebunt latratores ipsi, non graecarum modo ignari, verum etiam latinarum litterarum, qui tempus non in discendo sed in carpendo consumunt fuci apium, & improbissimi sycophantae? Docebo, & praeter has auctoritates antiquum interpretem se ipsum damnare. Quomodo hoc? quia in principio verbum τἀγαθὸν bonum exponit dicens, bonum quod omnia appetunt. Postea vero procedens in opere, dum Aristoteles inquit tale esse Deum, & τἀγαθὸν, victus jam re ipsa ac plane redargutus, quoniam ibi dicebatur aperte τἀγαθὸν praestantius aliquid esse quam bonum, non est ausus exponere talem esse Deum & bonum, ne in manifestam dissonantiam caderet, sed dixit tale esse Deum, & per se bonum. Eodem quoque modo in libro hujus operis decimo, cum Aristoteles inquit quod bonum sit, & quod omnia appetunt id esse τἀγαθὸν, vidit absurdum esse, ac stare non posse, si exponeret quod omnibus bonum sit, & quod omnia appetunt id esse bonum. Exposuit ergo & ibi per se

se bonum. Atqui cum in decimo libro exponit per se bonum, quod omnia appetunt, se ipsum redarguit, quod dixerit in primo bonum, quod omnia appetunt. Non enim primis ultima, sed ultimis prima corriguntur, ad quem profecto errorem emendandum non tam voluntas illum, quam necessitas perduxit. Magna quidem est veritatis vis, magnumque numen, ac de primo ad extremum una, atque eadem miro inter se nexu apta, catenataque series rerum. Nam vero omnia consonant, omnia succedunt: falso autem, cum semel dictum fuerit, veritas dissonat, ac refragatur, & quasi obliquum multa offendunt, quod hic accidit. Quod enim falso expositum fuerat, multa postmodum reclamabant ac refragabantur, donec se ipsum, uti corrigeret, vi adegerunt. Nam illud sane dici haudquaquam potest, ut τἀγαθὸν utrunque significet, cum Aristoteles praestantius aliquid designare asserat, quam bonum, & Eustratius nichil esse aliud, quam primum bonum. Denique τἀγαθὸν & felicitas idem est; at bonum & felicitas non idem. Patet ergo antiquum interpretem male interpretatum fuisse, cum dixit bonum quod omnia appetunt: sed an postmodum bene, cum inquit, per se bonum, fateor minus viciose, inepte tamen. Nostri enim illi praestantissimi atque doctissimi, Ciceronem dico, atque Augustinum, & Lactantium, & Boëtium nunquam dicunt per se bonum, sed summum bonum. Afferre possem testimonia singulorum permulta, ni prolixitatem vererer. Sed tamen Boëtium supra ostendimus dixisse, duo summa bona, quae inter se diversa sint, esse non possunt. Eodem modo Tullius, *Epicurei*, inquit, *summum bonum voluptatem esse contendunt*. Et alio loco: *Facit Lucius noster prudenter, qui audire de summo bono potissimum velit: hoc enim constituto in philosophia constituta sunt omnia.* Et paulo

post:

post: *summum bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est.* Lactantius quoque inquit: *Epicurus summum bonum in voluptate animi esse censet, Aristippus in voluptate corporis; Peripatetici autem in bonis animi & corporis & fortunae summum bonum collocarunt.* Horum ergo nullus dicit per se bonum, sed summum bonum. Quam igitur causam habuit interpres ille a consuetudine doctissimorum nostrorum recedendi? Non credo fuisse usquam adeo sibi arrogantem, ut Tullium, & Augustinum, & Boëtium, & Lactantium damnaret in verbo, ac melius putaret se dicturum. Sed illud magis credo doctos istos viros nunquam ab eo lectos fuisse. Itaque latinae linguae ignarus verbum de se ipso finxit, quod nemo eruditissimorum unquam posuerat. Enimvero quod & hoc ipsum viciose, hinc licet intueri, quia quae propter se & propter aliud expetuntur, per se bona sunt, non tamen summa. Nam summum id est, quod semper propter se, & nunquam propter aliud. Quare nec dum bonum exponit τἀγαθὸν, nec dum per se bonum defendi potest, quominus errasse comprehendatur. Enimvero dicet quispiam: tu quemadmodum defendes omnia summum bonum appetere? Jam enim si hoc inquis, lapidem appetere summum bonum tibi fuerit confitendum. O argutias insulas! Quanquam tu potius hanc defensionem ab Aristotele exigas oportet, quam a me. Nam ego interpretis officio functus sum, ut in graeco positum fuit, sic in latinum reddidi. Sed tamen si aliquid supra interpretem me dicere oportet, potestne esse quicquam insulsius aut puerilius, quam dum Aristoteles de bono loquitur humano ad lapides, & hujusmodi insensata cavillationem traducere? Quod qui facit, lapideus plane, insensatusque ipse est. Sic enim proponitur ab Aristotele: *omnis ars omnisque doctrina*

similiter autem & actus & electio bonum quoddam appetere videtur. Haec omnia videlicet hominum sunt, non lapidum, neque bestiarum. In libro quoque Magnorum Moralium inquit: *non de simpliciter bono nobis dicendum est, sed de bono, quoad nos. Non enim quaerimus Deorum bonum, nam de illo alia ratio, aliaque consideratio est. De bono igitur humano dicendum est*. En quid Aristoteles proponit, & sentit. Omnia vero humana summum appetere bonum, ac illius causa omnia omnes agere nemo sanae mentis unquam negabit. Quin etiam si ineptire placet, ac in verbo cavillari, dabis michi lapidem bonum appetere: sic enim tibi necessarium secundum primum interpretem. Quod si feceris, ergo summum bonum appetere concedam. Neque enim recipiendum est, lapidem, si modo quid appetit, bonum quidem sibi appetere, non autem optimum. Haec ad te, Ugo doctissime, pro graeci cognitione verbi scribere licuit, ut ipse certior factus valeas ambigentibus constanter & intrepide respondere, me non ad casum, neque temere, sed certa ratione & intelligentia Aristotelis verba, ut in graeco sunt, ita in latinum fideliter convertisse. Vale.

II.

LEONARDUS THOMAE CAMBIATORI S.

Divitias in bonis numerari quodammodo a Philosophis ostendit.

NOn usque adeo me delectassent litterae tuae, si omnia mea laudibus extulissent, sicut delectarunt hoc ipso, quod quaedam refellere im-

improbareque nitebantur. Hoc ego amici esse puto, illud adulatoris. Sed patere quaeso, & tu aequo animo vicissim a me redargui. Nam quod ais, ne his rescribam, perquam iniquum foret. An tu me ictu tuo percellas & undique oppugnes, ego neque repercutiam te, neque resistam? Fieri hoc natura ipsa non sinit, quae etiam apibus mellis dulcorisque fa-ctricibus aculeos tradidit ad vim, si qua sibi inferatur, repulsandam. Contentio tamen nostra non pertinax est, neque odiosa, sed modesta, & liberalis, propositumque in eo sit non superandi studium, sed indagatio veritatis. Denique, ut inquit Cicero, controversemur inter nos, non autem certemus. Libellos quosdam e meis Ferrariam delatos legisse te nuper significas, de quibus ad me scribens cum praecipuis multa laudibus attollas, unum tamen acriter detestaris, quod divitias in bonis numerari a Philosophis dixerim. Hoc a me scriptum usque adeo tu indigne fers, ut contra vociferando, ac reclamando pene raucescas. Ego autem duorum in hoc tuo crimine reddendam michi rationem puto: primum loci, num alienum fuerit, an ineptum, deinde ipsius rei, num falsum sit, & erratum quod ita scripserim. Constabit enim, si locus dicto congruens fuerit & sententia vera, tuam hanc reprehensionem, ut leviter dicam, esse non rectam. Primum igitur de loco videamus. Librum Aristotelis, qui inscribitur οἰκονομικά in latinum verteram e graeco. Id munus amico familiarique meo homini docto & suavi destinaveram. Disciplina ejus libri est fere circa patrimonium augendum, ipseque idem inquit alio loco oeconomicae finem esse divitias. Ego igitur hunc librum mittens ad amicum, quid praefari in proëmio debui? An videlicet esse in eo libro praecepta Aristotelis ad divitias comparandas, ipsas vero divitias perni-

niciosas esse atque malas, fugiendas denique, & abominandas? Et quis legeret, si haec dixissem? Quis munus meum non contemneret? Quis Aristotelem ipsum non carperet, quod de malis rebus acquirendis disciplinam tradidisset? Atqui si ulla est dicendi ratio, atque ars, proëmio virtutem hanc tribuit, ut benivolum, ut docilem, ut attentum faciat auditorem. Quam ergo benivolentiam sibi comparabit, qui disciplinam malarum rerum de graeco in latinum vertisse amici gratia dicet? Quam docilitatem & attentionem, qui nocitura fugiendaque se scripturum promittet? Vides ergo, Thoma, quid ratio artificiumque dicendi exigat, ea videlicet ut dicerem, quae dixi, & quod tu quidem reprehendis, artificiosum est, quod autem laudas, contra artem. Locus igitur vel maxime hoc exigebat, cujus tu etiam legens rationem habere debuisti. Est enim prudentis lectoris attendere, quo quidque loco dicatur, ac pro eo accipere, pro quo datur. Venio nunc ad ipsam rem. Divitias in bonis numerari a Philosophis *dixi:* Utrum tu hoc ita reprehendis, quasi non dicant Philosophi, an ita quasi non verum dicant? Si eos dicere negas, sed a me falso confingi, audi quaeso Aristotelem cum omni Peripateticorum multitudine asserentem, tria esse bonorum genera externa, corporis, & animi. Sin hos falsos esse dicis, non tu jam me, sed illos reprehendis. Qua in re vide etiam atque etiam, quid agas teque circumspice, & expende, nunquid tuum sit adversus Aristotelis, Teophrasti, Cratippi & aliorum pene innumerabilium Philosophorum auctor tatem, quasi tu unus plus sapias, refragari. Quid Plato ipse philosophorum, ut ita dixerim, Deus, quid inquit in Gorgia? *Nichil est,* inquit, *ex omnibus quod non aut bonum sit, aut malum, aut medium. Bona sunt sapientia, valitudo divitiae.*

vitiae. Mala vero horum contraria: neque bona, neque mala, ceu sedere, currere, navigare. Potes igitur me reprehendere quasi non verum scripserim, cum hos philosophos principes tam aperte divitias numerare in bonis cernas? Aut turpe est me id scripsisse, quod Plato ipse, & Aristoteles tradidere? Enim vero Epicurus contra sentit. O rem pergravem & non ferendam! An non pudet, adversus hos duos philosophiae soles, Platonem dico, & Aristotelem Epicuri tenebras inducere? Qui si divitias in bonis non putat, ob id movetur, credo, quia prodigos, & asotos, id est pro obscoenis voluptatibus patrimonia devorantes sua beatos censet. Hunc tu hominem sectaris quaeso? placere tibi, vel sano alicui potest, qui in re tam turpi felicitatem posuerit? Quid insanius, quam a Platone, & Aristotele discedentem Epicuro inhaerere, damnato jampridem homini, atque, ut ita dixerim, in philosophia haeretico? Sed quaero ex te, qui longam juri operam laudabilemque dedisti: num & jurisconsultos tantae auctoritatis homines tam prudentes, tam doctos delirare censes? Atqui hos quoque in Philosophia eruditos praedicatis, & ipsi non abnuunt, quorum est illud, veram, nisi fallor, philosophiam, non simulatam affectari. Hi ergo jurisconsulti verae, ac non simulatae philosophiae sectatores, quomodo nuncupant haec externa? utrum media, an mala, vel bona? pleni sunt eorum libri, in quibus bona appellant. Tu ipse quaeso qui de hoc tam pertinaciter contendis, si judex pro tribunali sedens in possessionem bonorum mitti jubes, utrum de virtutibus sentis, an de fundo, & pecuniis? Quae igitur pervicacia est, aliter loqui velle, quam homines loquantur? Contemnere Philosophos? Platonem, & Aristotelem despicere? Jurisconsultorum auctoritatem pro nihilo putare? illos pa-

parum vidisse, nos omnia cernere arbitrari? Bona, inquis, a beando dicuntur. Externa vero facere beatum non possunt. Nec sunt igitur bona. Haec tua ratio, ut video, peracuta tibi videtur. Est autem obtusa, vel potius fallax. Primum enim, quod tu tanquam concessum tibi assumis, bona a beando dici, M. Tullius scribit se, unde dicantur bona, ignorare. Itaque vide, ne ut in philosophia plus tibi pene arrogas quam Aristoteli concedis: sic in linguae latinae ratione plus te scire, quam M. Tullium contendas. Quod nullo modo tibi permittemus. Quid enim commune habet bonum, & beatum praeter b litteram? Itaque quid magis a Beando, quam a bibendo dici bona interpretari potes? Hoc autem perempto & totam rationem tuam perimi vides. Quin etiam si quis tibi dederit a beando dici bona, efficere tamen eo concessu nil potes. Haec enim externa ad beatitudinem pertinere dicimus; atque inde, si tu ita vis, nuncupari bona, quia sine illis beatus esse nemo potest. Nam nec animi quidem bona, si sola sint, beatum facere possunt, nisi forte hunc in Phalaridis tauro constitutum dicas beatum fore, quomodo tu, ut opinor, beatus esse nolles. Ego certe ut affirmare de me valeo, hanc beatitudinem calamitosam longe aspernor, ac satis esse puto, non miserum esse concedamus, beatum vero dicere in carcere, in tormentis, in egestate, in suppliciis, in trucidatione filiorum vereor, ne vox illa sit non hominis quidem, sed cautis potius cujusdam, & scopuli humanitatem penitus omnem a se rejicientis. Virtus enim bonum quidem virum efficere potest, ad beatum vero faciendum ipsa per se non est satis. Aggregatio enim bonorum existat oportet. Atque ut anima, quam corpus longe praestantior est, corpore tamen indiget, ut sit homo; sic & animi bona

lon-

longe praestantiora esse fateor, indigere tamen corporis externisque bonis, ut sit felix. Recte quidem Aristoteles non solum in illa felicitate, quae est per fortitudinem & justiciam ceterasque negociosas virtutes, verum etiam in illa contemplativa & ociosa putat, externis opus esse bonis. Sic enim inquit, cum de contemplativo loquitur: *indigebit quoque externa prosperitate, cum homo sit. Non enim natura ipsa per se sufficiens est ad contemplandum, sed oportet sanum esse corpus, & alimenta, ceterumque famulatum adesse. Neque tamen si absque bonis externis beatum esse non datur, ideo putandum est, multis ac magnis illum indigere. Sed possunt etiam, qui non mari terraeque dominantur, felices esse.* Haec de contemplativa Aristoteles censet. Civilem autem illam, & negociosam vitam longe pluribus indigere fatetur ad felicitatem. *Nam liberali*, inquit, *opus est pecunia ad liberalitatem exercendam, & justo ad remunerationes, fortique opus erit potentia, si perfecturus sit aliquid secundum virtutem. Denique ad res agendas* inquit, *multis est opus, & quanto majores & praeclariores sint, tanto magis.* Vide igitur in hac civili vita, in qua versamur, multum nos externis indigere bonis, & quanto majora, & praeclariora virtutis opera, tanto magis. Contemplativa autem paucioribus indiget, sed tamen indiget corporis externisque bonis, cum sine his beata esse non possit. Juvat nunc repetere verba mea, quae tu tam acriter carpenda putasti. Sic enim scripsi: *sunt vero utiles divitiae, cum & ornamento sint possidentibus, & ad virtutem exercendam suppeditent facultatem. Prosunt etiam natis, qui facilius per illas ad honores, dignitatesque sublevantur. Nam quorum virtutibus obstat res angusta domi, haud facile emergunt, ut poetae nostri dictat sententia. Quare cum nostri,*

tum

tum multo magis natorum caritate illarum amplificationi, quoad honeste possimus, studendum est, quoniam in bonis a philosophis numerantur & ad felicitatem pertinere creduntur. In his quaeso verbis quid tandem est, quod Aristotelis menti non plane respondeat? Nonne in bonis numerat divitias? Nonne ad felicitatem pertinere dicit? Nonne esse utiles ad virtutem exercendam? Nam de ornamento quidem non bene accipis. Non enim de spintere, aut fimbria, neque de histrionis auro, sed de magnificentia diximus. Haec enim virtus ad ornatum pertinet, adeoque divitias exigit, ut pauper magnificus esse non possit. Miror igitur, quid in me reprehendas, cum & ob id utiles esse scripserim, quia ad virtutem exercendam facultatem praeberent, & prodesse natis eadem ratione, ne illorum virtutibus rei familiaris obstaret angustia. Certe ego non video, cur me poenitere debeat ita scripsisse, praesertim cum eo loco scripserim, qui vel maxime illarum commendationem flagitabat. Etenim si propter se divitias expetendas esse, & undequaque arripiendas dicerem, merito carperer. Cum vero propter virtutem ac ejus exercendae gratia tanquam instrumentum quoddam, & addiderim, quoad honeste fieri posset, ne studium ejus rei nos a recta ratione deflecteret, quid est quod michi a quoquam valeat imputari? Ad parvos, inquis, & angustos faciendum animos haec tua commendatio pertinet. Vide, ne tu potius hoc agas. Si enim haec sunt virtutis instrumenta, & celsae praeclaraeque res illa desiderant, cum sine his fieri non possint; quis parvos, & angustos facit animos? Ego ne qui virtutis exercendae causa paranda ista dico? an tu, qui omnino paranda ista negas? Denique utrî nostrum praestantius animi propositum est? michi ne, qui celsa aggredi cogito, ac jam instru-

menta

menta ad hoc paro? an tibi, qui nichil grande, celsumque mediraris? nunquam fatebor, inquis, divitias numerari in bonis. At Plato, & Aristoteles fatentur, quorum ego auctoritatem longissime antepono tuae. At vero non nocerent, si bona essent. Quid tu rationem, & hanc naturalem intelligentiae vim homini datam, qua praestamus brutis? nonne in bonis reponendam censes? Atqui reperiuntur, qui perverse illa utantur, nec id obsistit tamen, quin sit bonum. At enim bonarum, inquis, rerum nullus honestus comparandi modus esse videtur. Tu quoad honeste adjunxisti, quae profecto res ostendit, non esse divitias in bonis reponendas. Equidem sic existimo & regnum, & potentiam reipublicae esse in bonis, tamen horum nullum fraude nobis comparandum esse, sed quantum honestas & jura sinunt, procurandum. Injusta enim acquisitio id ipsum corrumpit, quod acquirit. Praeterea cum utilia omnia instrumenti instar habeant, instrumentorum autem ea sit natura, ut nimis parva, & nimis magna corrumpant usum suum: siquidem navis & unius tantum cubiti inutilis est, & duorum stadiorum inutilis: patet nulla in re tantum desiderari modum, quantum in rebus utilibus. Divitias autem utiles esse diximus ad virtutem, in quibus, ut in navi, exiguitas impedit, superfluitas nichil prodest. Itaque & justa, & modesta comparatio in illis esse debet, omnisque illarum amplificatio ad virtutem respicere. Vale & me ama, tibique persuade, tuas has michi litteras fuisse non ingratas. Iterum Vale.

III.[1]

LEONARDUS FRANCISCO PILZOPASSO S.

Se purgat, quod amici Epiſtolis non reſponderit.

PLures epiſtolas a te ſuſcepi, & quidem variis de rebus ad me ſcriptas, quibus ſi reſponderi per me cupis, iterum a te reſcribendum eſt. Nam illae quidem omnes in oblivionem jam abierunt. Ridebis opinor haec legens, & ſiccine me tractas, inquies, ut ne reſponſione quidem dignum putes? Incredibile eſt, quod audies mi Franciſce, ſed tamen verum. Contraria, tibi ne reſponderem, effecerunt; cum aut plus nimio ocioſus eſſem, aut plus nimio negocioſus. Principio enim, dum eſſem Aretii, ſummo fretus ocio & in hoc uno maxime occupatus, ut nil omnino agerem, tibi reſcribere differebam. Nec erat eo tempore quicquam, cui magis adverſarer, quam calamo & litteris. Mutavit poſthac fortuna vices, & ex illa profundiſſima quiete, & voluptuoſa vivendi incuria ad hos aeſtus, procellaſque occupationum traduxit. Utque prius tranquillitas nimia, ita nunc fluctuatio nimia me ſubmergit. Nullum ergo tempus, inquies, litteris meis aptum eſt? Immo omne tempus tuis, ſed meis extremae omnes conditiones temporum adverſantur. Optanda igitur mediocritas eſt, ſine qua tibi reſpondere non poſſum. Hanc ego ſi nanciſcar, reſponſum litteris expecta; ſin vero iſta non aderit, fruſtra, michi crede, reſponſa mea flagitabis. Quod epiſtolas meas tranſcri-

(1) Haec deeſt in edit. Fabriciana. In MSs. Pizolpaſſo etiam reperitur, vel Piccolpaſſo.

scripseris omnes, & alias habere quaeras, id ipsum honesta causa est, cur tibi nil scribam. Nam si quae omnibus scribo tu habes unus, satis quidem superque est, quod aliena possideas, tuis vero nequaquam indiges. Quod autem gratularis, volo aperte scias, me ultra quam incredibile sit commoveri desiderio Curiae & familiaritatum nostrarum. Nec ego hoc a principio non videbam, sed majora erant incommoda, si repudiassem. Finito autem anno libera, & integra michi erit deliberatio. Quare Vale Florentiae VI. Kal. Februarias.

IV.

LEONARDUS POGGIO S.

Quare inimicitiae cum amico susceptae fuerint, reddit causam.

Retulit michi vir optimus Nicolas noster, se abs te litteras accepisse scriptas Londonis II. Non. Octobris, in quibus amice tu quidem, & affecte conquerebare de inimicitiis adversum me susceptis ab eo, qui si quid grati inesset, amicissimus omnium esse debebat. Ego vero angi te hisce de rebus, graviterque ista ferre plusquam certissimum scio. Novi enim humanitatem & benivolentiam tuam. Atque ut quisque ipse vir bonus est, ita malefactis alterius conturbatur, & angitur. Quae mediusfidius ipse mecum reputans non alia profecto de causa tibi scribere supersedebam, quam ne te, ut putabam, harum stulticiarum ignarum superflua conficerem oneraremque molestia. Totam denique hujuscemodi cognitionem mali tuum sub adventum integram re-

servare constitueram. Sed quoniam ille est lingua procaci, & odiosa, nec in extremo quidem mundi angulo quietum esse te ab iis molestiis passus est, ac maligna quaedam, ut sentio, diversaque a vero suggessit; meum, ut videtur, reliquum fuerit non subticere, ne aut refugere me examen tuum, aut contemnere judicium putes. Primum igitur tu michi vel optimus esse testis potes, qualis ego in Nicolaum per superiora fuerim tempora. Tua quidem familiaritas utrique nostrum conjuncta latere te nichil permisit. Non ambigo, illud pro certo tecum ipso statuere, potius fuisse in me nimium & superfluum quiddam in tribuendo illi, quam aliquid defuisse officio. Sed ego benignitate quadam naturae inductus propensiorem me praestiti, non quia hominis demerita non nossem, sed quia illum, qui semel in familiaritatem se dederat meam, laudandum michi honestandumque putaram, nec tantum, quid ille mereretur, intuebar, quantum quid a me decens esset conferri. Omnino, Poggi, hujuscemodi erroris caput est, quod praepostere agimus in vita cum ceteris multis in rebus, tum in amiciciis conjungendis. Res enim magna, ut ita dixerim, lentitudine experimentoque indiget, priusquam sal illud, de quo dicitur, esset verissime comedendum. Sed nos ante recipimus in amiciciam homines, quam an digni sit amicitia discernamus. Hic autem error & a multis alias, & nunc a me ipso imprudenter facti pergrandes quidem, attamen exigit poenas. Quid ego nunc agam quaeso? aut quid consilii sumam? Divortamne ab eo, in quo est perversitas ista deprehensa? At multi veteris conjunctionis nostrae memores, ignari stulticiae novae, quae in hoc portento nunc erupit, inconstantiam culpabunt meam. Respondebo maledictis ejus, qui me tam acerbe, & intolerabiliter

pro

provocat? Multi levem dicent, quod quem prius laudarim, nunc tandem carpam. Tacebo, ac maledicere illum sinam? At mortis instar est acerbissimae ab eo male audire, quem ipse supra dignitatem suam pluribus locis ornarim. His igitur in malis quid potissimum eligam, non satis constituere mecum ipse valeo. Tolerantiam tamen adhuc contra illius rabiem adhibui, sed quamdiu id facere possim, & haec indigna perpeti incertum est. At unde ista procella? dices. Unde turbatio? unde irarum aestus? quod principium? quae causa? qui fomes? O Dii immortales! pudet me levitatem hominis referre. Sed tamen aperiendum est, praesertim cum ad te scribam, quem celatum iri nichil oportet. Si causam quaeris, Poggi, & initium hujusce mali, respondebo una cum Ennio: *Utinam ne in nemore Pelio securibus caesa cecidisset in terram abiegna trabes*, & reliqua, quae sequuntur. Una siquidem muliercula, Poggi, una inquam muliercula, & ea ipsa turpissima causa est illius amentiae, de qua dicam breviter. Tu autem cum legeris hanc epistolam, lacerato, ut etiam illius famae quamvis inimicissimi consulamus. Ancilla est apud illum & re, & nomine Malvenuta, licet ut quondam Samnites pro Malevento, Beneventum dixere, sic iste pro Malvenuta Benevenutam solebat appellare. Haec dudum Florentiae cum applicuisset, hospitem quaeritabat uxore carentem. Fortuna hanc veluti calamitatem quandam in hunc nostrum impegit, non tamen ab initio. Nam primo suscepit illam Joannes hujus frater junior natu, & quod illa optabat, sine uxore domum adduxit, in cubiculo, atque in famulatu obsceno complures habuit menses. Habitabat hic una cum Nicolao iisdem in aedibus ita modo, ut cenaculis, & tricliniis habitacula sequestrarentur. Mulier per hoc tempus dis-

cursari ad Nicolaum, & blandiri familiarius coepit. Quid multa? Cum fratre cubantem mulierculam hic noster severus Cato nil veritus fraterna jura in suum complexum, libidinemque seduxit. Haec tamen ab initio clanculum erant. Murmura modo, & prospectus occulti, & angulorum latebrae quaeritabantur. Sed postquam blanda consuetudo invaluit, & amor flagitio confirmatus in diem exarsit, ut jam ejus flamma comprimi nequiret, non per insidias, neque clanculum, sed palam & aperte mulierem de fratris cubiculo in suum thalamum abducit. Ex quo tantae confestim lites sunt consecutae, ut per singulos ferme dies inter se fratres ipsi digladiarentur, vicinia autem omnis non audiret modo hujusmodi nefas, verum etiam videret. Hic ego quid dicam Poggi? aut potius quid non dicam? scio enim me non in judicio causam agere, ut judicis animus michi sit inflammandus. Sed tamen flagitium tantum, tam atrox, tam detestabile, qui sine increpatione praeterit, honestatis gustum non habere videtur. Et quid est aliud contemnere divina simul atque humana jura, quam miscere concubitus pecudum ritu, omnem sanguinis necessitudinem, omnem propinquitatis nexum detestandae libidini posthabere? Quis infima ex plebe homo tam sine litteris, sine more, sine honestate, qui incestum adversus fratrem non abhorreat? Quem iste, ut videri vult, litterarum studiosus non veritus est commisisse. Quis tam impudens ex infimo ergastulo, qui si id admisisset facinus, non occultum esse vellet? Quod iste palam semper tanquam sui oblitus prae se tulit: & miramur, si ea opinio est vulgi, ut litterarum studio dediti nec Deum putent, nec vereantur; cum hujusmodi monstra hominum falsa opinione pro litteratis habiti ista contra Deum & homines committere

tere

tere non formident? Ab hoc tempore, Poggi, noster hic amicus vir nullus fuit; remansit enim apud eum adultera, quam juniori fratri per nefas abstulerat, in cujus potestate usque adeo fuit, ut totus ab illa penderet, amicos & inimicos illius nutu metiretur. Denique ut Circe illa hospites suos diversas in figuras convertisse dicitur, & alios leones, alios sues fecisse; sic ista venefica in hospitium, atque adeo in thorum Nicolai recepta filtris, & veneficiis hominem exuit, ac belluinam feritatem, amentiamque induit. Nunquam enim post cessavit cum fratribus, cum amicis, cum familiaribus lites continue exercere. Quinque illi sunt fratres, neminem horum alloquitur, de singulis ea praedicat, quae tu de sicariis & lenonibus erubesceres. Laurentium modo habebat inter praecipuos amicos; illum sic alienavit, ut capitales nunc inter eos inimicitiae agitentur. Ego unus supereram: me quoque ferino dente lacerandum putavit. Coepit enim jampridem sic adversari michi, ut palam prae se ferret pati non posse, celatim carpere, detrahere, insectari denique, & succensere, contentiones avidius captare, lites ultro exposcere, ut manifeste appareret non esse illum, qui prius fuerat, sed in truculentam aliquam bestiam esse conversum. Haec ego etsi partim cernebam praesens, partim a studiosis mei per absentiam dicta suggerebantur; tamen conniventibus oculis transeunda potius statueram; sed non finit feritas hominis. Ecce enim rursus in furorem vertitur, ac totam funditus amicitiam tollit ex levissima causa, quam vide quaeso, & cognosce hominis gravitatem. Muliercula, de qua supra dixi, insolens ac plane victrix, cum ex fratribus corrivales fecisset, uxorem alterius fratris, cui Jacobo nomen est, honestam sane ac pudicam mulierem, assiduis contumeliis agitare coepit. Cum

haec aliquandiu fecisset, ad alios fratres rem Jacobus defert. Illi jampridem ardentes odio, & tunc flagitii indignitate commoti non ferendam hujus petulantiam censuerunt. Itaque facto impetu in Nicolai tricliniun spectante illo meretriculam capiunt, tractam denique in viam, ac dorso impositam, natesque nudatam loris usque ceciderunt plaudentibus vicinis, & tota multitudine comprobante. Ob hanc igitur moesticiam non aliter se multos dies hic noster domi continuit, quam si parens illi trucidatus fuisset. Venientibus ad eum consolationis causa lacrymans respondet, ob leviora jam facinora magnas urbes fuisse subversas: se quidem non prius desiturum, quam sceleratorum fratrum sanguine proprias manus cruentasset. Haec & hujusmodi ab illo dicta, partim ridicula, partim jactabunda & non ferendae stulticiae plena ab iisdem consolatoribus per risum efferebantur, perdidisse operam in libris coemundis venundandisque, & insanire hominem omnes clamitabant. Ego vero haec audiens angebar animo, & ardebat mens objurgare hominem pro hujusmodi ineptiis. Naturam tamen ejus, & sauciam amore animum veritus me continebam. Sic enim res se habere videbatur, ut nec ego alloquens sine gravi castigatione, & increpatione stulticiae levitatisque suae praeteriturus essem. Nec ipsum putabam, quantum assequi conjectura quibam, ob aegritudinem, & luctum reprehensionem meam esse laturum. Inter haec venit ad me quidam, dicitque vehementer admirari Nicolaum, quod eum in tanto luctu suo non adiissem. Quid, inquam, miretur; aut quis hic tandem luctus est? An quod fratres coquam ejus, sic enim malui quam concubinam, quam veneficam, quam adulteram, quam meretriculam dicere, castigarunt? ob eam rem consolatum me venisse

nisse ad illum oportuit? Quam praestaret, inquam has ineptias omittere? Haec ego ingenue porro, & amice. At ille ubi haec audivit, confestim veluti furiis agitatus incredibili verborum obscoenitate in me invectus est. Postea nichil nisi inimice, nichil nisi scelestе, nichil nisi capitaliter de me cogitavit. Habes initium & causam turbae, o Poggi, quod ita leve tibi videri necesse est, nichil ut aestimari levius possit. Quid enim, quaeso, in illis verbis meis dignum vel mediocri indignatione fuit? Indignationem dixi? immo quid, quod non laudem & gratiam, si modo iste compos mentis, si homo denique, & non bellua esset, meretur? Ubi est illa amicitiae lex a sapientibus perscripta? Monendos esse amicos non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulet. Atqui esse poterat ulla res, quae magis severam amici monitionem posceret, quam hominem, qui litteratus studiosusque per superiorem aetatem haberi voluerit, eum nunc amore meretriculae sic deperire, ut lacrymas & lamentationes instar pueri dimitteret, ut sine illa se se vivere posse negaret, ut fabula vulgi ob illius infamiam factus esset? Potius michi recto judicio quis succenseat, quod pro re gravi, & atroci leviter nimis, molliterque admonui. Sed quid agas cum vesano, cum amente, cum furioso, cum eo denique, quem jampridem amor, & veneficia obcoecassent, cui rationem ademissent, cui nichil reliquissent homini simile, praeter corporis figuram? Qui cum levia ab amico dicta non tulerit, quomodo gravia pertulisset? Ego igitur acrimonia abstinens mitia tantum medicamenta adversus illius morbum intentavi, quae nec ipsa quidem aeger animus profligatusque admisit. Sed qui pro levibus adeo furibunde in me surrexit, quid fecisset pro acribus? Nonne se praecipitasset? Nonne in parietem caput in-

incussisset? Et me provocat maledictis homo stolidus & insanus. Mitto quam indigne, quam immerito, quam nulla ex causa contra amicum, contra familiarem, contra illum, qui pluribus eum locis litterarum suarum honoravit. Mitto inquam ista, atque praetereo. Sed an usque adeo demens factus est, ut nec se se, nec imbecillitatem suam recognoscat? Qui nunquam verba duo latina ob inscitiam linguae, stuporemque cordis, ac enervatam adulteriis mentem conjungere potuerit, is me provocat maledictis? Nescio an in hoc uno plus insania ejus conspicua fiat, quam in ceteris omnibus erratis. Quem ego, nisi me respectus superioris amicitiae tenuisset, jam transfixum verissimis maledictorum jaculis tradidissem infamiae hominum sempiternae, praesertim cum tanta sit in eo ubertas materiae, nulli ut deesse possit oratio. Ut autem ad te, Poggi, revertar habes rem totam, ut verissime gesta est. De qua si recte judicare volueris, multa sunt in illo quidem, quae non condemnes modo, verum etiam detesteris. In me autem quid reprehendere quisquam possit, non equidem intelligo, nisi forte patientiam nimiam. Sed ego certa ratione id feci: vel quia contemno hominem praesertim insanum & furentem, vel quia rationem habere malui superioris amicitiae, quam justi doloris mei. Id vero difficilius michi fuit, quod ille nichil pensi habet, nullo respectu superioris conjunctionis retinetur, sed in maledictis continue perseverat; ut verear jam, ne lenitudo ista mea ad ignaviam & socordiam michi imputetur. Tu es primus, ad quem de his rebus scripserim, & hoc excitatus litteris tuis. Nam ipse tacere constitueram. Quod si tandem rejecta patientia gladium orationis in hunc provocatorem strinxero; faciam ut omnes intelligant, quantum sibi lucrum

crum fuerat in istam dimicationem non descendisse. Vale.

V.

LEONARDUS PAPAE[1] S.

Secretarios honore, & dignitate excellentiores Advocatis.

NOvam litem, Beatissime Pater, Secretariis Beatitudinis tuae per Advocatos Concistoriales moveri audio in progressione, pompaque solemni de cohaerentia Pontificis contendentes. Ego igitur tanquam clamore excitus accurro, ac locum defendere meum pro virili propero, rationes colligens, quae pro justicia nostra contra illorum injuriam facere videntur. Primum igitur incipiam ab eo, quod observatum conspexi. Memini me quidem tribus coronationibus Romanorum Pontificum interfuisse, Gregorii, Alexandri, Joannis. In quibus omnibus Advocati nobis praeire jussi sunt, quoniam in remanendo honos habebatur. Idem quoque ceteris progressionibus servatum vidi. Quamobrem magnopere quidem admiror, cum mos, & consuetudo hactenus ita fuerit, quid nunc novi impellat ad illa tractanda. Neque enim illud ut credam adduci possum, eos scilicet moveri, quod Secretariorum, qui nunc sunt, personas contemnant. Habet enim, quod sine arrogantia dictum velim, officium hoc excellentissimos quosdam viros, & scientia, & doctrina, & eloquentia praestantes; de quibus etiam gloriari Sedes Romana possit, qui non recusa-

(1) Martino V. extat in Codd. MSs.

ſabunt, ſi contemni ſe ſentiant, in comparationem illorum devenire. Enimvero perſonas Secretariorum nequaquam contemnunt, ſed officii dignitate ſe praeferendos autumant & de hoc uno controverſia eſt, non de ſcientia, nec de virtute hominum, ſed de officiorum praeſtantia, atque dignitate. Si ergo officiorum ipſorum inter ſe comparatio quaedam, & quaſi contentio facienda eſt, & utrum eorum ſit dignius, quod Pontifici adhaereat, quaerendum; idque unum in judicium venit; redeo ad id, quod primo loco poſui, uſu & conſuetudine jampridem receptum eſſe, ut Secretarii praeferantur, quod nec ſine cauſa probabili factum exiſtimare debemus. Deinde ſi omiſſa conſuetudine officia per ſe conſiderare velimus, reperiemus Secretarios de ſui natura Pontifici adhaerere, Advocatos autem longe disjunctos eſſe. Neque enim latere nos debet, quia Secretarii, Pontificis ſunt Secretarii, Advocati autem non Pontificis ſunt, ſed litigantium Advocati. Atqui id permagnum quiddam eſt, & quaſi totum in praeſenti judicio. Nam cujus quiſque eſt, ei natura cohaereat neceſse eſt. Apparet autem Secretarios Pontificis eſse, Advocatos vero litigantium, ex quo fit, ut alter ſuus Pontifici revera ſit, alter extraneus, & impertinens. Veritas ergo ipſa ſubtiliter intuenti oſtendit, Secretarios e ſinu quodammodo Pontificis eſse, illique velut membrum inhaerere; Advocatos vero longe disjunctos eſse. Ego igitur in pompa progreſsuque ſolemni eum, cujus Secretarius ſum, Pontificem ſequor, eique, ut ratio dictat, inhaereo; tu vero eos, quorum Advocatus, litigantes ſequare, illisque inhaereas; qui cum nullum omnino locum in ſolemni progreſſu obtineant, nec tu forſan, ſi recte judicetur, obtinere debes, & tecum bene agi putare, ſi non omnino repellaris. Medium autem interponere te

inter

inter Pontificem & Secretarios suos, nec rationabile sane, nec tolerabile est. Vis igitur & natura utriusque officii alterum inhaerere, alterum disjunctum esse ostendit. Quid autem nomina? nonne hoc idem probant? Et quis non videt Secretarii nomen penetralem quandam cognitionem rerum Pontificis dicere, maximeque conjunctam, & cohaerentem designare personam? Advocati autem nomen longinquum hominem, alienumque significat. Cum enim tres in judicio personae necessario versentur Judex, actor, & reus, horum nullus est Advocatus, sed est alienus quidam ab actore vel reo mercede conductus ad litigandum, qui, quod ab alio, cujus lis erat vocatur, Advocatus appellatus est. Quae igitur huic homini conjunctio sit cum Pontifice, qui ad rem alienam, & privatam non a Pontifice adhibetur, sed a litigatore conducitur, cujus etiam munus hoc postulat, ut longinquo clamore Pontificem alloquatur, secreto autem affari suspiciosum sit. Quid ergo est aliud confundere ordines, perturbare officiorum munera, dejicere a capite membra, quam postulare, ut Secretarii procul a Pontifice submoveantur, Advocati autem in propinquo consistant, ut quibus secreto loqui expediat in longinquo sint, quibus clamore uti conveniat, hi lateri cohaereant. At dignitate praestabilius est Advocatorum officium. Immo nec Secretariorum dignitati par. Sic enim cogita: res curiae, ut michi videtur, bifariam dividuntur, in litigiosas scilicet, & quietas. Cumque de sui natura quietae sint res litigiosis praeferendae, litigamus enim ut quietem nanciscamur, Advocatorum officium in his rebus versatur, quae molestias, & lites, & odia continent: ex his enim pabulum quaerit, & quasi alitur Advocatorum opera. Secretariorum vero in pacatis tran-

tranquillisque rebus magis versatur, quae procul dubio litigiosis sunt digniores. Est igitur ratione subjecti Secretariorum officium dignius, ac praestabilius. Praeterea lites omnes odibiles sunt, partibus tamen nonnunquam necessariae, Advocatis vero nunquam. Ex quo fit, ut sponte lites & odia sectari videantur, quod nec honestum sane, nec gloriosum est. Quod si decretales epistolas, & rescripta Pontificum Advocati allegent, & quod in illis cognoscendis interpretandisque versentur, ideo se praeferendos putent; meminerint quaeso decretales illas atque rescripta Secretariorum dictata esse, atque composita. Quae enim tu, Advocate, legis, quae interpretaris, ex quibus argumenta detorques, quorum sententiam admiraris ea, inquam, verba omnia Secretariorum sunt. De nostris vos manibus fundamenta ipsa officii vestri percepistis, nos vero nichil a vobis percepimus. Utrum igitur officium dignitate praecellit? Id ne, quod tradit alteri, atque praescribit? An id quod suscipit, atque observat? Insuper id officium dignius est existimandum, quod cum majori congruit dignitate. Secretariatus autem officium cum Episcopali dignitate concurrit, nec eam dedecere videtur. Fuerunt jampridem profecto & alii permulti, sed nostra aetate Franciscus Arretinus Episcopus, & Bartholomaeus Cremonensis, & postquam Episcopi facti sunt, in officio Secretariatus perseverarunt. Advocationis autem officium Episcopalis dignitas despicit, atque abhorret, nec decere Episcopum ullo modo videtur. An igitur dubium est, quin Secretariatus officium & honestius, & dignius sit existimandum, cum Episcopalis excellentia, quae maxima est, hoc non dedignetur, *illud* despiciat? Diximus de praestantia dignitatis, qua procul dubio praecellere Secretarios docuimus: *nunc*

autem

autem de commoditate pauca dicenda sunt. Equidem sic existimo, multa interdum ita constituta fuisse, ut ad commoditatem haberetur respectus. Neque enim possunt res agendae praesertim ingentes, & multae, nisi certis commoditatibus expediri. Est aliquis, qui secreta Pontificis excipere debeat? hic propinquus adsit, vultum ejus intueatur, nec verba modo, sed nutum etiam praestoletur. Est aliquis, qui pro litigatoribus proponere, ac loqui ad Pontificem palam debeat? hic inter litigatores suos consistat, ab his rem crebro audiat, atque doceatur, neque Pontifici haereat, cum ejus cohaerentia inutilis sit, & alios impediat, qui utiles esse possunt. Haec dispositio, atque hic ordo in rebus constituendis semper valuit plurimum, & valere debet. Videmus Notarios Papae antiqua consuetudine hoc uno respectu Episcopis esse praelatos: non enim dignitate, ut antecedant Episcopos receptum est, sed commoditate, quod hi sacros Pontificis affatus excipere, illiusque jussa mandare litteris solerent, unde Notarios appellatos constat. Si ergo horum officium, ut videmus, obsolevit, nichilque praeter nomen inane illis relictum est; Secretarii autem illorum vicem subjerunt, eaque apud Pontificem gerunt, quae ab illis gerebantur; eadem patientia ferant Advocati, Secretarios sibi honore anteferri, qua Episcopi Notarios dudum antelatos sibi pertulere, praesertim cum Episcopalis Ordo dignitate longe superet Notarios, Advocati autem dignitate non superent Secretarios, immo nec pares illis sint, & commoditatis ratione, ut probavimus, superentur

VI.

VI. (1)

LEONARDUS PHILELPHO S.

Significat, quid in negotio amici fecerit, Dionisque versionem commendat.

IN bonam quaeso partem accipias, si non ita celeriter, ut desiderium erat tuum, ad te litteras dedi. Michi enim tarditatis, vel morae potius scribendi ad te causa fuit duplex. Una, cum ipse pro re tua non secus ac pro mea egissem, cupiebam aliquid certi posse rescribere. Deinde quod tuo pulcherrimo, & ornatissimo muneri non inanes epistolas, sed aliquid eruditius atque gravius rependere cupiebam, ut essent haec initia, ac veluti fundamenta nostrae familiaritatis. Et de re tua quidem ea in dies expectatio fuit, ut neque spes michi certa, neque desperatio afferretur. Aggressum vero me gravius aliquid ad te scribere permagnae, & incredibiles occupationes meae quasi currentem in medio spacio retardarunt. Haec igitur causa differendi fuit, quae tibi quoniam longior videtur, ut epistola tua graece scripta deprehendi, obsequor plane desiderio tuo, ne committam, ut dum esse diligentior propero, negligentior videri possim. De negocio igitur tuo, quid scribam nescio. Civitas enim longis belli sumptibus fatigata, ac pene exhausta difficiles nobis aures praebet. Eruditi vero homines a me commonefacti cupiunt quidem, ac magnopere affectant, sed non ita multi sunt, ut perfici adhuc potuerit. Expectamus novos magistratus, in qua una re non sine

causa

(1) Haec adhuc inedita fuit.

causa spem habere posse videbar. Haec publice: privatim vero e juventute complures, sed hanc partem Ambrosius curavit, ab eoque suscepisti credo, quantum aut quale existimari debeat. Traductio vero Dionis a te facta vehementer michi placet. Est enim illustris, & erudita, & graeco respondens. Talis denique, ut quamquam saepe alias graece legerim, tamen latinum legisse michi fuerit perjocundum. De Dione autem ipso quid sentiam, alias scribam ad te. Vale.

VII.(1)

LEONARDUS MARCO DANDULO S.

Amici prudentiam, ac virtutem laudat, & de gratulatione gratias agit.

EGo tuis ornatissimis suavissimisque litteris respondere cum vellem, & ubertas varietasque orationis tuae michi occurreret, obruebar quasi flumine quodam rerum a te sapienter praeclareque dictarum, nec unde initium respondendi facerem, satis michi constituebam. An a virtutibus exordirer tuis? At illarum ea magnitudo est, ut non epistolae brevitatem, sed voluminis prolixitatem efflagitent. Quis enim paucis verbis tantam sapientiam, gravitatem, celsitudinem animi, mansuetudinemque enarrare queat? An a dicendi nitore, & ab hoc eruditissimo scribendi genere, quod in te uno plurimum eminet, laudando, exornandoque inciperem? At verebar, ne quasi spectante Roscio gestum in scena facerem, & sterilis ipse, jejunusque viderer.

An

(1) Haec quoque nunc primum lucem aspicit.

An amicitiam commemorarem nostram? . . teritorum esse commemoratio solet: amic. nostram praesentem, vigentemque conspicimus. ergo faciam? Tuum michi ordinem proponam, . tua ipsa, ut vere dicam, vestigia ambulabo. Primum igitur quod michi tanta tribuis, quanta ego neque mereor, neque postulo, proficisci quidem id intelligo ab immenso quodam, inenarrabilique amore erga me tuo. Letatum vero esse te de Civitatis munere noviter michi injuncto, tacente etiam te certissimus eram. Putas enim me ob hoc ipsum dignitate adauctum, cui opinioni consequens est in amante quidem voluptas, in osore autem molestia. Enimvero scias volo, neminem unquam tanta cupiditate honorem appetisse, quanta ego cupiditate hoc ipsum munus evitare, atque rejicere nixus sum. Noveram enim procellas, & aestus civilium negociorum; ipse autem michi ocium & quietudinem vitae ab his strepitibus vacuam toto animo complectebar. Non igitur non petii solum, verum etiam ultro deferentibus restiti, nec restiti modo, sed etiam adversatus sum. Depulit tandem Patriae jussus me de proposito saniore meo, cui, ut nosti, parendum fuit, quoniam se exhortari non patiebatur. In hoc ego munere nunc versor grato quidem aliis, michi vero ipsi, ut tibi verum fatear, permolesto. Nos tamen ut in ceteris rebus, ita in hoc ipso, quod Patria nobis injunxit, obeundo curas, cogitationesque nostras ad laudem honestatemque referemus: quamquam intelligo, dum his deservitur rebus, mirabilem studiorum meorum fieri jacturam. Sed haec qualiacumque sint, tolerare necesse est. De Petro autem viro clarissimo tuique amantissimo libentissime commendationes audivi tum Reipublicae nostrae gratia, tum etiam hominis michi & semper alias, & nunc maxime

xime tua confirmatione jocundissimi. At ego summam ex illo quoque suscepi voluptatem, quod qualem te in illius commendatione perspexi, talem illum in tuis amplissimis laudibus referendis, cumulandisque cognovi. Est autem nequaquam mirum, cum nichil amabilius virtute sit in hominibus, virtuosos ipsos inter se se plurimum amari. Ego igitur gratulor legationi vestrae, quae & rerum maximarum pondere, & difficultate incredibili locorum, & anxietate difficillima temporis virtutes utriusque vestrûm non patefecit quidem, erant enim prius quoque patentes & clarae, sed majorem in modum tantis difficultatibus illustravit. Nos itaque Petrum cohortati sumus, & cohortaturi non desistemus, ut famam, atque gloriam factís extendere quammaxime pergat. De te autem, fortunisque tuis non aliter existimamus, quam de singulari praesidio rerum nostrarum. Vale, & me, ut facis, plurimum ama..

VIII.(1)

LEONARDUS GUARINO S. P. D.

Silentium suum excusat, & de gratulatione gratias refert.

GUarine virorum optime, addo etiam doctissime quid nunc tibi respondeam, aut quo pacto tarditatem hanc meam, & procrastinationem excusem? Occupatum fuisse me? Quae fuerit occupa-

(1) Hanc, quae in editt. Brix. exstat, omisit Fabricius. Nos ex MSs. Codd. sic eam exhibemus.

cupatio tanta, per quam facultas non fuerit respondendi? Alieniorem fuisse animum? Testor Deum, te michi semper in primis carissimum fuisse, quanquam conati sint quidam contra moliri. Quid ergo fuit? Nichil protinus, nisi mos quidam meus ad scribendum tardior. Tu ergo feres aequo animo me fecisse idem in te, quod in ceteris facere carissimis soleo. Duas a te epistolas habeo, unam perveterem de controversia malivolorum, qui nos invicem constare nitebantur, alteram benivolentia & gratulatione refertam pro hac nova dignitate mea. De prima hoc dicere michi breviter licet, factum esse inscio te, ut quidam homines, qui favorem tuum suis indignissimis odiis praetexebant, molestissime nos comparando ita me contemnerent, atque deprimerent, ut tibi ipsi, si affuisses, qua probitate es, dolor & fastidium gigneretur. Non possum negare me indigne tulisse. Sed tamen adversus illorum improbitatem multa per me, adversus autem dignitatem tuam nichil dictum fuit, quam moderationem lacessito praesertim non semel, sed dies singulos difficillimam esse sentiebam. Sed haec ut jam antiqua sunt, sic etiam antiquari facillime patior. Itaque totam hujusmodi controversiam praeterire, ac mandare silentio libet. De nova ista dignitate quod gratularis, est id quidem amoris, & benivolentiae tuae. Rem tamen scito molestissimam, & contra quod optarem, michi contigisse. Neminem credo tantum adhibuisse conatum pro honore adipiscendo, quantum ego adhibui, ne michi mandaretur. Sed quoniam voluntas Civitatis nostram diligentiam, & repugnantiam superavit, dedimus tandem manus, ne aut superbi nimium, aut ingrati videremur. Vita tamen illa ociosa, litteris studiisque intenta jocundior erat michi atque tranquillior, quam haec negociosa; & civilis. Sed Patriae voluntati parendum

fuit,

fuit, cui neque repugnare ad extremum, neque refragari contumaciter debemus, ut Socrates in Critone sapientissime docet. Id ergo nos fecimus ad tempus praefinitum, ne forte abjecisse nos omnino propositum illud primum existimes. Vale.



LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM

LIBER SEXTUS.

I.

LEONARDUS MARRASIO SICULO [1] S.

Qualem furorem poëtis adesse oporteat.

FOns quidam, si fabulis picturisque credimus, esse perhibetur, in quo senes demersi juventam recipiant. Optandissimae profecto lymphae, & quas operae precium sit de Hibernia Taprobanam usque peregrinando disquirere. Sed aliis quidem, ubi nam

(1) Poëtae Cl., cujus carmina ad Leonardum, Vegium, aliosque extant in Bibl. Mediceo Laurentiana. Plura de hoc, cum ejus Epistolas ineditas publica luce donabimus.

nam gentium reperiantur, investigare sit cura: michi vero tu nunc carminibus tuis mirabilissimi fontis latices, ut vere dixerim, superfudisti. Juvenescere profecto me sensi statim, atque illa perlegi, graviorique deposita aetate ad juventam reduci. Natura hoc fieri dicemus, an alia quapiam ratione, ut in eorum affectuum, quos attente inspicimus, similitudinem traducamur, quod in risu & fletu licet intueri? Te igitur amantem inspiciens, ac toto affectu effuse loquentem dispeream, ne ipse quoque amare incoeperim. Sed ante omnia illud discutiendum est, quod de furore scripsisti inquiens: *indulgere velis nostro Arretine furori*. Id alius forsan aliter, ego certe sic accipio, quasi laudis furor sit, non vituperationis. Sunt enim furoris, ut a Platone traditur, species duae: una ex humanis proveniens morbis, mala profecto res ac detestanda: altera ex divina mentis alienatione. Divini rursus furoris partes quatuor, vaticinium, mysterium, poësis, & amor. His vero Deos totidem praeesse veteres putaverunt. Nam vaticinium Apollini, mysterium, Dionysio, poëticam Musis, amorem Veneri tribuebant. Et vaticinium quid tandem sit, nemo fere, qui modo quicquam legerit, ignorat. Est enim divinatio quaedam, sed non omnis divinatio vaticinium est, sed illa tantummodo *magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates, aperitque futura*, ut Maro[1] inquit. Nam aruspices, & augures, & conjectores, ac cetera hujusmodi turba, nec vates ipsi quidem sunt, nec eorum opus vaticinium est, sed sanorum hominum prudentia, & ingeniosa rerum futurarum conjectatio. Mysteria vero circa religionem, expiationesque, & propiciaciones divini numinis versantur, cum vehementiori quodam men-

 tis

(1) Lib. VI. Aeneid.

tis concitatione, qualia in sacris libris permulta ad placandam caelestem iram quibusdam suppliciis factitata leguntur. Poëma quoque eandem fere determinationem recipit, quam & de vaticinio supra dicebamus. Non enim omne opus poëma est, ne si versibus quidem constet: sed illud praestans, illud hac honorata nuncupatione dignum, quod afflatu quodam divino emittitur. Itaque quanto vaticinium conjectioni dignitate praestat, tanto poëma, quod ex furore fit, sanorum hominum artificio est anteponendum. Hinc illae sunt a bono poëta quasi vesani hominis emissae voces: . . . . *unde jubetis Ire* (1) *Deae?* & Virgilius (2):

. . . . Dicam horrida bella,
Dicam acies, actosque animis in proelia reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam, major rerum mihi nascitur ordo,
Majus opus moveo . . . .

Quod totum vaticinantis more prolatum est a poëta. Quid ergo vaticinium, quid mysterium, quidve poëma, hactenus michi dictum sit. De amore autem postea dicemus. Nunc autem illud ostendendum est, has furoris species, de quibus supra diximus, non esse malas. Primum enim, ut a mysteriis incipiam, quis alienationem istam, ac furorem, & quasi abstractionem, raptumque hominis circa rem divinam dixerit esse malum? Quis vero non bonum, atque laudabile? amplo me in loco versari sentio. Exstant enim exempla pene innumerabilia divinorum hominum, si forte liberet hac in parte orationem extendere. Sed prolixitatem in re conspicua rejiciendam censeo. Circa mysteria igitur furorem non esse malum constat. Quid autem vaticinii furorem? illum non esse quoque malum vel ex eo patet, quod bona permulta

(1) Statius Theb. Lib. I. (2) Lib. VII. Aeneid.

ta ab illo proveniunt. Sibyllae quoque, & hujusmodi furentes quidem dum essent, publice & privatim multis profuere, sanae vero exiguis, aut nullis. Poëtae quoque tunc demum boni existunt, cum suo illo corripiuntur furore. Qua de causa vates eos nuncupamus, quasi furore quodam correptos. Qui vero absque furore Musarum poëticas ad fores, ut inquit Plato, accedit sperans quasi arte quadam poëtam se bonum evasurum, inanis ipse, atque ejus poësis prae illa, quae ex furore est, haec, quae ex prudentia, disperditur. Poëtarum ergo furor a Musis est, amantium vero a Venere. Oritur autem hic ex verae pulchritudinis contemplatione, cujus effigiem visu intuentes acerrimo, ac violentissimo sensuum nostrorum stupentes, ac velut extra nos positi totis affectibus in illum corripimur, ut non minus vere, quam eleganter dictum sit, amantis animam in alieno corpore vitam ducere. Haec igitur vehemens occupatio animi, atque correptio amor vocatur, divina quaedam alienatio, ac velut sui ipsius oblivio, & in id, cujus pulcritudinem admiramur, transfusio. Quem si furorem ac vesaniam appellas, concedam equidem atque fatebor, dummodo intelligas, neque poëtam bonum esse ullum posse, nisi hujuscemodi furore correptum, neque perfecte atque eximie Deum coli, nisi per hujuscemodi mentis alienationem. De furore igitur hactenus michi dictum sit provocato verbis tuis. Equidem si talis est furor tuus, qualem ipse modo descripsi, non modo indulgeo illi, quod me flagitas, verum etiam ultro te ad illum cohortor. Qui enim amorem vituperat, quid tandem dici potest, nisi dignum esse illum, qui extremo in odio cunctorum versetur? Sed haec satis in epistola praesertim, quae longitudinem renuit. Carmina vero ipsa tua, atque hanc scribendi amoe-

nitatem usque adeo probo, ut inter Nasones, & Propertios, & Tibullos te existimem collocandum. Hi enim emendatissime, ornatissimeque omnium elegiam scripsisse putantur. Sed unum scias volo, me non tam tibi eximiam hanc palmam esse tribuendam existimare, quam amori. Ille est enim, qui verba tibi dictat, qui sententias ostendit, qui varietatem, & copiam, & elegantiam subministrat. Quod vero me tantopere laudas carminibus tuis, fateor, idem michi, quod Temistocli evenire. *Sed non ego credulus illis*. Nam conatum esse me atque conari, ceterum longe abesse; te vero nequaquam adulatum, sed benivolentia mei deceptum intelligo. Vale, & quotidie scribere aliquid, ut facis, dignum amore, & Musis ne cesses. Gloria quippe agendo periclitandoque acquiritur. Nec spectantibus coronae, sed certantibus parantur. Iterum vale. Mon[illegible] Florentia 1428 ([illegible] 215)

II.[1]

LEONARDUS REVERENDISSIMO D. CARDINALI S. CRUCIS.

Gratias agit pro Nepote suo inter domesticos recepto.

EGo vero gratias habeo Patri Cartusiensis Coenobii, qui desideratas michi Reverendissimae Paternitatis tuae litteras detulit. Nam ad eam usque diem nullas omnino habueram. Ex litteris vero ipsis summam equidem suscepi voluptatem, tum quod munusculum illud meum satis probatum sapientissimo gravissimoque judicio tuo perspexi, tum etiam

(1) Hanc omisit Cl. Fabricius.

etiam, quod laudes quaedam inerant, & cohortationes ad cetera obeunda. Ego igitur tanti viri judicio confirmatus, non penitus inanem posthac fore operam meam, si quid forsan mandare litteris aggrediar, aestimabo. De Stephano autem Aretino necessario meo, quem dignata est R. P. tua ob litteras meas inter domesticos recipere, summas ago gratias, & certe ni talem novissem illum, qualem mundicies integritasque domus tuae flagitabat, nunquam de eo verbum facere ausum essem. Illi profecto sat erit apud tantum Dominum inter bona probatissimae disciplinae exempla educari, quem etsi non expediat, tamen ipsum R. P. tuae totis affectibus recommendo. Florentiae. Idibus Aprilis.

III.

LEONARDUS POGGIO S.

An Aristoteles Socratis discipulus fuerit.

NIchil opinor me juvissent commentaria illa tua de bibliothecis Germanorum eruta ad vitam Aristotelis comppnendam. Hoc enim ipsum, quod tu magnifacere videris, triennio videlicet in disciplina Socratis illum fuisse, prius quam Platoni se traderet, perridiculum esse scito. Socrates enim, ut tempora ipsa ostendunt, aliquot prius annis obierat diem, quam Aristoteles nasceretur. Quomodo igitur discipulus ejus esse potuit, qui non erat? Nec ego id ipsum, quod tu scribis, ignorabam, a quibusdam parum eruditis traditum. Legeram namque & ipse hujusmodi ineptias, sed quia falsum sciebam penitus rejiciundum putavi. Ad octogesimum aetatis

tis annum Plato vitam perduxit: eo adolescente Socrates ex damnatione illa nefaria veneno interiit: Aristoteles autem longe postea Platoni jam plane seni, & majori sexagenario cohaesit. Inter supremum vero Socratis diem, & Aristotelis exortum anni circiter quatuordecim interfuisse comperiuntur. Huic ergo scriptori tam manifeste deliranti, ego aut de Platonis statua & epigrammate, aut de ceteris fidem praestem? Quanquam de statua quidem etsi maxime verum foret, vulgarior tamen ea res est, quam ut litteris mandare expediat. Non enim omnia in describenda vita sunt congerenda, sed illa dumtaxat, quae notatione sint digna. Statuas vero Philosophorum usitatissimum fuit discipulos habere. Unde illud est, quasi poëtae irridentis:

. . . . . . (1) *Quanquam plena omnia gypso*
Chrysippi invenias, nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.

Et Cicero: *propter statuam Platonis consedimus*. Haec igitur dixisse velim, quò intelligas me lente admodum & morose singula considerasse, quae in illius vitam conjeci, nec quicquam ponere voluisse, quod aut falsum, aut leve, aut ineptum censuerim. De Plinio autem quod postulas, nunc fieri non potest, quoniam id volumen apud quendam ex familiaribus exemplum scribenti praebet. Vale.



IV.

(1) Juvenalis Sat. II.

IV.

LEONARDUS C. LUCENSI S.

Judiciorum quendam certum ordinem esse.

AEquum fuerat, egregie Vir, si quid a me per litteras tuas quaerebas, expectare responsionem, non autem & quaerere simul, & tibi ipsi respondere. Quaestio nanque omnis de re dubia consuevit esse. Terminatio autem certitudinem flagitat. Quod si haec licentia hominibus tribuatur, ut & narrent ipsi rem suo arbitratu, & falsa pro veris, incognita pro cognitis afferant, deinde ipsimet sententiam ferant, quae auctoritas erit hujuscemodi judicio, quod non meritum causae, sed libido expresserit, in quo idem accusator, & judex? Verus enim judiciorum ordo personas distinguit, ut sit alius accusator, alius defensor, alius judex. Controversia vero omnis fere litigantibus est aut facti, aut juris. Si de facto ambigitur, tabulis, testibus, signis, argumentis, conjectura probatur. Si de jure, aequi, vel iniqui ratio in medium venit. Sed ante omnia factum discutiatur oportet, frustra nempe de jure quaeritur, ubi factum non constet. Haec, ut vides, communia sunt. Nunc ad nostra regrediamur, ut intelligas, de quibus conveniat inter nos, & de quibus adversemur, & cernas, quam multa desint ad veritatem conclusionis tuae. Non potuisse salva fide contra Paulum Guinisium inferri bellum a Florentino Populo dicis, cum esset idem ipse pro adhaerente ejusdem Populi in pace nominatus. Nos autem nominatum confitemur, & tamen salva fide bellum sibi in-

inferri potuisse affirmamus. Haec igitur prima quaestio juris est. Quod tu per hujusmodi nominationem remitti priores injurias, & obligationem inter nominantem & nominatum oriri existimas, nos rem inter alios actam nullam hujusmodi vim habere putamus. Haec igitur juris: facti vero illa, quae sequuntur. Tu occultis insidiis, & dolosis simulationibus usum Florentinum Populum in hoc bello inferendo calumniaris: nos nullum protinus dolum, nullam simulationem, nullas insidias in illo fuisse certissime scimus. Tu non denunciatum fuisse bellum praedicas: nos per Philippum, qui & vivit, & testimonium perhibebit, denunciatum fuisse affirmamus. Haec & hujusmodi, de quibus controversia est, prius a te probanda erant, postea lamentanda. Nisi enim facta haec ostendis, & illa superiora fuisse injusta probes, nulla tibi de his aut querela, aut exprobratio justa esse potest. Sed tu nec ista quae sunt facti, nec illa quae sunt juris ullo modo probas, sed ex nuda, simplicique narratione concludis. Hoc igitur primum in litteris tuis non probo: Deinde illud vehementer reprehendo, quod aut te, aut me rebus populorum admisceas, quasi nostrae sit censurae illos corrigere, ac non potius arrogantia vesaniaque haberi debeat, homunculum unum ex se ipso nemine deferente tantis de rebus judicium sibi assumere praesertim inaniter. Quid enim quaeso nostra haec censura proficere potest? ne fiant? At facta sunt. ut corrigantur? Unde haec censura nobis? Frustra autem niti, nec aliud se fatigando, nisi odium quaerere extrema dementia est. Ego tamen invitus licet, quoniam me provocas, defensionem scripsi, quam tibi mitto. Et quia de re populi agitur, popularibus verbis uti placuit, ut populi ipsi, quorum causa agitur, non ab interprete, sed ex se ipsis intelligere possint. Videbis

bis autem in tractatione ipsius causae, quam indigne leviterque prosilueris ad rem tibi non satis notam reprehendendum. Vale Florentiae VI. Idus Januariis.

V.

LEONARDUS POGGIO S.

Sepulcrorum magnificentiam docet vanam esse, potissimum indignorum.

RES protinus risu digna michi nuper occurrit, dum iter facio in agrum Aretinum. Offendi enim boves plostra trahentes, anhelantesque. In plostris columnae vehebantur marmoreae, & statuae duae non satis fabrefactae, basesque, & arculi, & hyperstilia, casuque in saltus difficiles conjecta plostra expediri non poterant. Circumstabant vero redemptores cum dolabris, purgantes iter, adjuvantesque. Tunc ego novitatem rei admiratus, neque enim plostra per eos saltus traduci neque marmora importari consuerant, accessi propius, & percontatus sum, quid rei esset: & quonam illa tam molesta opera deferrentur. Tunc unus ex redemptoribus me aspiciens, ac simul manu sudorem a facie abstergens, pertaesus credo laboris, ac secum ipse indignans, dii perdant, inquit, poëtas omnes, & qui fuerunt unquam, & qui futuri sunt. Egoque hoc ejus responsum audiens, quid tibi cum poëtis est, inquam, aut qua tandem in re tibi molesti fuere? In eo, inquit, quod hic poëta, qui nuper defunctus est, stultus nempe homo atque ventosus, sepulcrum sibi fieri marmoreum imperavit. Eaque de

cau-

causa marmora haec Montepolitianum deferuntur, sed credo perduci nunquam poterunt difficultate viarum. Et ego volens clarius intelligere, quid ais, inquam? an Montepolitiani poëta quisquam decessit? Non ibi, inquit, sed Romae: sepulcrum tamen in patria faciundum sibi testamento providit. Atque haec est imago ejus, quam cernis, altera vero parentis, quam juxta se collocari jussit. Tum ego de patria, & de obitu conjecturam faciens, audieram enim nuper quendam Bartholomaeum Montepolitianensem Romae interisse, pecuniarumque nescio quid reliquisse, interrogavi redemptorem, num de eo loqueretur, illeque hunc ipsum esse annuit. At enim inquam, cur tu poëtis ob hunc asinum maledicis? An tu illum poëtam credis fuisse, qui nullam neque scientiam, neque doctrinam cognovit? Stultitia vero, ac vanitate omnes omnino homines superavit? Non novi, inquit illum, dum vixit, nec eum nominari unquam audivi, sed oppidani quidem sui poëtam illum arbitrantur, & si paulo plus pecuniarum reliquisset, Deum putarent. Quod si non fuit ille poëta, nec maledictum poëtis velim. Atque ego tunc abiens considerare mecum coepi redemptoris verba, qui stultum hominem, atque ventosum dixerat eum, qui Romae decedens marmoreum in patria sibi fieri sepulcrum imperasset. Re enim vera sic est: nemo qui gloriae suae confidat, de sepulcro sibi faciundo unquam cogitavit. Operum enim laudabilium fama & claritate nominis contentus, satis ob hoc ipsum posteritati se se putat commendatum. Quid enim sepulcrum, quoad muta res est, juvare sapientem potest? Aut quid vilius, quam sepulcrum memorari, vitam sileri? Tres eminentissimi imperatores variis seculis fuisse referuntur Cyrus, Alexander, Caesar. Quorum Cyrus qui fuit antiquior, nedum sepulcrum insi-

insigne appetierit, sed testamento mandavit nullum sibi sepulcrum constitui, sed terra humari, affirmans terram flores producere, & segetes, & arbores amoenissimas, preciosissimasque efferre, nec ullam generosiorem sepulcri materiam reperiri posse. Itaque nuda in humo sepelire corpus suum jubet sine ullo penitus marmore, aut structurae monumento. Recte quidem: virtus enim illius, & facta egregia perennem sui memoriam pollicebantur futuram. Bella quippe maxima singulari fortitudine industriaque confecerat, victorias plurimas gloriosissime reportarat, imperium Medis adeptum in Persas transtulerat. Ipse vero mirabili sapientia praeditus, vitaque & moribus ut ita dixerim, civilissimus, optimis legibus sanctissima disciplina partum a se imperium communierat, ex quo Cambysae, & Ochi, & Xersae, & Artaxersae, & Darii longissima ac potentissima successione regnaverunt. Hic ergo tantus, & talis imperator humi sepeliri voluit, marmor autem Parium, aut Numidicum lapidem non quaesivit. Eadem in Caesare & Alexandro mens fuit, quorum neutrum de sepulcro sibi faciendo videmus cogitasse. Facio contumeliam summis viris, quos in reprehendendo hoc vilissimo homine testes adduco. Sed tamen si excellentissimi viri hanc vanitatem ambitiosam cum laude vitarunt, quantum in hac faece hominis haec est superbia deridenda? Tu marmora tibi ex longinquo portari, tu sepulcrum fieri, & statuas tibi ipsi collocari testamento jubes? Quo merito quaeso? An scientia, quae in te nulla fuit? An litteris, quarum vix quatuor tenebas? An vita, & moribus, qui levissimus, ac singulari stulticia plenus nichil consilio, cuncta vero temeritate vesaniaque prosequebare? Verum enim si non mores, at genus illum honestat, dignumque & statua, & sepulcro marmoreo facit

cit natum ex patre mercatore circumforaneo, avia obstetrice, matre fanatica. An propter pecunias sub terra absconditas statua dignum te ipsum censebas? Hoc suberat unum videlicet. Verumtamen has ipsas pecunias Pontifex post mortem tuam, cum illae tandem in lucem venissent, ut sibi a te furto subtractas reposcit. Quid scribes quaeso in sepulcro? quae acta? quas res gestas insigniri facies? An pater tuus ut asinos & merces circum nundinas agebat? An avia, ut editos in lucem partus tollebat, puerperis ancillabatur? An mater, ut in fanis soluto crine volitabat? An tu ipse, ut pecunias furtim cumulabas? An Pontifex, ut eas pecunias reposcebat? Haec est summa rerum tuarum, haec est gloria tua atque tuorum, quae talia sunt, ut si modo quicquam saperes, si non ut in omni vita, sic etiam moriens stulticia ac temeritate delatus esses, testamento cavisses, ut tu olim pecunias, sic etiam te tui sub terram absconderent, ne risus & querelae materiam haec tua sepulcri vanitas, & ambitio exhiberet.

VI.

LEONARDUS NICOLAO S.

Adhortatur juvenem ad optima litterarum studia, docetque, quae nam literae aliis praestent.

VEhementer me delectarunt litterae tuae, quas nunc primum ad me scripsisti. Ferebant enim prae se & naturam praestantissimam, quod est ingenii, & disciplinam vigilantem & solertem, quod est studii, ac diligentiae. Itaque michi contigit aetatem istam tuam & sensum earum litterarum considerantem

side-

sideranti, ut admirabilis quaedam, ac plane supra annos haec tua maturitas videretur. Nec vereor, si modo tibi ipse non deeris, praecellentissimum te virum esse evasurum. Quamobrem invigila quaeso, ac per singulos dies adde insuper aliquid, et accumula, considerans permagna in his studiis praemia tibi esse proposita ad constitutionem vitae, ac nominis celebritatem, & gloriam; Haec duo, crede michi, & opes amplissimas consequentur, quae celebribus viris ac virtute expolitis nunquam volentibus defecere. Habes praeceptorem eximium, cujus imitari diligentiam, & assiduitatem debes. Studium vero tibi sit duplex, alterum in litterarum peritia non vulgari ista & communi, sed diligentiori quadam atque recondita, in qua praecellere te magnopere volo; alterum in cognitione earum rerum, quae pertinent ad vitam & mores, quae propterea humanitatis studia nuncupantur, quod hominem perficiant, atque exornent. In hoc genere varia & multiplex & undecunque arrepta sit tibi cognitio, nichil ut praetermittas, quod ad institutionem vitae, quod ad decus, quod ad laudem pertinere videatur; sed eos legas censeo, qui non solum doctrina, verum etiam nitore orationis, ac peritia litterarum juvare te possint, quales sunt Ciceronis libri, & si qui proxime accedunt. Si tamen me audies, fundamenta disciplinamque harum rerum ab Aristotele perdisces, ornatum vero orationis, & copiam, & omnes verborum divitias, sermonisque, ut ita loquar, dexteritatem in his ipsis rebus a Cicerone mutuaberis. Volo namque praestanti viro hoc adsit, ut & scientiam rerum habeat abundantem, & ea ipsa, quae scit, illustrare dicendo, & exornare possit. Hoc autem facere nemo valebit, nisi qui multa legerit, multa didicerit, multa undique decerpserit. Itaque non modo a philo-

sophis doctus, quod est hujus studii fundamentum, verum etiam a poëtis, & ab oratoribus, & ab historicis paratus venias oportebit, ut copiosa, & varia, ac nulla in re rudis sit tibi oratio. Brevior sum in his explicandis, quoniam novi te illa legisse, quae de studiis & litteris alias a nobis scripta fuere, in quibus formam hujus disciplinae vel expressimus nos quidem, vel certe adumbravimus. Hanc vero praestantiam si tu, quemadmodum spero, nanciscare; quaenam divitiae cum horum studiorum praemiis fuerint comparandae? Licet enim juris civilis studium vendibilius sit, utilitate tamen & dignitate longe ab istis studiis superatur. Nam studia quidem ista ad faciendum virum bonum tota contendunt, quo nil utilius excogitari potest; jus autem civile ad faciendum virum bonum nil pertinet. Quid enim bonus vir de aqua pluviali arcenda, aut de perendinis cognoscendis laboret? aut qui melior erit quis, si partum ancillae in fructibus esse censeat, quam si non censeat. Quin etiam bonus vir, & legata persolvet, & mandata testatoris adimplebit, etiamsi septem testium solemnitas testamento defuerit. Ac jus civile contra disponit. Praeterea bonitas & virtus stabilis est, jus autem locis & temporibus variatur, ut saepe quod Florentiae legitimum est, Ferrariae sit contra legem. Jam vero magnis ac praeclaris viris non satis decora est haec in litibus & controversiis mercenaria versatio. Itaque qui nobilitate aut divitiis praecellunt militiae dignitate gaudent, doctoratum vero sibi ad dedecus potius, & ignominiam reputarent. At enim superioribus illis studiis tanta dignitas inest, ut nemo Princeps, nemo Rex sibi turpe ducat scientia illarum rerum, & eloquentia insigniri. Alexandrum certe Philippus pater Aristoteli tradidit non ad discendum jus civile, quod tanto Regi sordidum fuisset,

sed

ſed ad doctrinam vitae ac morum, & ad eloquentiam perdiſcendam. Omitto voluptatem, jocunditatemque illorum ſtudiorum, quae tanta eſt, ut difficile ſit inde mentes revellere. In jure autem civili perdiſcendo, quid tandem praeter mera taedia? Itaque oſcitans ſcientia non immerito ab antiquis vocatur. Sed haec ſatis. Michi enim ad te ſcribenti potius his de rebus loqui, quam aut de familiae, aut de parentis amicitia placuit. Illa enim tempus expectare poſſunt, & ſunt non indicta prius. Cohortationem vero ad haec ſtudia non eſt viſum differre. Vale.

VII.(1)

LEONARDUS ATTO MILITI SAXOFERRATENSI S.

Amicum rogat, ut Malateſtarum Familiae ſe commendet.

ETſi cognoſco me prolixioris epiſtolae debitorem eſſe, tamen cum Ariminenſis iſte domum ad me veniſſet, & numqu'd vellem rogaret, non permiſi ipſum ad te vacuum redire litterarum mearum. Gaudeo igitur ſemperque gaviſus ſum, proſpera atque ſecunda de tuo ſtatu, dignitateque audiſſe. Nec puto eſſe quemquam amicorum tuorum, qui me in hac parte gaudii, atque benivolentiae antecedat. Id vero totum proficiſcitur ex ſingulari praeſtantia virtutum tuarum, qui humanitatem ſummam cum gravitate morum, & ſapientia rerum gerendarum mirifice conjunxiſti, ut idem tu

(1) Haec deeſt in edit. Fabriciana.

& amari ut facilis, & timeri ut fortis, & observari ut prudens merearc. Sed haec cum aliis uberius & solutius, quam tecum de te. Nunc autem invitat locus iste, in quo degis, ut non praetermittam de me aliquid scribere. Equidem tanto ardore generosam inclitamque Malatestarum Familiam colui, ut non alienum proceres illi me existimarent, sed unum de ipsis. Ut enim ceteros omittam, cum inclitae memoriae Carolo Principe illius familiae ita aliquando vixi, ut neque mensa, neque venatio, neque studia litterarum me ab illo sequestrarent. Qui peractis ad occasum venationibus ita redire Ariminum solebamus, ut duobus vel tribus passuum millibus disputando summis interdum contentionibus, ac desperatis prope clamoribus certaremus. Fuit enim illi ingenium magnum, & scientia multarum rerum abundans. Ceterum ita pertinax in disputando, ut quid semel dixisset semper defenderet, & suppetebat mirabilis quaedam copia rationum, argumentorumque ad cuncta, quae assumpserat sustinenda. Ex quo frequenter fiebat, ne clamores, contentionesque deessent. Sed idem in omni virtute ceteris hominibus longe meo judicio praestitit. Quorsum vero haec? Ut junioribus istis proceribus, qui illi successere, me notum, & commendatum facias. Vale, & laborem harum litterarum in concessione illius officii, quod postulat, habeas recommissum. Iterum vale. Arezzo (Bibl. Laur. n. 215)



VIII.

VIII.

LEONARDUS NICOLAO S.

Consolatur Nicolaum in funere matris, describitque felicis mulieris laudes, & dotes.

QUoniam publico munere necessario detentus adesse tibi in parentis tuae optimae atque praestantissimae mulieris luctuoso funere nequivi, quod reliquum est litteris adimplere officium tentabo. Neque enim confido praestare id posse. Etenim cum pietatem filii debere me illi & habere intelligam, ac in luctu prope aequali tecum verser, sentio profecto me consolatione potius indigere, quam alios consolari posse. Quae tamen ad rationem deflectenti animum michi venire in mentem soleant, recensere constitui, si forte ea res lenire aliqua ex parte dolorem tuum valeret. Quid tantopere lugemus inquam? Quid afflictamur? quasi vero novum quoddam, inopinatumque acciderit. Num quaeso vel ignotum, vel ambiguum fuerat illam esse mortalem? Num ad maturitatem jam plane suam & senium pervenisse? Num annorum numerum eum implesse, quem vix centesimus quisque pertingit? Cursus autem vitae cui unquam prosperior, aut bonis omnibus cumulatior fuit? Quid igitur nobis volumus? quid exposcimus? quid erga superos usque adeo ingrati atque perversi sumus? Quae enim magnopere a diis immortalibus precaremur, ea nobis collata non recognoscimus. Bona quidem, nisi ego fallor, in mulieribus numerantur, genus, forma, pudicitia, foecunditas, liberi, divitiae, superque his omnibus

bus virtus, & probitas. Ego quoque his addo valitudinem prosperam, & vitae longinquitatem. Nam in fracta, miseraque valitudine etiam superiora squallent bona, & in brevitate vitae nulla perfectio potest existimabilis reperiri. Horum igitur omnium si quisquam docere potest aliquid huic primariae mulieri defuisse, confitebor equidem non esse illam tantopere extollendam. Sed quid defuit quaeso horum omnium, quae superius numerata sunt? quid non abunde etiam superfuit? Nam ut breviter percurram singula ab initio exordiens: maternum illi genus praestantissimum fuit ex clarissima familia Malatestarum, paternum vero ex gente honoratissima, ac maxima nostrae civitatis, patre, avo, & atavo splendidissimis equitibus, forisque, & domi summae auctoritatis. Quid igitur magnificentius, quid illustrius in hac parte dici potest? aut quid insignius, quam tanta claritate majorum honestari? Forma vero fuit egregia plane, atque magnifica, plena dignitatis, plena ingenii, plena pudoris, aderatque & in proceritate generositas quaedam, & in gravitate auctoritas, & in diligentia commendatio probitatis. Qua quidem in parte licet a Zenone, Stoicisque reclametur, tamen veterum michi Academicorum, Peripateticorumque sententia magis probatur, qui ut fuco atque fallaciis affectare falsam opinionem formae damnandam, sic natura largiente verum decorem grate suscipiendum existimant, & in bonis numerandum. Nec ego sane lepiditatem, aut venustatem in hac praesertim muliere laudarim, sed praestantiam quandam nativam & venerationis plenam dignitatem. Nam de pudicitia quidem illius, in qua fuit unicum singulareque exemplum, tacere melius est, quam pauca dicere. Nupta vero fortunatissimo conjugi divitiis, opibus, celebritate nominis suae aetatis omnium nostrorum

civium

wium praestantissimo, numerosam sobolem procreavit, viditque multitudinem ex se prognatam, filiorum filios, atque nepotes. Quanta sunt quaeso ista, quae adhuc numeravimus, & quanti existimanda? vel quam multi reperiuntur, quibus ista contigerint? Uno fortasse aut altero nonnulli, cunctis vero simul cumulatis perpauci admodum gloriari possunt. Sed bona animi maxime in ea muliere conspicua fuere: admirabilis probitas, insignis humanitas, magnificentia, liberalitasque egregia, maximeque ad decus, & praestantiam erecta mens. Quid dicam de humanitate mirifica, de charitate in suos, de dilectione in omnes, de bonitate denique singulari, in qua nullam unquam mulierem huic comparandam me cognovisse affirmare verissime possum? Prudentia vero quanta fuerit vel ex illo apparet, quod maximam domum, magnas clientelas, varia, multipliciaque negocia mortuo conjuge per annos amplius triginta sic gubernavit, ut nemo consilium aut prudentiam viri deesse in tanta administratione unquam sentiret, essetque ipsa simul regula morum, & integritatis, honestatisque disciplina & norma. Cum his illa laudibus ad septuagesimum quartum pervenit annum prospera valitudine & continuata auctoritate, exitum quoque vitae facilem tranquillumque sortita, qualis superiori ejus moderationi maxime congruebat, desiderium sui mirabile filiis propinquisque reliquit cum unanimi, consentienteque omnium commendatione. Ego igitur hanc mulierem pro tantis, atque ita continuatis ad extremum usque vitae diem bonis nequaquam lacrymis decorandam puto, sed gratulatione & gloria prosequendam. Nec adversi quicquam illi accidisse existimo, quod mortua sit, nec sane in morte quicquam est mali, propterea quod aut extinguantur protinus omnes sensus, & fiat quasi somno cuidam

nunquam interrupto simillima requies, qua si est suavissimum unius interdum noctis toto spacio sine ulla intermissione potiri: quanta suavitas in illo sempiterno tempore est existimanda? Aut si remaneant sensus, vivantque animi nostri post mortem, viam illam fatalem ingressos ad meliora domicilia migrare, & cum melioribus & sui similibus habitare est procul dubio confitendum, ut aut nichil mali sit in morte, aut multum etiam boni. Cum vero ex duobus alterum necessarium sit, & quibusdam incertum obscurumque videatur, ego tamen michi persuadeo, animos hominum esse sempiternos, atque optimo cuique cum a corporeis vinclis fuerit liberatus, reditum facilem in Coelum patere, ubi nunc illa consistens ac tenebris exuta puro intuitu divina illa spectacula contemplans, imbecillitatem nostram miseretur, seque, nunc tandem vivere, nostram vero hanc, quam vitam dicimus, mortem esse cognoscit. Equidem homini jam plane seni, qui cum laude eximia vixerit, optandam etiam mortem existimo, cum & impendeant quotidie permulta, quibus periculum est, ne extrema aliqua labe superioris vitae splendor, & gloria deturpetur, ut Priamo regi, & Pompejo accidit, quorum utrumque calamitates extremae ex superiori felicitate miserabilem reddidere. Vel ut ista cessent, tamen illud est certissimum aetate longius provectis incommodum, quod necesse sit quodammodo hebetari sensus, videreque deterius, atque audire, & in ceteris multis natura ipsa debilitari & frangi, ut optime cum illa actum in hoc suo decessu putare debeamus. Quod si nostram vicem dolemus, quia videlicet spoliati illius praesidio atque solatio sumus, isque nos moetor afficit, & in luctum impellit; videndum est, ne nimis ingrate atque injuste commodum nostrum illius commodo anteferamus. Amor enim

ve-

vetus ad ejus, quam diligimus, causam, non ad nostram est referendus. Si enim aetas illius jam ingravescens, & ante parta laus, & fortunae mobilitas hoc flagitant, ut illam ad extremum vitae diem quasi in portum quendam ex longa periculosaque navigatione tuto se recepisse gratulandum sit atque laetandum; nolimus quaeso illius commodum lamentari, aut deflere. Denique illa certe, qua benivolentia fuit, hoc nos in dolore versari permoleste fert, & cessare nos jubet atque desistere, cui etiam mortuae parere, & condonare moerorem nostrum debemus, & quantum natura patitur, moderate perferre. idus decembr. Arretii 1407 (Cod. lat. 8°. 225)

IX.

LEONARDUS CYRIACO S.

Regis nomen majus esse, quam Dictatoris. Dictatoris autem praestantius Imperatoris nomine fuisse docet.

MElius erat, o Cyriace, non tantum sapere, quantum sapis; siquidem te scientem aliorum errata conturbant, quae ab ignorante nulla molestia praeterirentur. Habet enim ignorantia multis in malis quiddam boni, quod minus angitur, quia minus sentit. Atque ut ad postulata veniam tua, admiratum te dicis in hoc novo Sigismundi Principis adventu, quod qui ante coronationem se Regem scriberet Romanorum, post coronationem quasi majus quiddam & dignius exprimere volens, Imperatorem se nuncupabat, non Regem, quod tu perperam factum arbitraris. Itaque te id reprehendisse ais, & quaeris a me, num idem sentiam quod tu, an contra

tra putem. Ego vero & in his & in aliis permultis plurima michi videor quotidie cognoscere errata, sed utor Democriti regula: rideo enim illa, non fleo. Quid enim mea refert, quemadmodum barbari loquantur, quos neque corrigere possum, si velim, neque magnopere velim, si possim? De Rege tamen & Imperatore idem sentio, quod tu & jampridem ridens barbariem istam hoc ipsum notavi, atque redargui. Tres enim gradus majorum dignitatum apud Romanos, de quorum Principe loquimur, fuere: Rex, Dictator, Imperator. Ex his suprema omnium potestas Rex est; post Regem vero secundum tenuit dignitatis locum Dictatura, post Dictaturam Imperium tertio gradu consequitur. Hujusce rei probatio est, quod Octaviano Imperatori optime se gerenti volens Senatus Populusque Romanus dignitatem augere, pro Imperatore Dictatorem facere decrevit, quod ille non recepit, sed flexo genu recusavit, quasi majoris status, majorisque invidiae dignitatem existimans, Imperatoris, nomen modicum ac populare, si ad Dictatoris fastigium compararetur. Inferioris ergo dignitatis Imperator est, quam Dictator, ut ex hoc patet: majorem vero esse Regiam potestatem, quam Dictaturam, ex eo potest intelligi, quia Julius Caesar Dictator cum esset, affectavit Regem fieri., cujus gratia interfectus est non ferentibus civibus, ut Regiam assumeret potestatem, sed Dictaturam utpote minorem aequis animis in eo patientibus. Haec igitur quae adhuc dixi, etsi nulla penitus alia superadderentur, tamen ipsa per se vel sola probant abunde Regium nomen, quam Imperatorium esse praestantius, nisi forte aut Senatum, dum pro Imperatore Dictatorem facere volebat, aut Caesarem, dum ex Dictatore Rex fieri cupiebat, non intellexisse vim istarum dignitatum existimemus. Sed nolo his esse contentus praeser-

sertim ad te scribens, cujus aures novi quam avidissimae sint vetustatis simul, ac veritatis. Explicemus ergo singulorum naturam, qua cognita & inter se comparata differentiam sui dilucide nobis ostendant. Regem omnes sic accipiunt, quasi suprema quaedam & absoluta sit potestas, supra quem in suo regno nemo sit, sed ipse praesit omnibus. Ex quo fit, ut Rex nisi unus duntaxat esse non possit, plures enim reges eidem regno praesidentes se se mutuo impedirent, naturamque perimerent Regis, quae non omnibus praeesset, sed haberet paritatem. Patet hoc in antiquis, modernisque Regibus. Neque enim Numa, neque Hostilius, neque Ancus, neque alii deinceps Romani Reges consortem, aut socium regni habuere. De Romulo, & Tacio ferunt: Sed alter Sabinorum, alter Romanorum Rex erat, & in propinquo collati repugnante natura se se passi non sunt. In modernis quoque Regibus idem apparet. Neque enim Francorum, neque Anglorum plures simul Reges regnum gubernant, sed unus & solus, cui fratres, cui patrui, cui propinqui omnes genua submittunt. Cessit jam quandoque apud hos filio pater, cui regiam potestatem se vivo transferre in filium voluit, ipse dimisit, quoniam duos simul regiam potestatem habere contra naturam est hujus dignitatis. At Imperatores simul plures saepissime fuerunt: non est enim suprema potestas imperium, sed salva republica, salva auctoritate Senatus & Populi, & salva libertate Imperator creabatur. Est enim imperium armorum exercituumque ad tutandam augendamque Rempublicam commissa auctoritas. Itaque Imperatore existente nichilominus Consules, Praetoresque, ac ceteri Magistratus in republica manebant; Rege autem existente manere non poterant, quod patet ex Dictatura. Illa enim, quia vim quandam

regiae

regiae potestatis habere videbatur, simul atque inducta fuerat in Rempublicam, ceteri magistratus omnes interibant, & abrogati per creationem Dictatoris censebantur praeter Tribunos plebis, & in hoc differebat Dictator a Rege, quod Dictatore existente plebs, plebeique magistratus vim, auctoritatemque suam retinebant: Rege autem existente Tribunitia potestas, plebisque auctoritas omnis omnino solvebatur. At enim cum Imperatore cuncti simul magistratus in republica perstabant, & auctoritas vigebat Senatus, & Populi libertas servabatur. Ex quo apparet Imperatorem non esse dominum, sed legitimam potestatem, nisi forsan Crispum Salustium ignorasse vim potestatemque Imperatoris nominis arbitremur, qui inquit: *Nam cum tu te per molliciem agas, exercitum supplicio cogere*, idest dominum, non Imperatorem esse. Volo insuper unam, vel alteram rationem inducere, quo majoris dignitatis regium nomen esse ostendam; imperium enim quibusdam Magistratibus recte tribuimus. Nam omnes, qui jurisdictionem exercent, ac punire & cohercere possunt, imperium habere dicimus, & regnum habere illos nunquam diceremus, quoniam nomen imperii legitimam potestatem significat, regnum autem habere supra leges esset. Praeterea, quae Deo tribuimus vocabula, ea praestantissima sunt existimanda. Cum enim Deus ineffabiliter excellat, nec ulla humana reperiri digna possint ejus majestate, illa Deo tribuimus, quae apud nos sunt maxima, quoniam majora tribuere non habemus. Deum autem Regem nuncupamus, ac regnum Coelorum dicimus, ut sacrae litterae, poëtaeque testantur: Imperatorem vero qui Deum vocaret vix quisquam reperitur, propterea quia Rex supremam potestatem absolutamque significat, Imperator vero longe inferiorem. Ex his omnibus luce clarius appa-

apparet, qui imperatorium nomen regio nomini anteferunt, eos in maxima ignoratione versari. Sed heus tu qui hunc errorem notasti, cur alium huic annexum tacitus praeteriisti? Coronari enim Imperatorem ubinam gentium mos fuit? Quis Imperatorem Romanum antiquis illis temporibus coronatum fuisse unquam audivit, aut legit? Non Augustum, non Tiberium, non Caligulam, non Neronem, cum praesertim hi duo extremi intolerandae superbiae, aut luxuriae forent, non Trajanum, non Adrianum, non Antoninum, nemo inquam istorum coronam imperii unquam suscepit, aut habuit, aut usus est, nisi forte lauream, cum triumphasset, aut rostratam, quod classem hostium cepisset, quae duae coronae non Imperatorum erant magis, quam quorumcumque triumphantium, aut vincentium. An ergo quod illi tantam imperii magnitudinem habentes non faciebant, hi quatuor jugerum possessores coronabuntur? Enimvero non ut Imperatores, sed ut Reges Romani coronantur. Cur ergo se post coronationem Imperatores scribunt, non Reges? Deinde totum hoc ignorantiae est, cum ne Reges quidem Romanos unquam coronari mos fuerit. Romulus enim, & hi, qui post eum fuerunt Reges nunquam coronam receperunt, aut gestaverunt, aut usi sunt. Idem quoque observatum est a Tuscorum regibus, ut nunquam corona uterentur, sed trabea dumtaxat, & palmata tunica. Quare hanc barbariem quaeso cum sua ignorantia valere sinamus, & nos antiquis doctissimorum virorum scriptis, quod unicum est refugium, oblectemur non curiosi, quid agant isti, aut quemadmodum loquantur. Vale.

X.

LEONARDUS FLAVIO FOROLIVIENSI (1) S.

Quaerit, an vulgus & literati, eodem modo per Terentii, Tulliique tempora Romae locuti sint.

NE forsan tu aliter accipias quam ego, vel ego quam tu, placet ante omnia constituere, quid nobis in controversiam venit. Quaestio nostra in eo consistit, quod tu apud veteres unum eumdemque fuisse sermonem omnium putas, nec alium vulgarem, alium litteratum. Ego autem ut nunc est, sic etiam tunc distinctam fuisse vulgarem linguam a litterata existimo. Pressius quoque, si placet, ista circumscribamus, ut certo tempore locoque diffiniantur. Nam qui apud veteres dicit, nec tempus, nec locum satis certum designat. Sit igitur quaestio utrum Romae per Terentii poëtae, & M. Tullii tempora vulgus ita loquebatur, ut loquuntur hi, quos nunc latine litterateque loqui dicimus, vel alius fuerit vulgi sermo, alius litteratorum. Tua quidem prima ac potissima ratio est, quod Oratores in Senatu, judiciisque, & concionibus latine orabant, quod non fecissent, nisi a cunctis intelligerentur. Praeterea Terentii, Plautique comoediae recitabantur ad populum ea ipsa lingua, qua scriptae sunt, idque signum esse ais, quod eodem modo vulgus loquebatur. Quomodo enim delectarent, nisi intelligerentur? Hae tibi firmissimae probationes videntur, ac certissima argumenta opinionis tuae. Ego autem non majora ista puto, quam nunc sint, Evangelia Missarumque solemnia latine ac litterate in audientium

(1) Historico ac Eugenii IV, aliorumque Pontificum Secretario.

tium turba pronunciari. Intelligunt enim homines, licet inlitterati sint, nec tamen ipsi ita loquuntur, nec illo modo loqui scirent, licet intelligant, propterea quod longe facilius est intelligere alienum sermonem, quam proferre. Discutiamus igitur, si placet, argumenta tua, & quid valeant videamus. Neque enim signis & opinionibus tam assentiri non decet, quam necessariis rationibus; nam opinio & existimatio saepissime fallitur. Duo quidem argumenta per te inducuntur, unum oratorum, alterum poëtarum. Videamus ergo utrunque. Primum igitur Oratores quod in Senatu judiciisque latine, litterateque loquerentur, nichil opinionem tuam adjuvat. Erat enim in Senatu, & judiciis ad homines litteratos Oratoris sermo. Itaque haec duo loca nichil ad rem pertinent tuam. Restat concio, in qua ad doctos simulque indoctos habebatur oratio. Neque enim appellatione populi turba solum, & infimae sortis homines, sed nobiles & ignobiles, doctique, & indocti significabantur. Itaque non ad pistores tantum, & lanistas, sed multo magis ad eos, qui in Reipublicae gubernatione versabantur, & quorum intererat, quid populus decerneret, Orator loquebatur. Praestantes igitur homines Oratorem latine litterateque concionantem praeclare intelligebant; pistores vero, & lanistae, & hujusmodi turba sic intelligebant Oratoris verba, ut nunc intelligunt Missarum solemnia. Nam illud nos latere non debet, Oratores ipsos aliter scripsisse orationes suas, quam dixerant, quod & apud Graecos, & apud latinos exploratissimum est, non quod diversum scriberent, sed quod ornatius, & compitius id ipsum, quod dixerant, litteris mandabant, ut quaedam in concione dicta verbis forsan vulgatis, & apertis, & ad intelligentiam accomodatis, limatius postea, contractiusque scripta legantur. Et

de

de Oratoribus haec michi quidem dicta sint. In Senatu enim & judiciis ad scientes litteras loquebantur litterate: in concionibus vero etiam ad scientes. Aderant quoque indocti quidam: hi sic intelligebant Oratoris verba, ut nunc intelligunt Missarum solemnia. Quare haec tua Oratorum inducta ratio non efficit, id quod vis. Habet enim apparentiam quandam prima fronte, sed si trite discutiatur, nichil admodum importat. De poëtis autem, eorumque fabulis video te longe aliter sentire, quam ego sentiam. Tu enim turbam convenisse putas ad carmina poëtae intelligenda, ego autem convenisse puto ad ludos scenicos spectandos. Itaque non auditores qui aderant, sed spectatores dicebantur. Agebatur enim fabula magno Aedilium apparatu, nec solum gestibus, verum etiam tibiarum modis, & personati e scena prodibant. Ad haec mehercule spectanda non minus hodie populus concurreret, quam tunc concurrebat. Quod autem vera dico, ex Plauti, Terentiique prologis comoediarum intelligi potest. Totae enim ex illorum, qui agebant, opera videntur pendere: *Acta ludis funebribus: modos fecit Flaccus Claudii tibiis disparibus*: non dicit *recitata*, sed *acta*. Agere vero quid est, nisi repraesentare, actuque referre? Quid tibiis modos facere, nisi multitudinem ad spectandum allicere? *Hecyra est huic nomen fabulae, ea cum acta est nova, novum intervenit vicium, & calamitas, ut neque spectari, neque cognosci potuerit: Ita populus studio stupidus in funambulo animum occupaverat*. Et paulo post: *In iis, quas primum Caecilii didici novas, partim sum earum exactus, partim vix steti. Quia sciebam dubiam fortunam esse scenicam, spe incerta certum mihi laborem sustuli, easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem novas*. Quod, inquit, *didici novas*, & *alias discerem*,

aper-

aperte ostendit, ne actores quidem ipsos scripta poëtarum intelligere, nisi a poëtis primo illa didicissent. Si igitur magistri ipsi agendi non intelligebant, multo minus turba, & multitudo. Sed ludos spectabat turba, non verba exaudiebat, oculorum tantum aspectu & tibiarum sono distinebatur. Quod autem subjicit: *Quia sciebam dubiam fortunam esse scaenicam*: idem probat quod dixi. Fortuna enim in scaenicis ludis erat, non in poëtae stylo atque ingenio. Hoc enim in eorum, qui legunt, judicio repositum est, nec fortunae subjacet. Actio autem, & tibiae, & hujusmodi ludicra fortunae spectantium subjacebant. Et paulo post: *perfeci*, inquit, *ut spectarentur*: non dicit *intelligerentur*, sed: *ut spectarentur*. Quod totum est judicium oculorum. Et paulo post: *vobis potestas data est condecorandi ludos scaenicos. Nolite sinere per vos artem musicam recidere ad paucos*. Ex his omnibus patet ad ludos scenicos, & tibias, & actorum personas spectandum multitudinem convenisse. Poëtae autem verba ne actores quidem ipsos intellexisse, nisi prius docerentur. Nichil igitur poëtae, nichil eorum fabulae ad sermonem vulgi pertinent. Non enim intellectum verborum, sed spectaculum ludorum vulgus sequebatur. Quoniam illa, quae putabas firmissima tuae opinionis fundamenta nichil valere ostendi, docebo jam ipse impossibile esse vulgus illo modo, quo tu putas, esse locutum hoc tantum praemisso. Tu ne quaeso, Flavi, cum sis vir doctus, ac litteris expolitus, vel alii, qui tecum sentiunt, animum inducere potestis, ut credatis, nutrices & mulierculas, & hujusmodi turbam ita tunc nasci, ut quae nos tot magistris, tanto usu vix tenemus, illi nullis magistris assequerentur, ut eo modo loquerentur, quemadmodum hi, qui latine litterateque loquuntur, intelligerentque poëtarum co-

moedias nullo prius eos docente? Profecto valde absurdum est ita credere. Atque latina lingua a vulgari in multis differt, plurimum tamen terminatione, inflexione, significatione, constructione, & accentu, de quibus omnibus simul dicamus, nam seorsum prosequi singula longum foret. Mulierculae igitur illae, ac nutrices tuae si de supellectili recte dicendum erit, supellex dicent. Rursus vero si inclinandum, ita ut possessionem vel generationem significet, supellectilis dicent, & si poscat intentio supellectili supellectilem variabunt, eaedemque cum pluraliter dicendum erit, supellectilia variato genere pronunciabunt, & supellectilium, & supellectilibus. Per Deum immortalem nonne videtis impossibilia vos credere? Difficile nomen capis, inquies. At tu facilius aliquod cape. Dominus recto dicent, flectent vero cum opus fuerit, ut dicant Domini, Domino, Dominum, & si de foeminis dicendum sit, dominabus, filiabus, libertabus dicent, quae de maribus Dominis, filiis, libertisque dixerunt. Vix mehercule cum disciplina & regula hoc facerent, ne dum sine disciplina & regula. Fero verbum est, a quo tuli, latum, sustuli, sublatum. Cado, cecidi, si casum significet: si caedem cecidi media producta. Ita quaeso internoscent mulieres & turba, atque ita loquentur? Pulso & vapulo alterum active, alterum passive dicimus eadem voce. *Ego vapulando, ille verberando usque adeo defessi sumus* inquit Poëta. Tu mulierculas, & nutrices, & hujusmodi quisquilias haec intelligere, ac eodem modo loqui putas? Abfuit, & defuit duo sunt, quorum alterum laudem, alterum vituperationem significat. Sinapis latine dicimus media producta, & Polixena brevi penultima. Virgili autem, & Mercuri vocativo penultimam natura brevem pronunciamus, ut longam. Video te,

invi-

invideo tibi, salutem dico tibi, interdico tibi bonis, non bona. Haec ne quaeso mulierculae, & nutrices, & vulgus illiteratum dicent, quae nos litterati vix dicere valemus? Quid si probo per ea tempora vulgarem sermonem distinctum a literato fuisse? Nonne desistere debes talia opinari? Duellium, qui classe poenos superavit, vulgo Bellum appellatum fuisse Cicero tradit. Ergo aliter vulgus, aliter literati nuncupabant. Varro villam a Veho dictam putat, adducit vero conjecturam, quod rustici pro villa vella dicunt, pro vectura quoque vellatura. Quid amplius egemus testibus? A vulgo vellatura & vella, a literatis vectura & villa dicebatur. Alius ergo vulgi sermo, alius literatorum. At enim Cicero ait de quodam: *Putabatur bene latine loqui sed litteras nescicbat*. Non diceret hoc Cicero, nisi sibi in illo uno admirabile videretur. Quod enim miratur in illo quasi singulare, probat in aliis hoc nusquam fuisse. At concio clamavit, cum a Carbone diceretur, patris dictum sapiens filii temeritas comprobavit. Quidni? Cum adessent in concione docti complures, & inter ceteros M. Cicero? Se enim in concione stante hoc dictum fuisse testatur. Denique judicium numerositatis commune est avium, & non intellectu rerum, sed longitudine brevitateque spiritus adnotatur. At filia Laelii praeclare latine, & mehercule Sapphos praeclare graecis versibus scripsit poëmata. Quis enim negat, mulieres quasdam doctas fuisse, ut Cornelia Graccorum, & Epicarmi poëtae filias, & alias latinarum graecarumque complures? At Cajus Curio nichil admodum sciebat literarum: tamen est inter oratores numeratus splendore, & copia optimorum verborum. Credo stadia haec majora non attigerat. Sed idem Curio orationes suas, & dialogos scripsit. Qui autem cogitationes suas

litteris mandarit, eum dicemus litteras nescivisse? At domus ei contulit ad verborum copiam. Fateor: parentes enim litterati, & servi, matres etiam si elegantes sunt, adjuvare eloquentiam filiorum possunt. Denique etiam hodie mulieres Romanae judicio meo elegantissime loquuntur, & purius certe, quam viri. Et quanquam non litteratus sit earum sermo, potest tamen figura ipsa dicendi, nitorque verborum eloquentiam adjuvare. Me audiente Matrona quaedam Romana, quod se antecedebat plebeia mulier, indignabatur: *proh Deum*! inquit, *quam omnis observantia omnisque consuetudo laudabilis per haec tempora defecit? Quam confusi sunt ordines cuncti, gradusque dignitatis?* Deinde conversa ad eam, quam indignabatur: *tu ne*, inquit, *cum sis plebejo patre, plebejoque viro, me equestri familia ortam, Equitique Romano nuptam antecedere non erubescis? Sed quid ego de me? Jam, si Deo placet, etiam te patriciis mulieribus antepones?* Haec illa puro nativoque Romano proferebat sermone, ita ut admodum sim equidem delectatus, cum & verba, nitorem, gravitatemque sententiae, & pronunciatio ipsa vernaculam quandam haberet suavitatem. Hoc ego modo filiis matres, & nutrices alumnis profuisse ad elegantiam puto. Non quod casus inflecterent, aut verba variarent ac terminarent litterate, sed quod purum, & nitidum, ac minime barbarum sermonem infunderent. Nam & habet vulgaris sermo commendationem suam ut apud Dantem poëtam, & alios quosdam emendate loquentes apparet. Haec ad libellum tuum respondisse volui, quibus si te in sententiam traxi, satis dictum puto; sin perstas in opinione tua, nec rationum necessitati cedis, plura etiam polliceor in eam sententiam me esse dicturum. Vale.

XI.

XI. (1)

LEONARDUS PHILELPHO S.

Lapum a se in clientelam receptum scribit, & de versione Politicorum monet.

LApo, quem michi per tuas litteras commendas, obtuli equidem me, & mea, eritque posthac in eo, si uti volet, cum ob commendationem tuam, tum etiam ob naturam meam, quae studiosis hominibus sponte benivolentiam, caritatemque impartit. Quod autem certior fieri cupis de rebus meis, eadem est conditio, quae prius. Illud enim nostrum tenemus institutum, ut Reipublicae, quod debetur a nobis officium, sincere exhibeamus, in ceteris vero nequaquam studiosi. Tempus autem quodcunque nobis ab officio supersit, libenter ad studia referimus litterarum. Aggressi nempe sumus post discessum tuum Aristotelis Politicorum libros perficere, quos, ut scis, traducere jampridem coeperamus. In his nunc versatur plurimum cura, & cogitatio nostra. Vale.



(1) Hanc quoque Epistolam in Edit. sua reliquit Fabricius. Nos ex edit. vet., & MS. restituimus.



LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM

LIBER SEPTIMUS.



I.

LEONARDUS COSMO (1) S.

Socraticae philosophiae praeconia haec epistola continet.



IN Sympósio Platonis amoenissimo omnium libro Socratis philosophi laudes festive simul, periteque enarrat Alcibiades. Ejus verba tibi mittere constitui in latinum sermonem traducta. *Dico igitur*, inquit *Alcibiades*, *Socratem esse persimilem Silenis istis*, *qui* *ab*

(1) Mediceo Viro aetate sua admirabilis eloquentiae, ac morali philosophiae praecipue dedito, qui Leonardum, & Carolum Arretinos, Nicolaum Nicolum, Poggium aliosque opibus, ac benevolentia prosecutus est. Vide Accoltum.

ab Sculptoribus inter imagines figurantur, quos faciunt artifices-fistulas aut tibias tenere. Qui si bifariam divisi, atque aperti sint, reperiuntur intus imagines habere Deorum. Rursusque eum dico persimilem esse Satyro Marsiae, & quod aspectu quidem persimilis eis es, ne tu quidem, o Socrates, negabis. Quod vero in aliis quoque similitudinem eorum habes, deinceps jam audi. Procax tu quidem es an non? Si non fateris, equidem testes adducam. An non cantator longe melior, quam Marsia? Ille enim instrumentis quibusdam homines trahebat ab oris potentia, & nunc etiam, si quis modulationem illius canat. Nam illa, quae Olympus cecinit ab eo doctus, Marsiam dico cecinisse. Quae igitur ille carmina cecinit sive bonus alter quis, sive malus ea canat, sola abstrahunt animos, ostenduntque, quinam diis & mysteriis indigent, ex eo quod sacra sunt. Tu autem illi tantum superexcellis, ut sine ullo instrumento nudis quidem verbis hoc idem efficias. Nos certe quotiens alium audimus alterius verba referentem, etsi nimium oratoris boni, tamen nullius, ut ita dixerim, illa facimus. At cum te quis audit, vel cum tua verba referente alio, quamvis ille ineptus sit qui refert & sive vir, sive femina, sive adolescens, obstupescimus quidem, ac mente corripimur. Equidem nisi ebrius nimium michi ipsi viderer, jurejurando interposito affirmarem qualia ob hujus verba michi dudum contigerint, contingantque etiam nunc, quotiescunque hunc audio: multo certe etiam magis, quam ii, qui Corybantum more deferuntur, cor in me concitatur ob hujus verba, lacrymasque effundit, videoque multis aliis hoc idem contingere. Et dum Periclem audio, ceterosque oratores bonos, videntur illi michi praeclare dicere. Sed nichil tale michi contigit, neque concitatur animus, neque se ipsum quasi serviliter viventem condemnat.

Sed ab hoccine Marsia nostro saepe ita inflector, ut existimem nullo modo in hoc statu vitae michi esse vivendum. Quin etiam certe scio, si nunc in hoc ipso tempore aures illi praestare velim, quia nequaquam tolerarem, sed eadem illa michi evenirent. Cogit enim me fateri, quod cum ipse ego in multis deficiam, tamen me ipsum negligo, remque Populi Atheniensium curo. Vi ergo quasi adversus Sirenas obturans aures hunc fugio ac vito, ne apud eum studens, consenescam. Patior vero erga hunc, quod nemo existimaret, ut cujusquam pudore, ac verecundia detinerer. Conscius enim michi sum, defendere non posse, quin sint agenda quae jubet; sed cum ab eo discedo, cupiditate, ambitioneque sentio me superari. Fugio ergo istum, atque vito, & quotiens ipsum intueor, pudor ac verecundia me capit, ut saepe cupiam hunc in rebus humanis non esse. Rursus vero si hoc accideret, scio quod longe magis dolerem. Itaque quo me vertam, aut quemadmodum hoc utar nescio, & a cantu quidem ac modulationibus Satyri hujus talia michique & aliis contingunt. Cetera vero audite, ut similis sit his, quibus eum assimilavi, & vim, quam admirabilem habeat, intueamini. Pro certo quidem scitote, o viri convivae, neminem vestrum Socratem cognoscere. Sed ego patefaciam ipsum, atque ostendam, quandoquidem dicere incoepi. Cernitis enim, ut formositatem, ut divitias, ut honores, ut cetera hujusmodi admirari videtur, ut ea laudet, ut obstupescat? Scitote igitur cum hac habitus forma exterius amiciri tanquam sculptus quidam Silenus: intus vero si aperiatur, quanta Dii immortales inest castimonia, quanta integritas! Sciatis enim, quia neque pulcritudinem corporis cujusquam quicquam aestimat, neque divitias, neque honores, neque cetera, quae vulgus admiratur, sed ea cuncta longe spernit, ac pro nichilo ducit. Fingit

tamen

tamen aliter, ac jocari de iis rebus erga homines nunquam cessat. Serio autem agentis, atque intus aperte nescio si quisquam vestrum preciosissimam illius aspexit imaginem. Ego certe quandoque eam aspexi, ac michi visa est usque adeo divina, & aurea, & formosa, & mirabilis, ut nullo modo fas sit a me silentio praeteriri. Equidem jam quodam tempore, o viri convivae, magnum aliquid, & mirificum de me ipso, ac de formositate mea sapiebam. Ardebam vero discendi cupiditate. Non dicerem ea, que dicturus sum, nisi apud eos convivas loquerer, quos semper quasi vesano quodam Philosophiae furore correptos, baccantesque conspexi Phaedros, Agathones, Thrasymachos, Pausanias, Aristodemos, Aristophanes, Socratem denique ipsum, & ceteros. Haec enim, nisi sauciis eodemque modo affectis narranda non essent. Quare vos audientes michi veniam dabitis pro his, quae tunc a me facta, & nunc dicta fuerint. Famuli autem, & si quis alter adsit prophanus, & agrestis nimium forte aures obturent. Ego igitur astrictus vehementiori Philosophiae morsu, & sive cor sive animum sive quomodocunque id appellandum sit saucius cupiditate in Philosophia sermonum, qui occupant magna violentia juvenilem animum, neque dimittunt, cum semel momorderint, compelluntque ad quicquid tandem sit faciendum atque dicendum, illud unum enixissime conandum michi proposueram, quomodo Socratem ad explendam hanc mei animi cupiditatem michi adjutorem quam conjunctissimum facerem. Itaque totis, ut ita dixerim, castris illi insidiatus sum, & forma & divitiis, & omnifariam illecebris, quibus promoveri homines solent. Pudet me referre, quas illi insidias tetenderim, quam ingeniose, quam efficaciter, quam vel dissimulanter, vel aperte. Denique cuncta expertus nichil unquam proficere valui. Nam opibus,

aut

aut divitiis me ipse quidem multum sperabam illum posse deflecti, neque forma, ceterisque illecebris, quibus ego maxime fidebam, in aliquo unquam deflecti sanctitas ejus, & integritas potuit, hominemque plane totum intus prospexi, atque intuitus sum preciosissimam illius effigiem mirabili stupendaque sanctimonia praeditam, occulentemque jocundis verbis internam mentis animique severitatem. Itaque licet ab eo spretus atque contemptus viderer, perseveravi tamen in ejus amicitia, sapientiam, constantiam, & integritatem hominis obstupescens, virum talem nactus, qualem me reperturum esse nullum credideram. Procedente post haec tempore militia illi simul, michique obvenit ad Potideam, fuimusque Socrates, & ego in eo exercitu contubernales. Quod autem illic egerit, quaeso attendite. Primum enim laborum patientia non me solum, sed alios longe superabat, & si quo in loco, ut accidere solet in bello, commeatus deficeret, nulli pares huic reperiebantur ad famem, sitimque perferendam. Rursus vero in abundantia rerum, & conversatione, mensaque militari solus iste frui posse videbatur; & quanquam bibere nollet, tamen si cogebatur, omnes protinus bibendo longe vincebat. Et quod mirabile est, ebrium nunquam eum quisquam conspexit. Adversus autem hyemes & frigora, quae illis in locis asperrima sunt, mirabilia faciebat. Quandoque enim gelu maximo intolerabilique facto, ita ut nulli exire de tabernaculis auderent, & si qui exibant, non nisi suffarcinati admodum, pedesque & crura pellibus ac fasciis mirabiliter circumvoluti, Socrates per hoc tempus ita exibat cum ceteris militibus, ut nichil ad eam vestem adjungeret, quam primo ferre solitus erat. Decalceatus vero per glaciem facilius incedebat, quam alii calceati. Milites vero haec intuentes se contemni ab eo suspicabantur, &

in

ns bis quidem talis erat Socrates. Quid autem fecerit tolerantissimus vir in eodem exercitu, opere pretium est audire. Nam cum aliquando sibi cogitatio quaedam incidisset, stetit cogitans eodem vestigio a matutino tempore. Cumque explicare id quod cogitarat non daretur, perstabat cogitans, neque dimittebat, & jam meridies erat, hominesque id senserant, ac mirabantur, alterque narrabat alteri, Socratem ab aurora stetisse cogitantem. Demum vero ab Jonia quidam milites, cum nox jam adesset, cenati prius, erat enim tunc aestas, circa eum strata posuerunt, jacueruntque sub divo illum observantes, an per noctem quoque perseveraret. Socrates vero stetit usque ad auroram sequentem, ac solis exortum. Postea vero abiit, cum jam solem nascentem salutasset. In proeliis quoque qualis fuerit, non est silentio praetereundum. Nam cum ea pugna fuit, ex qua me quasi optimum pugnatorem Duces exercitus donaverunt, nemo alter hominum me servavit, quam Socrates. Videns enim me graviter vulneratum nequaquam deseruit, sed ante me prosiliens me ipsum, atque arma mea protexit, ab hostibusque servavit. Atque ego tunc ista praedicans conatus sum, ut non michi sed Socrati huic, a quo servatus eram, dona illi traderentur; verum Duces ad familiae respicientes dignitatem, me donare maluerunt ipso quidem Socrate, ut dona michi, non sibi tribuerentur, in primis annitente. Illud quoque dignum est memorari, quemadmodum fuga nostrorum apud Delium facta, Socrates se gessit. Nam interfui quoque huic proelio, & quidem ex equo pugnans, cum Socrates ipse pedes esset. Profligatis igitur nostris, ac fuga jam omnium facta, Socrates una & Laches qui tunc erat Praetor, pedem referebant. Atque ego cum in hos casu incidissem, bono animo esse jussi, meque nunquam deserturum eos edixi. Hic igitur

tur eo melius aspicere potui Socratem, quam apud Potideam, quo ipse confisus equo minus formidabam. Primum igitur intueri licebat, quanta Lachetem constantia, ac praesenti animo superaret. Deinde ut hostes simul, civesque vicissim respiceret oculis & aspectu prae se ferens, si quis eum invadat, non esse id impune facturum. Itaque tute abibat & ipse & alter; fere enim qui ita cedunt nemo eos invadit, sed eos, qui effusa fuga deferuntur. In multis quidem igitur aliis mirifice laudari Socrates potest; sed talia sunt, ut ceteri quoque forsan nonnulli eandem laudem mereantur. Verum illa praecipua in isto, per quae nemini aliorum hominum, neque antiquorum, neque modernorum esse similis reperitur. Nam qualis Achilles fuit, talem conjectet forsan aliquis fuisse Brasidam, & alios quosdam, & qualis Pericles, tales Anthenora, & Nestora. Sunt alii quoque, qui isto modo assimilari possint; sed qualis Socrates est, qualisque ejus dicendi ratio, nemo prope ad ejus similitudinem accedit, neque veterum, neque eorum, qui nunc sunt, nisi, ut ego nunc dixi, atque assimilivi: quippe nulli hominum, sed Silenis & Satyris. Nam & hoc a me praetermissum erat prius, sermones ejus persimiles esse Silenorum imaginibus ab artificibus factis. Si quis enim hujus sermones audiat, videntur prima facie nimium esse absurdi. Nomina quippe, & verba exteriori aspectu Satyri cujusdam procacis habitum prae se ferunt. Asinos enim, & canterios, fabrosque, & sutores & coriarios semper habet in ore, eademque semper dicere videtur, ut omnes fere, qui non intelligentes sint, illius verba irrideant. Verum enim si intus aspiciat quis ejus sermones, primo quidem reperiet sensuum profunditatem habere solos aliorum omnium & insuper divinissimos esse, ac plurimas virtutum speciosissimas imagines continere, ac per omnem vitam ad bene vivendum extendi.

II.

II.

LEONARDUS REGI HISPANIAE S.

Hispaniam laudat, docetque maximos Romani Imperii ex Hispanis fuisse.

SErenissime ac gloriosissime Rex. Cum vehementer flagitarent quidam familiares tui, ut scriberem aliquid ad Regiam Sublimitatem, satis diu renuere perseveravi, nec profecto, ut michi videbar, sine probabili ratione. Quid enim ego pusillus homo & incognitus, maximo clarissimoque Regi non lacessitus primo litteris, non proposita quaestione aliqua provocatus scribere ipse ultro, ac memet ingerere auderem? Sed cum illi ipsi non reciperent justissimas excusationes meas, & quicquid a me scriptum fuisset, id humanitati tuae pergratum fore affirmarent, dare tandem manus, ac morem eis gerere constitui. Quid ergo scribam Serenissime Rex? Aut quibus initiis aures tuas demulcebo? Scio enim magno Regi non nisi sublimia & magnifica convenire: sublimiora vero, ac magnificentiora quaenam esse possent, quam ea, quae splendorem & gloriam, & incomparabilem laudem gentis tuae contineant? Haec igitur michi prima congressio est, primaque scribendi materia. Errant Serenissime Rex, qui gloriam Romani Imperii Gallis, aut Germanis attribuunt. Hispaniae est haec gloria, Hispaniae hic honor est proprius. Ab Hispania enim Trajanus, ab Hispania Adrianus, ab Hispania Theodosius, ab Hispania Arcadius, ab Hispania Honorius, ab Hisp-

Hiſpania alter Theodoſius Imperatores Romanorum fuere, ut non minus vere, quam eleganter a Claudiano poëta ſcriptum ſit, Provinciarum alias frumentum, alias ferrum, alias aliud quiddam mittere conſueſſe; ſolam vero Hiſpaniam Imperatores Imperio Romano dare. At quales Imperatores? Nam in hoc totum conſiſtit. Nempe equidem reor, imo probare poſſim, ac ratione certa oſtendere, Trajanum ſolum longe plus in ſuo imperio poſſediſſe terrarum ac provinciarum, quam omnes Caroli, omnes Othones, omnes Friderici, & Henrici in unum collecti poſſederunt. Siquidem Trajanus a Babylonia & Theſiphonte uſque ad Gades, & Oceanum cuncta poſſedit, & in rubro Mari ſolus Romanorum Principum claſſem habuit, per quam Indiae fines vaſtaret, Aegyptum, & Africam totam ſub imperio tenuit. Gallia vero, & Germania, & Dacia uſque ad Scythiam & Caſpium Mare illi paruit. Ad haec autem ſi comparetur omnis poſſeſſio Gallorum Germanorumque Principum, qui unquam fuerunt, vix unius Provinciolae locum obtinere videbuntur. Quamobrem plus ille ſolus, quam hi omnes ſimul in unum coacervati terrarum, Provinciarumque poſſedit. Idem dico de Hadriano: quanquam ille pacis avidior, vel Trajani gloriae invidens ex Aſſyria & Meſopotamia, quae a Trajano ſubjectae fuerant, legiones revocarit. Sed fuit Princeps maximus, & non armorum dumtaxat, verum etiam litterarum ſcientiſſimus. Poſt hos duos praeſtantiſſimos Imperatores ſatis longo intervallo Theodoſius imperavit. Hic quoque & Orbem terrarum poſſedit, & virtute non inferior ſuperioribus fuit, qui poſt multas, egregiaſque victorias, admirabileſque res geſtas Mediolani è vita decedens filios reliquit duos, quorum Arcadio, qui erat major natu, Orientem aſſignavit, &

apud

pud Conſtantinopolim ſedem Imperii tenere juſſit, Honorio autem Romam, & Italiam cum Gallia, & Germania, Africaque tota, & Hiſpaniis attribuit. Hos ecutus eſt alter Theodoſius Arcadii filius, qui patri, patruoque ſucceſſit. Hi ergo Imperatores eo empore fuerunt, quo vere Romanum erat Imperium. Nunc autem ut eſt, vel ut jampridem fuit non ignoramus. Sola igitur Hiſpania eſt, cui haec gloria ſit prae ceteris tribuenda cum propter excellentiam maximorum Principum, tum propter Imperii non umbratilem, ſed veram poſſeſſionem. Sed ur haec ad me ſcribis, inquies? Ut ſi tibi nota ſunt, ratuler ſcienti; ſi non ſunt nota, ut faciam, teque Regem maximi opulentiſſimique Regni Juvenem ummae ſpei per exemplum tantorum Principum, quos Hiſpania genuit, ad excellentiam virtutis, ac maximarum rerum aviditatem cohorter. Vale, & Benedictum Ananienſem [1] doctum hominem, & bene iteratum, qui in obſequio tuae Praecellentiae degit, rogo ſuſcipias recommiſſum.

III.

LEONARDUS BARTHOLOMAEO S.

Scripta ut vultus, & oculos eſſe animi indices.

VOluntas deprehenditur animi non tam ex verbis, quae ſimulata eſſe ſolent, quam ex vultu ipſo atque oculis ejus, qui cum loquinur. Unde vultum putant ab eo dictum, quod, uid velimus, per ipſum ſignificetur. Hoc idem mihi frequenter in epiſtolis quoque videor intueri:

Sed

1) Benedictum Anagninum, ad quem exſtat Epiſt. X. hujus Libri.

ſed ita, ſi bonus ſit ſcriptor. Nam imperitus ſcribendi quaſi fanaticus quidam, neque quid ſentiat, neque quid velit, ſignificare valet. Sed in bono ſcriptore praeter verba & ſonum, ineſt profecto aliquid repoſitum, & tacitum indicium animi, quod ut in loquente ex oculorum motu, ſic in ſcribente ex vibratione ipſa orationis deprehendas. Nempe tuas inter, & aliorum litteras hoc intereſſe video, quod illi ad me ſcribentes externo quodam, & communi, tu autem interno, ac praecipuo amore mei deflagras. Quid enim tam affectuoſum, quam tua epiſtola, quae cum verbis facundiſſima ſit, habet tamen in ſe tacitum quiddam amoris ac benivolentiae longe ardentius. Quod etſi michi pergratum eſt; tamen efficit, ut tibi me, meaque laudanti minus fidei impendam, quaſi affectione nimia, quominus recte judices, impediare. Sed non plura de hoc, praeſertim cum ſit non novum, ſed antiquum me a te obſervari unice, atque amari. Quod autem decreto Civitatis Anconitanae vocatus ſis ad negocia Reipublicae obeunda, id tibi & honeſtum imprimis, & honorificum duco. Eſt enim Civitas illuſtris, ac famoſa, caputque provinciae magnae, ac notabilis, cui etiam nomen dari pro excellentia meruit, ut Anconitana Marchia nuncuparetur, portumque habet inſignem, cives autem & prudentes, & graves, morumque, & civilitatis, ut ita dixerim, obſervantiſſimos. Adde ad hoc, quod eadem Civitas altera ſemper patria Aretinorum fuit, quod benivolentiam & affectionem tuam plurimum debet incendere. Tu igitur fide, virtute, induſtriaque tua quotidie magis annitere, quo cumulatum, integerrimumque obſequium illi perſolvas. Vale. Scribo epiſtolam unam Cyriaco, quam leges, & ut ſibi reddatur, curabis. Iterum vale.

IV.

IV.[1]

LEONARDUS ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI S.

Defendit suam Aristotelis translationem.

CUM per se ipsas michi gratissimae fuerunt litterae tuae, tum gratiores eas fecit, quod libellum Alphonsi[2] praestantissimi viri pro antiqua Ethicorum interpretatione scriptum una cum ipsis litteris ad me misisti. Quem cum legere coepissem, statim a proëmio ridere michi contigit. Siquidem ut olim Stephanus veritatem novam praedicans a Judaizantibus, hoc est a veteris legis defensoribus lapidibus impetitus est; ita nunc me novam ac veram traductionem edentem veteris illius non traductionis, sed delirationis defensores lapidibus impetere comminantur. Dignam profecto mercedem vigiliarum mearum, quas pro communi utilitate suscepi, ac bonam nimirum gratitudinem, ut si alius quidam phrenesi correptus venientem ad se medicum lapidibus repellat. Sed de lapidibus quidem, quemadmodum urbane ac non maligne ab illo praestantissimo viro dictum est, sic ego urbane suscipio, nec miror id michi accidere, quod ne Hieronymus quidem vir doctissimus potuit evitare, adversum cujus

(1) Haec desideratur in edit. Brix. Porro scripta est ad Franciscum Piccolpassum Bononiensem, qui tunc Mediolanensi Ecclesiae praesidebat, non ad Bartholomaeum Capram, ut perperam putabat Cl. Fabricius.

(2) Alphonsi de S. Maria, sive de Carthagena.

interpretationes fidelissimas quidem, ac verissimas quidam illius aetatis homines nec hi sane admodum indocti reclamabant, jejunitatem, & famem, & ineptias antiquae litterae praeferentes. Est enim quibusdam natura insitum, ut quae in adolescentia perceperunt, obstinate defendant, idque faciunt non tam scientia rerum inducti, quam inveterata quadam existimatione. Hi tunc repugnabant adversus Hieronymi utilissimos labores, & nunc adversus ista nostra pares quidam, ac similes illorum repugnant. Verum ut illi tandem a veritate ipsa fracti manus dare coacti sunt: sic nostros istos refragatores confido manus tandem esse daturos. Non enim incerto vacillantique judicio interpretationem fecimus, sed certissima exploratissimaque ratione. Itaque victa demum repugnatorum protervitas, & a veritate ipsa increpita conticescet. Quanquam cui unquam facilior, ac prosperior cursus fuit, quam interpretationi nostrae? quam, simul atque edita est, sic arripuerunt homines, ut momento paene temporis non solum Italia voluminibus ejus repleta sit, verum etiam ad extremas terrarum oras convolarit, ut publica jam lectione studiorum celebretur. Alphonsus vero iste corrector noster permultum, ut video, de nobis fallitur; putat enim me quendam e turba hominem temerario ausu ad haec scribenda prosiluisse, neque studia nostra, neque diligentiam novit, neque gravitatem, religionemque, cum qua semper viximus, emetitur. Itaque ignarus horum omnium puerilia quaedam de nobis suspicatur. Inquit enim me posse fingere ita in Graeco esse, cum non sit. Errat videlicet in eo, quod me solum putat Graecae linguae studiosum, ac nescit plenam esse Italiam doctorum hominum, qui Graecas pariter, Latinasque litteras tenent, qui & ista nostra quotidie legunt, & eorum censuram ne-

necessario subimus, & certe non inviti, qui libenter nos arguerent, si quid falsó confingeremus. Quamquam quae causa nobis esset tantae vanitatis? Certe si bonus vir est Alphonsus, non deberet de alio talia suspicari. Illud etiam in eo puerile, ne dicam leve, quod Demosthenis, Aeschinisque orationes illas famosissimas in causa Ctesiphontis, ne a Cicerone furatus sim, suspicari videtur. Inquit enim se legisse a Cicerone jam fuisse translatas, ac nescire se, si illas viderim. Hoc perinde est, suspicor ne Ciceronis sint, hic autem suas esse confingit. O sapientem hominem! putat enim se dicere aliquid magnum ac novum, cum dicit legisse se, a Cicerone jam fuisse translatas. At mehercule nemo puer, qui modo quatuor pagellas legerit, hoc ignorat. Est enim mille locis scriptum, orationes istas, & Xenophontis Oeconomicum, & Prothagoram Platonis a Cicerone in latinum fuisse conversos, & insuper Arati librum de Figuris Coelestibus, qui libri omnes jamdiu periere. Extat solummodo praefatiuncula quaedam Ciceronis, quam illis orationibus ascripsit, quae est in manibus omnium. Orationes tamen ipsas ab adolescente Cicerone latinas factas, nec ego, nec quisquam aetatis nostrae unquam conspexit. Sed ne suspicetur Alphonsus, illud sciat, nos non modo illas, sed alias insuper satis multas Demosthenis orationes, quas Cicero nunquam attigit, e graeco traduxisse, ut satis grande volumen earum a nobis traductarum existat, quas a Cicerone furatum nemo suspicari me potest. Illud etiam leve, quod Italicos statim calamum arripere inquit, quod ociosi sint: Hispanos vero, quod Regia curia sint occupati, calamo vacare non posse. Quasi vero Itali non Curiam habeant Romanam multo certe majorem, quam sit Regia, & infinitas publicarum, privatarumque re-

rum occupationes. Nec ſane conſentaneum eſt, ut in extremo mundi angulo plus humanarum occupationum ſit, quam in medio. Sed haec relinquamus. Sunt enim generaliora, & de cauſa noſtra dicere proſequamur. Si tantummodo conſuleret amico ſuo Alphonſus, ut veterem interpretationem legeret, non autem novam; ſilerem equidem, atque conticeſcerem. Eſt enim liberum cuique pro captu intelligentiae ſuae conſilium dare. Sed cum non contentus conſilio, refellere quaedam, improbareque nixus eſt, honeſtum michi fuerit defenſionem ſuſcipere. Illud igitur moneo, ut patienter ferat vice verſa redargui. Neque enim pugil ea lege in certamen deſcendere debet, ut percutiat ipſe alios, non autem percutiatur. Ac primum de perſona reprehenſoris mei dicam, poſtea vero de re ipſa, quantum neceſſarium erit, tranſigam. Magnum eſſe hominem Alphonſum exiſtimo, idque ex proëmio hujus libelli apparet. Eſt enim, ut video, juris profeſſor eximius quod principale ſtudium ejus eſſe videtur, & etiam, ut ipſemet in praefatione hujus libelli praedicat, frequentibus, ac magnis occupationibus regiis occupatus. Retinet in iis ipſis occupationibus admirandam curioſitatem, ut noſcat, ſi quiſquam aliquid novi in jure, quae ſua eſt profeſſio, ediderit. Sacrae Paginae codices familiariſſimos habet, nec iis contentus philoſophiam ſibi aſciſcit, Platonem, & Ariſtotelem cum Theophraſto & Archeſilao indagatur, Ciceronis ac Senecae libros crebro evolvit, Quintilianeae diſciplinae non parcit, Poëtas, & Hiſtoricos omnes pariter novit, ac in deliciis habet. Praeſtantiſſimum hominem negare non poſſum, qui tot, & tanta tam varia ſciat. Noſtri quidem Itali, qui juris ſtudium profitentur, nichil fere aliud ſciunt, quam ipſum jus, & ſi in ceteris vagentur ſtudiis, ac Philoſophis

& Poë-

& Poëtis, & Oratoribus, & Historicis impartiri operam velint, ridiculi habentur. Nichil enim plane tenent, qui cuncta sectantur. Contingit enim illis, quod de viatoribus dictum est, permultos quidem habere hospites, sed amicos nullos. Si igitur Hispani tanta, ac tam multa & varia possunt, congratulemur Hispaniae, quae tales viros producit. Si Alphonsus unus, congratulemur soli. Nostris ego hominibus suaderem, ut juris periti in jure suo se contineant, aliena vero castra non temere ingrediantur. Nulla enim disciplina, quae non aetatem hominis totam occuparet, beneque agi existimandum est, si singuli singulas adipiscantur. Nec ego illos reprehendo, qui multa ista ac varia quantulacunque ex parte attigerint; sed illud moneo, ne cum superficiem aliquam norint, sibi de tota re judicium arrogare pergant. At de persona quidem in hunc modum a me sine ulla contumelia dictum sit. De re autem ipsa principalique negocio, quid ipse sibi velit, vix equidem intelligo. Omnis quippe contentio nobis de interpretatione est: interpretatio autem omnis recta, si graeco respondet, viciosa, si non respondet. Itaque omnis interpretationis contentio unius linguae ad alteram est. Hic autem graecam linguam se ignorare fatetur. Quae igitur mecum disputandi ratio illi relinquitur, nisi per divinationem quandam rei penitus incognitae? Si nescientem se plus in ea lingua intelligere putat quam ego, qui scio, intolerabilis est; sin me plus intelligere concedit, quid mecum contendit? Confero, inquit, antiquam interpretationem ad tuam, quod possum, & illam longe antepono. Utrum tu eam anteponis, quia elegantior sit, an quia verior? Si quia elegantior, nichil profecto sapis: si quia verior, quomodo id judicare poets, qui graecum nescis, ad quod omnis veritas interpretatio-

nis est necessario referenda? Nullo certo modo, nullaque ratione. Itaque tecum de veritate interpretationis contendere nichil est aliud, quam cum vaticinante aliquo, somniant eve contendere. Quid tu ergo michi de bono potius, quam de summo bono interpretando vaticinaris? Quid de re tibi incognita disceptas conjecturam afferens, quamobrem bonum dicendum sit, non summum bonum, & inquis me, qui statim ab initio erraverim, in multis postea verisimiliter erravisse? Profecto si intelligas, quam inepta dicas, taceres potius, quam loquereris. Graeca enim litera, quam tu penitus ignoras, summum bonum habet expresse, quod Graeci per unum verbum significant τἀγαθὸν, idque etiam in libro Ethicorum decimo manifestius patet, ubi opinionem recitat Eudoxi. Inquit enim: *Eudoxus summum bonum voluptatem esse censebat: propterea quod omnia rationabilia & irrationabilia eam appetere cernebat. Singula enim, quod sibi bonum sit, reperire, quemadmodum escam. Cuncta vero in idem ferri, omnibus optimum esse significare. Quod autem omnibus bonum sit, & quod omnia appetunt, id esse summum bonum.* Hic eadem verba sunt, eademque sententia, quae in principio Ethicorum. Tuus autem Interpres in principio Ethicorum dixit, *bonum, quod omnia appetunt*. In decimo autem, quia videbat absurdum esse dicere, *quod omnibus bonum sit, & quod omnia appetunt, id esse bonum*, mutavit sententiam, & dixit: *per se bonum, quod omnia appetunt*, nec puduit ex eodem verbo modo *bonum* interpretari, modo *per se bonum*. Sed tamen, qui in decimo dixit *per se bonum, quod omnia appetunt*, corrigere voluit se ipsum quod in primo dixerat, *bonum, quod omnia appetunt*. Non enim primis ultima, sed ultimis prima corriguntur. Atque ut intelligas quantum fieri potest

licet

licet graecae linguae ignarus ſis, tamen ſcire debes, non idem eſſe verbum in graeco, dum dicit, *aliquod appetere videtur*, & paulo poſt dum dicit: *propterea bene oſtenditur ſummum bonum, quod omnia appetunt*. Sed in primo eſt verbum ἀγαθὸν, quod ſignificat *bonum*: in ſecundo eſt verbum τἀγαθὸν, quod ſignificat *ſummum bonum*. In quo ſi michi non credis, audi quaeſo Euſtratium graecum auctorem doctiſſimum hominem, & horum ipſorum librorum commentatorem, quomodo hoc ipſum verbum exponat. τἀγαθὸν, inquit, *quod componitur ex τὸ, & ἀγαθὸν, nichil ſignificat aliud, quam primum bonum, ac ſummum bonum, & eſt ſcientia quidem ἀγαθὸν, non tamen τἀγαθὸν, & virtus ἀγαθὸν, non tamen τἀγαθὸν. Sic per hoc elementum τ oſtenditur principium, & cauſa, ac velut extremum omnium bonorum*. Quid ais ad haec? An hi ſunt errores mei, quos ſtatim ab initio deprehendiſſe jactas? An non vides ſtare non poſſe, ut τἀγαθὸν interpretetur *bonum*, & interpretem tuum ſe ipſum poſtea corrigere voluiſſe, ac pro *bono* poſuiſſe *per ſe bonum, quod omnia appetunt*? In quo etiam defectus fuit poſuiſſe per *ſe bonum*, cum *per ſe bonum* non illud oſtendat, quod vult. Quaecunque enim propter ſe, & propter aliud expetuntur, ut ſcientia, ut integritas ſenſuum, ac cetera hujuſmodi, per ſe quidem bona ſunt, non tamen ſumma. Itaque a Boëtio, & a Lactantio, & a Tullio extremum illud, quod omnia appetunt, non *per ſe bonum* appellatur, ſed *ſummum bonum*. *Duo ſumma bona*, inquit Boëtius, *quae inter ſe diverſa ſint, eſſe non poſſunt. At Deum & beatitudinem ſumma bona eſſe conceſſimus*. Lactantius vero inquit: *Epicurus ſummum bonum in voluptate poſuit, quae fuit opinio Eudoxi*. Tullius autem in libro de Finibus dicit. *Facit Lucius noſter prudenter, qui de ſummo bono audire velit; il-*

lo enim in Philosophia constituto constituta sunt omnia. Hi ergo omnes *summum bonum* dixere, non *per se bonum*. Qui igitur in hoc me reprehendit, is non meam arguit, sed suam detegit ruditatem. Equidem si tales sunt errores mei, non abnuo multis in locis eos reperiri. Et graecorum quidem linguam ipse, ut diximus, se ignorare fatetur. De latina vero, ut pace sua dixerim, absurdissima sentit; putat enim non graeca modo, verum etiam, ut ipse appellat, Galetia quaedam, & Germanica, & Hispanica vocabula in latinam orationem esse admiscenda: alioquin linguam ipsam latinam inopem, atque defectivam putat. Recte suadebam juris perito, ut in suo studio versaretur; haec enim, quae de latina lingua existimat, ita sunt aliena, & abhorrentia ab omnium bene litteratorum opinione, ut nichil videri possit absurdius. Quid enim est aliud, quam barbara simul, & latina, & graeca in unum confundere, & chaos, ut ita dixerim, literarum moliri. Vide quam multum inter me, & illum intersit. Ego millies singula verba olfacere soleo, priusquam literis mandem. Nullum denique nisi probatum, & ab optimis auctoribus michi commendatum recipio. Ille autem passim undecunque oblatum arripit. Itaque bomolchos, & agricos, & eutrapeles, & epieces, & cacectos, & cetera hujusmodi monstra verborum probat, & qui in opulentia latinae linguae mendicat, non intelligit paupertatem propriam, sed communi linguae adscribit paupertati juxta illud Salustianum: *Culpam auctores quique suam ad nogocia transferunt*. Jam equidem non miror translationem illam veterem ab isto probari, est enim secundum ejus regulam confusa quaedam, & permixta barbaries. Sed illud deterius, quod eam Boëtii putat, nec intelligit, quantum figura nitorque dicendi, qui in Boëtio

emi-

eminet, longissime absit ab illius interpretis deliratione. Nos certe nullam Boëtii interpretationem habemus, praeterquam Porphyrii, & Praedicamentorum, & Peribermenias librorum. Quos si accurate leges, videbis summum illum virum sine ullis ineptiis libros illos transtulisse. Textus est nitidus, & planus, & graeco respondens. At enim in Ethicis, & Physicis quid tandem est, praeter ineptias meras? Non verba in iis latina, non dicendi figura, non eruditio litterarum, praeterea ab ipso graeco male accepta complura. Haec a Boëtio longe absunt, viro in utraque lingua docto & eleganti. Nunquam ille architectonicam, nunquam bomolcos, nunquam agricos, quorum vocabula in latino habemus, in graeco reliquisset, nunquam tristiciam pro dolore posuisset: nunquam honestum cum bono, eligere cum expetere confudisset: nunquam *per se bonum*, dixisset, quod ipsemet alias appellasset *summum bonum*. Atque ut scias, duae fuerunt ante me, quod equidem viderim, interpretationes Ethicorum: una quam ex Arabe lingua traductam constat post Averrois philosophi tempora, quae quoniam anterior est, *vetus* appellatur. Altera haec posterior, & novior a Britanno quodam traducta, cujus etiam proëmium legimus. Quomodo igitur Boëtii fuit ista nova interpretatio, cum vetusta illa, & anterior post Averroin fuerit? Boëtius vero aliquot seculis Averroin anteeat? Reliquum jam crimen est, quod huic interpreti maledixerim. Equidem si vitam illius, si mores, si genus insectatus essem, tunc faterer me maledixisse. Sed nichil tale attigi, neque attingerem. At enim de litteris studiisque contendere, ac interdum vehementius urgere, & si res exigat adversarium pungere, differere id quidem est, non maledicere. Denique tota vis in eo versatur, jure, an injuria illum reprehenderim.

Dixi

Dixi libros illos inepte traductos: quis negare potest? Dixi graeca verba ob ignorationem latinae linguae ab eo relicta, pro quibus latina vel optima haberemus, nec dixi modo, sed probavi, & verba ipsa ostendi. Cetera quoque errata, nec ea pauca, nec levia redargui. Aut igitur ista defendat si potest, aut me pupugisse illum non moleste ferat. Equidem si in picturam Jocti quis faecem projiceret, pati non possem. Quid ergo existimas michi accidere, cum Aristotelis libros omni pictura elegantiores tanta traductionis faece coinquinari videam? An non commoveri? an non turbari? Maledictis tamen abstinui, sed rem ipsam redargui, ac palam feci. Haec michi ad te, Francisce carissime, scripsisse libuit potius, ut satisfacerem postulationi tuae, quam quod necessarium arbitrarer. Cum enim & scripta mea extent, quibus illum redargui, & hujus defensiones, faciliter quivis dijudicare poterit, quam inania sint, quae ab isto afferuntur. Vale. Idibus Octobris.

V.

LEONARDUS ANTONIO CREMONENSI S.

Mediolanum urbem vetustam semper populosam tot seculis miratur, quaeritque unde dicta sit.

CUM praestantissimus Laudensis (1) Episcopus me tuo nomine literas flagitasset, cogitavi si scribendo lucri facere aliquid a te possem: foenerator enim literarum esse consuevi, pluraque reperere,

(1) Gerardus nempe Landrianus Mediolanensis, primo Episcopus Laudensis, postea Comenensis, inde S. Rom. Ecclesiae Cardinalis, qui *Vir summus* a Blondo appellatur in Ital. Illustr.

re, quam dare. Vellem igitur scire abs te, quan-
oquidem tu Mediolanensis es, ac patriae tuae con-
tiones tibi notissimas esse decet, fato ne fieri pu-
es, an aliqua evidenti ratione, ut Mediolanum urbs
um populosissima jamdudum fuerit, atque sit?
quidem apud probatissimos auctores legisse memi-
i, usque dum per Scipionum tempora populosissi-
mam totius Italiae urbem Mediolanum fuisse, ex-
cepta urbe Roma. Hodie vero eandem videmus
omnino omnium, nullaque excepta, populosissimam
Italiae esse. Continuatam igitur istius populositatem
annis prope mille septingentis, tot enim a Scipio-
num temporibus ad aetatem nostram fuere, mira-
bilissimum existimo, praesertim cum videam cete-
ras urbes magnas quidem prius, ac populosas in me-
dio temporis cursu fere ad inanitatem esse redactas.
Quid enim Roma hodie praeter nomen? Quid Athe-
nae? Quid Syracusae? Quid Corinthus? Quid Ca-
pua? Quid Vejos? Quid Corcyra? quam antiquis
illis Peloponnesiacis bellis centum triremes implere,
atque ad bellum emittere consuesse novimus: nunc
autem vix triscalmum unum impleret. In tanta au-
tem varietate, ac defectu aliarum urbium continuas-
se Mediolanum populi sui numerosam magnitudi-
nem, & ex tam antiquis temporibus ad tempora
nostra usque perduxisse mirabilissimum puto. Atque
hujus a te rationem, causamque requiro, utrum exi-
stimes fato quodam fieri, an temperie coeli, an situs
bonitate, an ubertate soli, an Principum hujus ur-
bis, qui excellentissimi procul dubio fuerunt provida
quadam sapientia in repellendis pestilentiis, & salu-
bribus adsciscendis? Haec abs te audire cupio, ac
super his responsum expecto. De nomine quoque
Mediolani certior fieri velim unde sit, & quamobrem
ita dictum. Consueverunt enim cives originem, an-
tiqui-

tiquitatemque suae civitatis non ignorare. Ego autem originem ejus non quaero, est enim explorata, & certa. Sive enim de gente quaeramus, a Gallis conditam fuisse constat: sive de civitate, ab Heduis, a quorum pago Insubres dicti sunt, sive de tempore, non magna varietas, ut in tanta vetustate esse potest. Tarquinio enim Prisco regnante in Italiam transisse Gallos primum constat. Fuerunt autem hi Bituriges. Sive igitur Hedui simul cum Biturigibus transierunt, sive postea per priorum vestigia Hedui & Cenomani secuti sint, sive ad extremum cum Senonibus, & Boiis, non magna temporis varietas est. Ego igitur ista non quaero, sed civitas unde nominata sit audire cupio, utrum ab eo, quod media sit inter amnes, vel ab alia quadam ratione. Claudianus enim poëta, cui multum tribuo, ab ovibus dictam arbitratur. Nam cum Venerem ex Cypro ad nuptias Honorii Imperatoris, quae Mediolani parabantur, venientem describeret, eam mari advectam dicit usque ad Ligures, inde vero Mediolanum advolasse. Versus Claudiani hi sunt:

Jam Ligurum terris spumantia pectora Triton
Appulerat, lassosque frequens extenderat orbes.
Continuo sublime volans ad moenia Gallis
Condita lanigeris ovis ostentantia pellem
Pervenit: adventu Veneris pulsata recedunt
Nubila, clarescunt puris aquilonibus Alpes.

Ego igitur, nisi tu melius aliquid doceas, Claudiano assentior, qui & doctissimus in historia fuit, graecaeque linguae, unde id nomen videtur, peritissimus, Mediolani quoque versatus, utpote qui sub Honorio aulicus fuerit, & miles. Vale.

VI.

VI.(1)

LEONARDUS REGI HISPANIAE S.

Literas scire regium esse, & quod scriptorum genus Reges debeant legere.

SErenissime ac superexcellentissime Rex. Placuisse literas meas Regiae Sublimitati, benigneque, & humaniter ad me rescripsisse magnopere gaudeo. Super omnia michi tamen gratissimum fuit intelligere, Serenitatem ipsam, cum per occupationes licet, studiis, & literis operam impartiri solere. Rideat enim me, si quis vult ex istis hostibus literarum; ego tamen Regem vix puto, qui literas nesciat. Nec porro michi quicquam videtur tam regium, quam & laude rerum eminere, & scientia literarum ornari. Haec nempe duo judicio meo Regium culmen requirit. Nec ego tamen omnia flagito in Rege studia, sed illa tantummodo, quae sunt propria. Quaecunque igitur ad rectam gubernandi formam, quaecunque ad justitiam, ad mansuetudinem, ad magnanimitatem, ad gloriam scripta nos instruunt, & hortantur, ego Regi legenda & imbibenda puto. Intelliget enim Rex & pacis, & belli temporibus qualem se praestare oportet. Et quamvis multum natura valeat, tamen mirabile, quantum scriptis, monimentisque doctissimorum hominum adjuvabuntur. Videbit enim, quantus sit gloriae splendor, quantus bene agendi etiam in hac vita sit fructus, quid Regem discriminet a tyranno, quae deforment vicia regentem, quae virtutes clarum maxime

(1) Haec desideratur in edit. Brixiensi.

xime, ac celebrem reddant. Haec autem non ab istis balbucientibus ac semidoctis, qui omnia inepte scribendo conturbant, sed a veteribus illis praestantibus viris perdiscet, qui ad veram Philosophiae rationem adjunxerunt scribendi nitorem, & elegantiam. Ut enim equi vestesque nitidiores Regem decent; sic etiam oratio speciosa, & ornata, & grata. Historia quoque magistra vitae quantum afferre regenti fructum potest? Regum enim potentissimorum, & Principum, magnorumque populorum origines factaque cognoscere, tum ad voluptatem animi, tum ad disciplinam agendi multum admodum confert. Et habet sane hoc genus scriptores optimos, omnique mundicia, nitoreque perpolitos, quos & legere dulce sit, & perdiscere nequaquam arduum. Ego igitur ad haec Regem cohortor non arrogantia quadam, sed fideli animo. Et haec satis: epistola enim prolixitatem respuit. Ceterum Serenissime Rex, quia scriptorum meorum aliquid per literas regias petebatur, paravi munusculum, quod tuae dono Majestati. Erit enim cum iis literis libellus quidam e meis varia continens opuscula, non a me potissimum electa, sed casu ita fuerunt perscripta. Ea volo esse Regiae Serenitati tanquam degustationem quandam scriptorum meorum, recommendans me.



VII.[1]

LEONARDUS BERNABAE SENENSI S.[2]

Suam ei spondet amicitiam, & Scriptoris locum de Duillio explicat.

MUlta continentur literis tuis, & quidem omnia michi pergrata, quorum illud primum per amicitiam tuam liberalibus verbis obtulisti, imo, proprius ut loquar, amorem tuum mihi patefecisti. Videtur enim amorem inter, & amicitiam hoc esse discrimen, quod amare possumus etiam nescientes, amicitia vero non fit, nisi inter scientes. Est enim amicitia reciprocus animorum affectus. Ego igitur & accipio amorem tuum, & vicissim meum tibi spondeo. Quod autem mea laudibus extollis, & gratum est, quamquam timide, & diffidenter fidem his praesto. De Politicorum libris quod quaeris, sunt illi quidem absoluti, ac penitus expoliti, affirmareque audeo nichil praestantius, neque utilius, de libris loquor, latina in lingua reperiri: tantus est dicendi ornatus, tantaque rerum utilissimarum doctrina. Quia enim materia est civilis, & capax eloquentiae, usus michi videtur Aristoteles amplissimo quodam scribendi genere, elegantia, nitore, & incredibili exemplorum copia referto. In Alphonsum Hispanum orationem scripsi nunquam, sed amice respondi in epistola quadam mea illius objectis. Epistola tamen non ad eum est, sed

(1) Haec deest in omnibus edit., eamque ex Codd. MSs. nunc primum producimus.

(2) De Bernabeo Senensi dicemus ante ejus epistolas.

ſed ad Archiepiſcopum Mediolanenſem, nec exem-
plar nunc habeo penes me. Quod quaeris de tibia,
funali, tale aliquid eſt, quod C. Duellio datum fuit
Populo Romano, ut quotiens reverteretur a coena,
tibia ſibi ad funale praecineret. Quia ergo triumphi
erat honorifica tranſmiſſio, videbatur quoque ſpecies
quaedam triumphi, quod illi datum erat per omnem
vitam, ut quotiens reverteretur domum a caena
amicorum, haberet ante ſe tibiam ſonantem cum
lumine. Et hoc eſt: *non triumphavit modo ſpe-
cioſe, verum etiam per omnem vitam illi datum
fuit, ut tibia ſibi ad funale praecineret*. Funale eſt,
quem hodie torquem cereum vocitamus dictum a
funere, in quo cerei feruntur accenſi. Vale, & An-
dreoccio (1) plurimam ſalutem a me dicas.

VIII. (2)

LEONARDUS JACOBO FOSCARO S. (3)

Cauſſam affert, cur tam ſero reſponderit, hortaturque ad paternarum virtutum aemulationem.

REdditae michi ſunt hodie litterae tuae Vene-
tiis datae XII. Kal. Decembres, quae etſi
michi fuerunt voluptati, tamen nonnichil
moleſtiae attulerunt ex eo, quod intellexi te alias
ad me litteras dediſſe, quae nunquam michi reddi-
tae ſunt, & quod hae ipſae, quas accepi, tarde ni-
mium ad me fuerunt perlatae. Nam ſuſpicari fa-
cile

(1) Andreoccio Petruccio Se-
nenſi, de quo plura in ejus
vita, quam ejusdem epiſtolis
praefigemus.

(2) Haec deeſt in edit. cl. Fa-
bricii.

(3) Franciſci Foſcari Veneto-
rum Ducis Filio.

e quis poterat, me respondere neglexisse, & culm aliorum, qui vel non reddidissent unquam liras, vel tarde reddidissent, in me transferre. Sed ujusce rei causam fuisse illam puto, quod ego jamidem absum fugiens pestem, quae Florentiae coerat haud segniter desaevire, idemque fecerunt ceri ferme omnes praeter eos, qui vel inopia, vel agistratus necessitate retinentur. Atque ita fit, ut eque sint qui reddant literas, neque quibus redntur. Hoc igitur ante omnia te scire volui, ut lmirationem deponas. Quod autem flagitas, ut iquid scriptorum meorum ad te mittam, fiet id uidem leto animo, cum facultas aderit. Nam arc quidem cum sim, ut ita dixerim, profugus, & ttorris, nec libros habeo penes me, nec exempla, quae mitti possent. Quamobrem dilatione mihi opus est, & mora. Tu autem ad exemplar ilstrissimi Principis parentis tui virtutibus incumbe. lagnum tibi onus impositum esse cogita. Neque rim satis erit, si par sis ceteris. Sed ut parens udentia, consilio, facundia, magnanimitate cete s omnibus praecellit, sic a te quasi quodam heretario jure haec eadem exigentur. Quare stude aeso satisfacere & paternae gloriae, & tuae existimationi. Vale.



IX. (1)

LEONARDUS TITO LIVIO FERRARIENSI S.

Caussam exponit, cur Libros Principi non miserit.

CIrciter nonas Decembris cum Aretii forem ob fugam pestis, quae Florentiam invadere coeperat, redditae sunt michi literae tuae Londoniis datae XXII. Kal. Septembris. In quibus multa sapienter, & amanter a te scribuntur de mutuo amore, conjunctioneque nostra. Haec igitur rata sint, ac perpetua. De libris vero Politicorum Principi nostro expromissis, miror Borromaeos aliter significasse, quam scriptum fuerit a me. Nam & volumen ipsum jampridem obtuli, & completum emendatumque ostendi, ac ut transmitterentur, rogavi. Desiderium etiam istius Principis de habendo libro non tacui, quodque, ut ipsis darem, michi perscriptum fuerat. Responsum ab illis est non esse viatori, aut tabellario tale munus committendum, propterea quod circa Flandriam cuncta forent bellis, latrociniisque infesta, magisque expectandum, ut triremes, aut nostrae, aut Venetorum istuc navigarent. Volenti relinquere libellum eis, satius apud me servari dixerunt, atque commodius: se se, cum venerit facultas mittendi, petituros. Atque ita liber est penes me, praestolans eorum postulationi. Est autem volumen insigne, & quod a te videri, perlegique cupiam. Pecunias vero neque petivi, neque accepi, neque peciturus sum, nisi volumen dubie transmitti

(1) Desideratur in edit. Fabricii.

ıitti videatur. Tunc enim petam, quo aliud volu-
ıen praeparetur ad secundam missionem. Satis
nim fuerit meis sumptibus semel misisse. Et vero
ımpridem angor, quod tamdiu missio retardetur,
raesertim cum sciam Principem vehementer illud
spectare. Vale.

X.

.EONARDUS BENEDICTO ANAGNINO S.

Laudat Italiam, & vitam parvo contentam, & quas epistolas servet, certiorem reddit.

SI vales bene est. Cum existimarem esse te penes Regem Hispaniae, scripsi ad eum commendationem tui [1], quae si forsan aut tibi ipsi, ut alteri, qui te bene norit, visa sit brevior, quam ıagnitudo meritorum tuorum flagitabat, illam scio fuisse causam, quod tunc primum ad hominem ıntae dignitatis scribens efficaciorem, ac minus suspectam illi fore commendationem existimavi, si non edita opera, sed quasi casu in eam devenissem, ut ıon affectata, nec precibus elicita, sed ex se ipsa ıata commendatio videretur, essetque potius testimonium doctrinae excellentiaeque tuae, quam explicatio laudis. Haec igitur ante omnia declarare ıbuit, ut scires me quam amplissime de te sentire, ed tantum dixisse, quantum prodesse existimavi. ıt enim, ut video, tu jam abieras, cum literae meae ad Regem pervenerunt, in quo laudo equidem consilium tuum, quod neque aulas Regum,

 ne-

1) Nempe in secunda hujus Libri epistola, ubi eum vocat *Benedictum Ananiensem doctum hominem, ac bene litteratum*.

neque omnem auriferi Tagi arenam pluris feceris, quam Italiam nostram, de qua praeclare Virgilius inquit [1]:

Sed neque Medorum silvae ditissima tellus
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus
Laudibus Italiae certent, non Bactra, nec Indi
Totaque thuriferis Panchaja pinguis arenis.
Haec loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere, satis immanis dentibus hydri,
Nec galeis, densisque virûm seges horruit hastis
Sed gravidae fruges, & Bacchi massicus humor
Implevere, tenent oleae, armentaque leta.
Hic bellator equus campis se se arduus infert,
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus aestas,
Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Tot congesta manu praeruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos subter labentia muros:
An Mare quod supra memorem, quodque abluit infra?
Anne lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus, & fremitu insurgens Benace, marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita claustra
Atque indignatum magnis clamoribus aequor?
Haec eadem argenti rivos, aerisque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit,
Haec genus acre virûm Marsos, pubemque Sabellam
Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos,
Extulit: haec Decios, Marios, magnosque Camillos
Scipiadas duros bello, & te maxime Caesar.
Salve magna parens frugum Saturnia tellus,
Magna virûm.

Proh Deus immortalis! Num discunt pueri hos versus? qui deberent medullitus esse infixi, quo excellentiam patriae nosceremus. Equidem quotiens pe-regri-

(1) Georg. Lib. 2.

grinatus sum, non solum amoenitatem, suavitatemque natalis soli, verum multo magis humanitatem, atque ingenia nostrorum hominum requisivi. Est enim nescio quid natura insitum nationibus aliis longe a nostris moribus, ingeniisque alienum, atque ut Falerni vini sapor alius est, quam Taracinensis, ita michi videntur homines ab ipsa, in qua nascuntur, terra saporem, ut ita dixerim, naturae, ingeniorumque traxisse. Intueri licet alios immanes, alios efferatos, alios stolide arrogantes, alios ita alieno judicio, ut nec justum, nec honestum ea regula, qua nos metimur metiantur, alios suspiciosos, & diffidentes. Me quidem cum mei similibus conversari juvat, & cum iis qui sint ejusdem mentis, atque sensus; in his enim amicitia fit, in aliis vero, aut nunquam, aut perraro. Quibus autem in locis amicitia cadere non potest, in his nulla potest vitae jocunditas reperiri. Sublata vero jocunditate vitae & felicitas tollitur, quae non potest esse absque vitae jocunditate. Ego igitur te reversum ad ea loca gaudeo, in quibus tibi, & amicitia, & felicitas esse possit. Perindeque tibi suadeo, ut in patria consistere velis, ac longinquas istas spes omnino contemnere. Praeclare enim Poëta quidam inquit: *Neque divitias opto, neque voto precor, sed michi contingat ex parvo vitam agere omni carentem molestia*. Et apud Theocritum Syracusanum pastor quidam inquit:

Non michi sint nec opes Pelopis, nec regna Seleuci,
Nec celeri cursu ventos superare fugaces;
At vacuo curis liceat cantare sub antro,
Et procul e specula mare prospectare profundum.

Hanc nos vitam nobis ipsis plurimum dare possumus, finem modo cupiditatibus imponamus. Sed de his alias, & quidem uberius: nunc autem quasi per

transennam haec attigisse satis esto. Quod autem epistolas quasdam meas apud virum clarissimum Columnensem legeris, non michi placet. Ut enim Lucilius formidans doctiorum hominum judicia non Romanis, sed Tarentinis, & Consentinis scripsisse libros suos ajebat, proinde isti non legerent, illi legerent; sic ego epistolas meas Romanis, aut Arpinatis scripsisse nego, sed Nepesinis, & Sutrinis. Quid enim habere laudis epistolae possunt, familiares passim, & de rebus contingentibus scriptae? Itaque ego ipse spernens satis longo tempore nullas servavi. Postea vero cum intellexissem quasdam pro meis circumferri, quae meae non essent, conquirere illas coepi, & quas postea scripsissem servare, non tamen omnes, sed eas tantum, quae haberent in se narrationem rei non quotidianae. Tu vale, ac me, ut facis, ama. Florentiae XII. Kal. Septembris. Ut vero tibi proponam aliquid exercitationis gratia, illud quaero abs te, quomodo intelligenda sint illa Virgilii verba:

Hic ver assiduum, atque alienis mensibus aestas

Iterum vale.



LEO-



LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM

LIBER OCTAVUS.



I.

LEONARDUS FLAVIO FOROLIVIENSI S. (1)

Libros Politicorum Aristotelis laudat, & enumerat, quid in illis contineatur.

VOlo, ut extet opus aliquod studiorum meorum, quod sit testis, & index amoris mei erga Sanctissimum Dominum Eugenium Papam Quartum. Nam cum ab adolescentia mea illum dilexerim propter celsam quandam ejus magnitudinem ani-

(1) Elegantissima Blondi epistola, qua Leonardo respondet, apud me adservatur, eamque publici juris faciam inter miscellaneas cum multis aliis ejusdem Blondi hactenus ineditis.

animi, & virtutis praestantiam, & ipse me inter familiarissimos recipere dignatus sit; debet profecto nunc monumentum aliquod extare dilectionis meae. Itaque libros Politicorum multis a me vigiliis, multaque assiduitate, & opera in latinum conversos ad Beatitudinem suam mittere constitui. Est enim opus magnificum, ac plane regium, & profecto dignissimum, quod Summo Pontifici dedicetur, quandoquidem tota ejus libri materia est de rectione populorum. Est insuper eo nitore, eaque elegantia scriptum, si modo illam nos servare potuimus, ut se se quasi preciosa veste ornasse videatur, qua non erubesceret ante faciem eruditi hominis comparere. Et quidem affirmare ausim, nullum esse opus latinae linguae, de literatis loquor, quod huic Aristotelis operi sit anteponendum dignitate rerum tractatarum, & auctoritate scriptoris. Tu ipse, dum leges, gaudebis profecto non modo ob scientiam rerum eximiam verum etiam ob incredibilem quandam amplitudinem, varietatemque, & copiam. Octo sunt illius operis libri plenissimi quidem rerum commemorandarum. In eorum primo quasi elementa civitatis continentur. In secundo autem Respublicas ante se vel scriptas tantummodo, vel actu existentes singulatim recenset. Scripserant enim ante ipsum quatuor maxime praestantes, Plato Atheniensis, Hippodamus Milesius, Phileas Carthaginensis, Epimenides Cretensis. Horum institutiones & formas Rerumpublicarum recensens, singulas seorsum examinat. Itaque multa ad eam formam Reipublicae, quam scripsit Plato, multa subinde ad eam, quam scripsit Hippodamus, multa insuper ad eam, quam scripsit Phileas, disceptat. De civitatibus autem, quae actu erant, tres enarrat, quae optime ceterarum omnium gubernari putabantur: Lacedaemoniorum instituta & mo-

& mores, deinde Carthaginensium, postea Cretensium. Est pulcherrimum in his videre, quae instituta, & formae illarum Rerumpublicarum essent, quaeve probet Aristoteles, aut refellat. Multa praeterea in hoc ipso libro de Atheniensium Republica, multa de Solone, & de Licurgo, de ceteris legum positoribus amoenissime referuntur. Cum igitur nullam earum Rerumpublicarum esse perfectam ostendisset, ipse jam in tertio libro ac deinceps totam materiam ingressus opinionem, ac disciplinam explicat suam. In quibus, Deus bone, quanta series rerum, quanta varietas, quanta explicatio inducitur! Ut omnia, quae unquam facta sunt, nota fuisse huic Philosopho videantur. Quis putasset in his libris historiam Italiae contineri? Atque ita refertur de Italo Rege, deque Italia ab eo nominata, ut michi latinam historiam legisse videatur. Quis putasset de Carthaginensibus, deque eorum institutis, & moribus ab hoc Philosopho dici? Atqui ita de his refert, ut omnia illorum cognovisse appareat. Praecipue tamen est in eo disciplina mirabilis. Tres putat esse Rerumpublicarum species rectas: aut enim unus ad utilitatem publicam gubernat, & hic est Rex, aut pauci, & hi sunt optimates, aut multitudo mixta ex opulentis, & popularibus, & haec proprie appellatur Respublica. His tribus legitimis speciebus tres aliae species non legitimae conrespondent, quas ille tum labes, tum excessus, tum errores appellat. Labitur enim Regia gubernatio in tyrannidem; optimatum vero in paucorum potentiam, Respublica vero in popularem statum. Popularis igitur status non est legitima gubernandi species, neque paucorum potentia, neque tyrannis. Sed omnes istae tres sunt excessus & labes. Legitimarum vero specierum praestantissima omnium est Rex; dignitate, ac bonitate

post

post Regem optimates: post optimates Respublica. In labibus autem contrarius est ordo. Popularis enim status, quae est labes Reipublicae, statim post Rempublicam collocatur. Paucorum autem potentia, quae est labes optimatum, post popularem sequitur. Tyrannis vero, quae est labes Regni, sextum in ordine locum obtinet. Itaque labes Regni fit de suprema specie ad infimam, id est ex optima omnium rectarum, ad deterrimam omnium depravatarum. Reliquae vero species minus ex alto cadunt, quoniam non tam perfectae sunt, quam Regia gubernatio. Regum autem ipsorum utrum una sit species an plures & quae sint propria Regis, quaeve tyrannica, & quid intersit, & quomodo fiant, praeterea quae conservent gubernationem unius, quaeve corrumpant, & quae consilia atque remedia pro conservatione sint adhibenda, mirifice disseritur. Illud vero admirandum, quod nemo Rex unquam fuit, qui praestabilior esset, cujus exempla & mores non referantur; nemo tyrannus per Graeciam, Asiam, Siciliam, Italiam, cujus non vita, & mores, & quibus artibus dominationem conservaverit, & quanto duraverit tempore, describatur. Rursus vero ut plurimum in gubernatione, quae accidere consueverint seditiones atque discordiae, & quibus de causis oriantur, quaeve consilia, atque remedia adversus haec existant. Praeterea de situ urbis, de regione, de magnitudine populi, de disciplina juventutis longo ordine demonstratur. Sed quid ago? Tanquam enim mare ingressus provehi me in altum sentio. Referam ergo pedem, & ad ipsos libros tanquam ad littus revertar: ubi haec omnia divinitus perscribuntur. Vale.

II.

II.

LEONARDUS ANTONIO (1) GRAMMATICO S.

Contendit in hac epistola michi per C. scribendum.

AN dicendum scribendumque sit hoc pronomen *michi* per *C* literam, vel sine C potius, a me per tuas literas studiose perquiris, & simul ais quibusdam in locis notasse te, sic a me scriptum fuisse, ut *C* litera interponeretur post primam *I*, & aspirationem sequentem, quod esse contra veterum consuetudinem affirmas, nec tamen reprehendere te id ais, sed admirari quidem, ac rationem hujus requirere. Ego autem non quibusdam in locis, ut tu ais, sed ubique per *C* literam eam dictionem scribere consuevi, habeoque auctores hujus rei Dantem, & Petrarcham, & Boccacium, & Colucium Salutatum doctissimos homines, qui & ipsi ita scripserunt, & usus certe communis idem comprobat. Nam quis ita loquitur, ut dicat *mihi* praeter ineptos quosdam, qui ostentare volunt se antiquarios esse, nec intelligunt ita proferri ab se hanc dictionem *mihi*, ut Judaei, & Chaldaei magis, quam latini videantur. Nam illae quidem Nationes sic proferunt coincidentiam earundem vocalium, ut ab imo pectore aspirationem deducant, nec tam lingua & labiis, quam gutture loquuntur. Si igitur & usus hoc habet, & doctissimi homines nostrae vel superioris aetatis id observarunt, cur ipse michi non putem observandum? Usus nempe magister, & dominus est sermonis nostri, & quidem nimium, ut ita dixerim, imperiosus, qui non tam ratione, & via, quam

(1) Eidem nempe, ad quem exstat Ep. XIV. Lib. I.

quam pro arbitrio moveatur. Neque enim cum *mibi* dixerunt antiqui, rationem secuti sunt, sed voluntatem usus. Nam ratio quidem, ut analogia ostendit, non *mibi*, sed *mibi* dicere jubebat, ut enim, *me*, *te*, *se*, sic etiam *mibi*, *tibi*, *sibi* erat dicendum, quod praepotens usus aspernatus est. Credo quia ineptum quiddam *mibi* sonare videbatur, cum *tibi*, & *sibi* melius sonent. Usus ergo, qui tunc dominus fuit, etiam hodie dominus est, & potest improbare, quod tunc probavit; alioquin variatio nulla foret in verbis, nec essent mutata tot antiquorum placita. Nam quid tu magis de hac dictione *michi*, quam de ceteris pene innumerabilibus admiraris? Nonne *optume* dicebant antiqui & *pessume*, eodemque modo alia permulta? ut *aeditumus*, *decumus*, *lubens lubenter*. Pro Pyrro etiam *Purrum* dicebant, & *posiverunt* pro *posuerunt*. Nos vero hæc omnia variamus usu jubente. Quin etiam per Ciceronis tempora *caussam* per duo *ss*, contra vero *jusus* per unum *s* scribebant, ut Agellius testatur, & marmoreis quibusdam monumentis Romae licet consipicere. Insuper *coeravit faciundum*, dicebant antiqui: nos autem *curavit* dicimus non *coeravit*, & *faciendum* non *faciundum*. *C* vero literam, quam nos hodie in dictione *michi* interponimus, antiqui locis quibusdam interposuerunt nulla cogente causa praeter sonum, ceu, *si* & *ubi*, *sicubi*, *necubi*, *alicubi*. Usus ergo apud illos haec potuit: cur igitur idem usus apud nos idem non possit? *Nichil* quoque eodem modo scribo, & profero ductus auctoritatibus, & rationibus quas supra dixi. Vale.

III.

Nos itaquè non Codd. MSS. ut inepte comminiscuntur aliqui, sed hujus epistolae auctoritate ducti *michi* & *nichil* per literam *c* excudendam curavimus.

III. [1]

LEONARDUS JACOBO FOSCARO [2] S.

Commentarium rerum Graecarum amico mittit.

SCripsi noviter commentarium quoddam rerum Graecarum, ut nobis aliorum pericula forent exemplo, quam sint bellorum, contentionumque discrimina formidanda. Eum nunc librum tuo nomine transcribi feci, & parvum licet munus ad te mitto, quandoquidem, ut tuis litteris ad me scriptis perspexi, tu meorum operum comprobator simul, atque amator es. Quae vero me causa impulerit id commentarium scribere, in proëmio ejus libri poteris intueri. Ego enim ob id in hac epistola brevior sum, quod proëmium illud tibi legendum censeo. Et quoniam ad libros, studiaque tandem redivimus, si quid novi posthac a nobis componetur, dabimus operam, ut ad tuam noticiam labores nostri perducantur. Vale, & Commentarium illud lege quaeso diligenter. Continet enim luculentam historiam, & scitu dignissimam propter incredibilem rerum, casuumque varietatem. Iterum vale. Cum superiorem epistolam exarassem, supervenerunt litterae tuae non unae quidem aut alterae, sed quaternae simul eodem tempore, ut facile appareret desiderium tuum. Jam me pudet muneris mei pusillitatis, cum illud tam avide expectari a te conspiciam. Sed resarcietur aliquando majori aliquo munere.

IV.

(1) Haec desideratur in edit. Fabriciana.

(2) Ad hunc exstat epist. VIII. Lib. VII.

IV. [1]

LEONARDUS [2] ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI S.

Laudationem suam Florentinae Urbis contra criticum defendit.

VIdi exempla quarundam epistolarum passim de quibuscumque scriptoribus collectarum, quae nuper ad me Mediolano transmissa fuisse noster Poggius asserebat. In his una fuit epistola a nescio quo nebulone contra opusculum quoddam meum scripta, quam ego admiror in illo volumine fuisse servatam. Nichil enim habet epistola illa, quod aut prodesse aut delectare possit, nisi forsan quis delectetur hoc ipso, quod michi maledicit. Quod si forsan ideo scripta, ac missa fuit, ut quemadmodum nuper Alphonso, sic etiam nunc isti respondeam, gravis nimium provincia michi imponeretur, si haberem omnibus stultis & malivolis, qui contra me aliquid dixerint, respondere. Satis enim michi, quod opera ipsa mea in manibus doctissimorum hominum versantur, qui de illis multo melius judicare valent, quam iste nescio quis sycophanta, quem acquirere se posse aliquid penes inimicos Florentini Populi existimavit, si illa, quae in laudem Florentinae Urbis scripseram, tam acerbe reprehenderet. Ego autem quantum ad me attinet, neque laudator, neque assertor meorum studiorum esse consuevi, sed attenuator

(1) Haec epistola hactenus inedita fuit, eamque ex Codd. Laurentianis, Riccardianis, Gualteriano, ac Florentinae Abbatiae hic ex ibemus.

(2) Piccolpasso, de quo supra.

tor potius, dum alii laudarent. Quare aliorum judicium sit, qui recte judicare possunt, cum de ceteris operibus meis, tum de hac ipsa Laudatione, quam iste carpit, atque oppugnat. Quanquam scripta fuit oratio illa a me valde tunc quidem adolescente, cum recens tunc primum e scholis Graecorum exiissem. Fuit enim ea Laudatio michi tanquam puerilis ludus, ac exercitatio ad dicendum. Recti vero judicis est cum aliorum multorum, tum etiam temporis considerationem habere. Neque enim Ciceronis oratio, quam dixit adolescens pro P. Quintio, eandem meretur laudem, quam oratio post ab eodem dicta pro A. Cluentio. Laudamus tamen utranque, alteram ut adolescentis optimae spei, alteram ut perfecti jam oratoris. Demosthenis quoque orationes illae, quas adolescens scripsit in tutores suos, non ejusdem sunt virtutis, qua est illa subtilis de immunitate ad Leptilem, aut illa praestantissima pro Ctesiphonte, aut illa grandis, & plena, in qua falsae legationis Aeschinem accusavit. Equidem pari quoque adolescentia Laudationem illam scripsi, sed tamen in ea ipsa juvenili Laudatione permulta reperientur a me tractata fuisse, quae lector aequus & diligens, ut leniter dixerim, non aspernetur. Non enim temere neque leviter id opus aggressi sumus, neque vagi, aut incerti per semitas nobis incognitas peregrinantium more nostro ipsi arbitratu processimus, sed ducem itineris, totiusque laudandi progressus certum indubitatumque habuimus Aristidem celebrem apud Graecos Oratorem eloquentissimum hominem, cujus extat oratio pulcherrima de *Laudibus Athenarum*. Illius sermo tanquam magister michi fuit: conatus vero imitandi tanquam ludus, exercitatioque adolescentiae. Genus autem dicendi, nam id etiam considerare judicem oportet, in hujuscemodi

modi laudationibus plausibile quoddam, & gloriosum esse debet. Id Graeci *panegyricum* vocant, nec ad subtilitatem differendi, sed ad plausum multitudinis accommodari, omnisque laudandi occasio arripienda est in eo genere, ac verbis extollenda. Itaque Aristides humanitatem Atheniensium laudans inquit: *Regionem quoque ipsam eadem humanitate se se in mare extendere, quasi obviam progredientem navigantibus, qui ad se venirent*. Et alio loco antiquitatem laudans inquit: *Alios quidem populos advenas esse suarum civitatum habitatores: Athenienses vero ibi natos ab initio, ubi inhabitabant, eamque regionem homines genuisse, ac peperisse*. Item alio loco inquit: *ceteras urbes omnes vel ad occasum vergere, vel ad orientem, vel ad septemtrionem, vel ad meridiem: Solas vero Athenas ad nullam istarum partium vergere, sed esse in medio harum omnium constitutas, ut quicquid ultra citrave quoquo versus existat, id vel orientale, vel occidentale, vel septemtrionale, vel meridionale sit appellandum*. Haec & hujusmodi permulta in ea laudatione scripta quis non videt non ad veritatem, sed ad plausum, & leticiam multitudinis audientium pertinere? In laudationibus enim civitatum ad eos ipsos habetur sermo, quos laudare velis, coronamque flagitat id genus dicendi, & multitudinem populi non ad judicia, vel ad decernendum aliquid de Republica coactam, sed ad plausum & leticiam ex propriis laudibus percipiendam. Genus igitur dicendi in hujuscemodi laudationibus tale quoddam est, quod si intellexisset reprehensor meus, parcius reprehendisset. Aliud est enim historia, aliud laudatio. Historia quidem veritatem sequi debet, laudatio vero multa supra veritatem extollit, ut in laudibus Athenarum factum ab Aristide supra ostendimus. Neque enim verum est, Acticam regionem huma-

humanitate quadam se in mare extendere, cum sensu careat, atque motu. Neque rursus verum est, regionem illam homines genuisse ac peperisse, cum terra neque concipiat hominem, neque pariat. Nec etiam verum est, Athenas esse medium umbilicum habitabilis terrae, cum alibi sit hujusmodi punctus. Sed haec omnia quamquam non vera, nichilominus ornate ac probabiliter cum plausu quodam, ac letitia multitudinis auribus infunduntur. Cum igitur hujusmodi sit in laudandis civitatibus dicendi genus, constet vero Florentiam Romanorum esse Coloniam quam id clarissimum est, & negari non potest; quis juste admirari debet vel conqueri, quod dictum fuerit a me in laudatione praesertim, gloriam & res parentum ad filios, tanquam ad successores legitimos pertinere? Hic est enim primus & conveniens laudandi locus. At reprehensor meus, utpote qui haec non intelligit, perinde ac si hereditas apud praetorem in judicio peteretur, negat Populum Romanum esse mortuum, neque delirare putat, qui hereditatem viventis ad alium pertinere scripserim. *Vivit* inquit *Populus Romanus. Tu hereditatem ejus ad alios defers*. Utinam viveret! Sed certe Populus ille Romanus, de quo ipse loquor, jampridem mortuus, & sepultus est: haec autem, quae nunc Romae habitat, collectitia turba non dominatur, sed servit. Quare de mortui agitur, non de viventis hereditate. Sed finge ipsum vivere, quamquam est mortuus. An conveniens est dixisse gloriam, & res parentum ad filios, tanquam successores legitimos pertinere? Si enim vivo parente res ejus ad filium nihil pertinet, ad quid inducta foret exheredatio filiorum? Satis profecto fuerat, vel praeteriisse, vel non instituisse, si hereditas ad eos non pertineret. Quomodo dixisset ille senex apud Terentium de fi-

 lio:

lio: *meus particeps?* Qua ratione se ipsum remordens Aeneas de Ascanio dixisset: *quem regno Italiae fraudo, & dotalibus arvis?* Itaque nec si viveret parens, foret inconveniens ita de filio dixisse. Alia enim fori, & judicii ratio est, alia laudationis. In foro quidem possessio bonorum petitur aliis auferenda: in laudatione vero gloria, & res parentum ad filios pertinere monstratur. Qua in re nichil parentibus aufertur, immo plus tribuitur, cum gloria, & amplitudo, quae parentes illustrat, in filios quoque fulgere asseveratur. Quare desistat quaeso iste, quisquis est, hujus laudationis reprehensor immoderatius loqui, genusque dicendi, quale postulat laudatio, non ignoret Nec me inconsiderate ac temere processisse arbitretur, cum & ducem probatissimum habuerim, & nichil non ad exemplum laudatissimae orationis in hac mea direxerim. Haec pro cognitione tua scripsisse volui. Nam obtrectatorem illum meum neque novi equidem, neque nominare unquam audivi. Sed satis apparet furiosum quendam esse, quisquis is sit. Simul enim reprehendit de rebus sibi incognitis, simulque maledicit, quasi non ratione, sed odio furoreque moveatur. Quid autem simile hic habet Alphonso? Ille veterem interpretationem Ethicorum suis rationibus defendebat; de me autem nichil, nisi honorifice loquebatur. Tribuebat literas, splendoremque orationis, plura denique quam ego ipse vellem, in hac parte de me praedicabat. Unum modo reprehendebat, quod novam interpretationem meam veteri anteferrem. Et in hoc ipso tamen humanissime, ac moderatissime opinionem suam non contumeliis, ut iste, sed rationibus tuebatur. Hic autem alter nichil modesti habet. Itaque ego ille, qui Alphonso moderate admodum, civiliterque respondi, hanc moderationem meam huic

res-

respondens servare non possum. Jurgia vero, & contumelias si reddam, & in his diutius consistam, vereor ne ipse levior, ac stultior fierem, quam iste ipse, qui me provocat. Et profecto si certare maledictis vellem, abundantissima michi contra hunc asinum suppeditaret oratio. Sed in tam levi re occupatum esse pudet. Itaque haec praeteribo, atque mittam, rideboque potius illius ignorantiam, ac fatuitatem, quam ipse facere aliquid me indignum adducar. Et de literatura quoque, si Deo placet, nescio quid cavillari pergit, homo stolidus & insanus. Qua quidem in re idem sibi contigisse video, quod presbyteris ruralibus evenire consuevit, qui propter ignorantiam literarum abradunt in libris suis, quae bene scripta fuerant, vel aliter pronunciant quam scriptum sit, asserentes illo modo stare non posse. Hoc idem illi contigit in libro meo, si modo meum habuit. Quod si alienum habuit librum, & forsan, ut fit, a scriptore aliquo mendose transcriptum, quid me accusat? Neque enim Ciceroni imputamus, quod epistolae ejus ad Atticum multis in locis librariorum vicio ita scriptae sunt, ut stare verba non possint, neque Virgilio, quod quandoque ita scripti versus ejus reperiuntur, ut pedes non habeant congruentes. Sed nichil est malignius calumniatore, neque perversius qui cum haec sciat non esse reprehendenda, tamen per calumniam reprehendit. Homo stultitiae, & ignorantiae, & levitatis plenus qualis est ille, non aliter, quam contumeliose & maligne loqueretur. Nam quales sunt hominum mores, talis & sermo esse consuevit.

V. (1)

LEONARDUS M. TRIVENSI S.

Quaestionem sibi obscure propositam fuisse ostendit.

NOn satis dilucide propositam a te quaestionem illam video, de qua per tuas litteras percontaris. Ais enim cum sermo foret de rhetoricis institutis, dixisse quendam eruditum hominem ex his, qui tunc aderant: *solutae pronuntiationis vim dumtaxat maxime usum, & exercitium desiderare.* Deinde quasi ratio hujus dicti afferatur, subjicis: *Cur enim dicimus inquirebat, & non aliud? Non aliud.* Haec sunt verba quaestionis propositae. Dico igitur, hoc primo loco dictum satis clarum videri, & quae ad declarandum subjicitur ratio, non tam ipsum declarat, quam obscurat. Sed accidit forsan hebetudine mea, ut minus intelligam. Itaque priusquam propositae quaestioni respondeam, percontabor ipse te, immo illum, qui haec dixit: nam tu relator es, ac non auctor. Primum igitur quaero, quid ille sibi voluerit, dum inquit: *Solutae pronuntiationis vim. Soluta* enim pluribus modis dici solet. Aliter enim *solutam pecuniam* dicimus, aliter *solutam quaestionem*, aliter cum dicimus *rupe soluta objecte saxi* ut Boëtius, aliter cum dicimus *lege soluta*, ut de Pindaro inquit Flaccus, aliter *soluta oratione*, idest absque metro, aliter cum dicimus *solutus* in dicendo, idest promptus, ac fluens, ac minime ligatus. Haec michi occurrunt scribenti. Sunt credo & plures modi, quibus *solutam* dicimus. Cum igitur inquit, *solutae*

(1) Haec deest in edit. Fabriciana.

lutae orationis, quid tandem intelligit? Utrum quemadmodum *solutam pecuniam*, & *solutam quaestionem*, & *solutam rupem* dicimus? Vel potius quemadmodum *solutam orationem*, idest prosa, non versu? Si hoc vult, cur minus in versu pronunciationem habere locum existimat, quam in prosa? Roscius enim, ac ceteri histriones boni, qui tragoedias, vel comoedias agebant, plus artis in pronunciando habuerunt, quam oratores. Sin autem dicere vult *solutae orationis*, idest promptae, fluentisque, novum loquendi morem inducit. Pronunciatio siquidem, quam meliori vocabulo actionem dicimus, non solum voce, verum etiam gestu, vultuque conficitur. Quomodo igitur congruere potest, si dicamus *soluto gestu*, *soluto vultu*? Certe nullo modo. Itaque ut pace sua dictum sit, *solutae pronunciationis* dixisse non satis quid velit ostendit. Deinde quod subjicit *vim*, obscuritate non caret. In dicendi enim arte quaedam est orationis virtus, quam appellamus *vim*. Haec virtus Demosthenì tribuitur maxime: inquit enim Cicero: *vim Demosthenì tribuimus*, *lenitatem Aeschini*, *subtilitatem Hiperidae*. Et Quintilianus Ciceronem laudans inquit: *expressit vim Demosthenis*, *jocunditatem Socratis*, *copiam Platonis*. Utrum igitur iste *vim* dicens de hac virtute oratoria intelligit, an de alia re, michi vehementer obscurum est. Nam si de latronibus loqueretur, non dubitarem quid esset *vis*: est enim violentia contra jus illata. Nunc autem cum de oratoribus loquatur, verba intelligere debemus secundum subjectam materiam. Est enim *vis* in oratore virtus quaedam, cui judices resistere non valent. Deinde quod subjicitur, *dumtaxat maxime usum & exercitium desiderare*, absurdissimum videri non immerito potest. Nam *dumtaxat* excludit, *maxime* implicat. Etenim qui *usu* ma-

maxime fieri dicit, significat & aliis modis fieri, quam usu; qui vero *usu dumtaxat* fieri dicit, alios omnes modos excludit, atque ita pugnantia inter se dicere videtur, qui *dumtaxat* & *maxime* simul conjungit. Quod autem inquit *desiderare*, eodem vicio laborat. *Desiderare* enim idem michi significare videtur, quod *carere*, ac *deficere*. *In eo proelio*, inquit Livius, *desiderati sunt milites centum*: idest *perierunt*: *desideravimus humanitatem*, idest *defuit tibi humanitas*. *Usum* ergo, *& exercitium desiderare* nichil significat aliud, quam *usum*, *& exercitium non habere*. Haec tecum, quandoquidem tu grammaticus es, disceptare libuit, & quasi themate quaedam tibi proponere. Nam illud quod subjicitur tanquam ratio primi dicti *cum enim inquiebat dicimus*, *& non aliud! non aliud*: ejusmodi est, ut non ad grammaticum, sed ad Oedipodem, vel ad Sibyllam sit rejiciendum, quorum alter Sphingis, altera futuri seculi caliginem patefecit. Ego vero cum Davus sim, non Oedipus, ut inquit ille apud Terentium servus, ad ista, quibus divinatione opus est, respondere non possum. Quod si quaestio illa michi proposita sit, an pronunciatio usu dumtaxat nobis comparetur, negabo equidem, nec id sane immerito. Quanquam enim usus, & exercitatio in ea re multum valeat; tamen primae & maximae partes naturae sunt. Nam magnitudinem, claritatemque, & suavitatem vocis natura praebet, & dignitatem vultus, gestusque venustatem eadem natura largitur. Ars deinde superaddita haec naturae bona vel temperare potest, si ardentiora sint, vel extollere, si frigidiora existant. Usus absque arte periculosus est, crebroque aberrat. Contra naturam vero nemo feliciter pugnat. Itaque nullus in dicendo magnus evadere unquam poterit, qui non habeat largas a natura dotes, & eas ipsas

stu-

ſtudio, & arte, & exercitio confirmatas. Eſſe vero artem quandam pronuntiandi, & non uſum ſolummodo, hiſtriones, ſcenaque declarant. Demoſthenem certe, ac Ciceronem, cum uterque in actione deficeret, hiſtriones duo ad probabilem modum pronunciandi reduxerunt. Siquidem Demoſthenes a Satyro, Tullius vero ab Roſcio inſtitutus eſt in actione, ex quo palam eſt, non exercitationem ſolam ad hoc ſufficere, ſed artificio quodam adhibito comparari. Vale.

VI.[1]

LEONARDUS FRANCISCO PICCOLPASSO S.

Cum amico queritur, quod falſo Duci Cloceſtriae obitum ſuum nunciaverit.

ADmirabiles profecto epiſtolae apud vos ſcribuntur Reverendiſſime Pater, ut ego per hos dies conſpexi. Venerunt enim ad manus meas exempla quarundam epiſtolarum, in quibus una fuit tuae Paternitatis ad Ducem Cloceſtriae de obitu meo, altera fatui cujusdam, ac ridendi nebulonis ad Candidum [2] contumelias & maledicta in me continens. Erant inſuper aliae complures epiſtolae, de quibus quid ego ſentiam non neceſſe nunc eſt aperire. At enim duas illas, quas primo retuli, ſilentio praeterire non poſſum. Primum igitur quantum ad ſignificationem mei obitus attinet, ut jocoſe pro antiqua familiaritate noſtra tecum agam, tu etiam at-

(1) Hanc hactenus ineditam nunc primum ex Codd. MSs. publici juris facimus.

(2) Nempe Petrum Candidum Decembrium.

atque etiam vide, quomodo famam, existimationemque tuam defendas, qui de viventis hominis obitu literis tuis, tuoque sigillo impressis apud Ducem Clocestriae testificatus fueris. Atqui juri operam dedisti, nec ignoras, quaenam hujus delicti poena sit a legibus constituta. Deinde quid sibi voluit tanta festinatio ac properatio scribendi, praesertim de re tibi dolorosa, & illi ipsi minime placitura, cui significabas? Prospera enim significare celeriter, ac libenter solemus; aspera vero nemo libens significat. Quae igitur fuit causa tam properandi? Instabat, ut video, Candidus, ac te impellebat: conceptam ex illo Duce spem labi non patiebatur. Faceret Candidus ut vellet. Tu rationem potius habere debuisti gravitatis tuae, quam illius voluntatis. Quid autem illud, quod in eadem epistola per te significatum fuit Duci Clocestriae? me defecisse in promissis, cum eos, qui sibi a me promissi fuerant, Politicorum libros tribuerim alteri. Haec profecto, neque amici, neque de amico vox fuit. An tu Candidi usque adeo inservire studio debebas, ut talia de me scriberes, praesertim & tibi incognita, & non vera? Equidem cuncta, quae promiseram Duci Clocestriae, cumulatissime persolvi. Itaque non magis de obitu meo falsum tibi relatum fuit, quam de promissorum defectu, quod ut scias, attende. Scripsit ad me dudum Clocestriae Dux, se libros Ethicorum per me traductos vidisse, tollebatque illos in Coelum laudibus, ac provenisse ex illis mirificam utilitatem studiosis omnibus praedicabat: proinde hortatus est me, ut pro communi utilitate libros quoque Politicorum eodem modo in latinum transferrem. Hoc illi tandem promisi, nec promisi modo, sed etiam adimplevi, primumque volumen ejus operis insigniter ornatum ad illum per manus Borromaeorum, qui

Lon-

Londoniis negocianeur, transmisi, ac praesentari illi Domino feci. Ubi est ergo defectus fidei meae? Ubi frustratio promissorum? Postulavit inquam, ut pro communi utilitate illos transferrem: ut vero sibi, ut ita dixerim, titulum libri adscriberem, nec ipse petivit unquam, nec ego promisi. Nam si promisissem, observassem; nichil enim michi facilius erat. Sed ego illa gloriola delectari tantum Principem non putavi, praesertim cum ipse non peteret, & me aucupari gratiam per hujusmodi scriptiones nolebam videri. Quare nec mors nuncianda fuit, cum essem vivus, nec defectus fidei, cum in me non esset. Equidem ab illo Duce nichil unquam accepi, nec unus quidem obolus, ut dici solet, ab illo michi collatus est. Tua vero Paternitas credebat forsan, me infinita quadam pecuniarum vi ab illo extorta libros sibi promissos alteri tradidisse. At enim ipse nunquam studia mea venditavi, neque mercaturam librorum unquam feci, uno volumine simul omnes, statim atque illos absolvi, Clocestriae Duci liberalissime transmisi. Deberent profecto homines suas res agere sine aliorum infestatione, atque calumnia, nec de tua loquor Reverentia, qui omnia de me potest, cui omnia permitto, cui in omnibus acquiesco, sed loquor de his, qui haec te scribere voluerunt, quos de rebus suis loqui oportuit, meas autem nequaquam attingere. Haec ad epistolam tuam. De altera vero illa stultissimi, atque levissimi nebulonis epistola, qui tanquam Canis Aegyptius contra me latrat, risi stultitiam scriptoris furiosi ac vesani. At quam impudens est ille nebulo? Sic enim me contemnit, ut cunctis, quae dici possunt, spoliet. Illi autem, ad quem scribit, scientiam, eloquentiam, ingenium, & cuncta, quae dici possunt, attribuat. O pecudem! neque enim appellari homi- nem

nem decet, cui tam insensatum judicium sit. Deinde mandat, ut me confodiat, & prosternat. Huic succurre precor, metuo confodi, metuo prosterni, fer opem quaeso, da michi aliquid, quo muscas abiciam me invadere parantes, accelera obsecro. Sed quo vult me confodiat thersites iste. Manu ne? at longe abest. Literis ne? at nobis quoque sunt literae, quibus si certandum erit, haec illius verborum jactantia, quam vana sit, ostendetur.

VII.

LEONARDUS CARDINALI COMENSI S. (1)

Quae sit differentia inter civitates Italiae Comum, & Cumas.

SI tempora me non impedissent, Reverendissime Pater, fecissem id quod erat amicitiae nostrae, ut gratulatum ad te venissem pro hac nova exaltatione tua. Nunc autem prohibitus ratione quadam, ac respectu rerum minime negligendarum exclusus, tibi quidem exhibere officium abstinui. Ipse tamen pro te michi gratulatus sum, ac letatus tua dignitate, ita ut nemini tuorum in hac parte concesserim. Quod si Deus dederit, quod & ego opto & te optare scio, ut ex hac belli turbulentia pacis amoenitas subsequatur, facile quicquid vel omissum, vel interruptum est consuetudinis nostrae, sedulitate officii compensabimus. Unum tamen differre nolo, quod animadverti quibusdam literis *Cumanum* te scribi a civitate videlicet, de qua exaltatus es ad Cardinalatus supereminentiam. Id vero erratum

(1) Gerardo Landriano Episcopo Comensi, qui in Concilio Florentino ab Eugenio IV. creatus est Presbyter Cardinalis de quo supra.

rum si in alio foret, silentio praeterirem, ac darem communi ignorantiae. In te autem homine docto ac literis expolito nequaquam michi praetereundum videtur. Non enim *Cumanus* dicendum est, ut michi quidem videtur, sed *Comensis*. Rationem vero hujus si quaeris, nihil est, quod facilius explicari possit. Duae sunt enim civitates Italiae nominibus fere contiguae, sitibus vero locorum valde distantes: una secus mare inferum, quae *Cumae* vocatur. Ex hac urbe Sibyllam fuisse dicunt. Haec est urbs, ad quam Aeneas navibus ex Sicilia pervenit, de qua Virgilius.

Sic fatur lacrymans, classique immittit habenas,
Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

Haec est etiam urbs, de qua Juvenalis (1) inquit.

Quamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis sedem quod figere Cumis
Destinet, atque unum civem donare Sibyllae.
Janua Bajarum est, & gratum littus amoeni
Secessus, ego vel Procbytam praepono Suburae.

Est igitur haec urbs in littore maris non longe a Puteolis & Neapoli, utque Pisae, Athenae, & Volaterrae plurali tantum numero dicuntur; sic etiam Cumae, ut *vacuis Cumis*, & *Cumarum allabitur oris*. A Cumis vero istis *Cumanus* dicitur, ut Cumana Sibylla, Cumanus civis, Cumanus praesul. Sunt autem haec omnia luce clariora, milleque auctoritatibus, si foret opus, probarentur. Altera est urbs non longe ab Alpibus penes lacum, qui dicitur Larius. Haec autem urbs non *Cumae*, sed *Comum* appellatur. Fuit autem haec patria C. Plinii Secundi oratoris, qui per tempora Domitiani & Nervae & Trajani floruit. Comum vero ab initio positum fuit a transalpinis gentibus. Quanquam de prima ejus origine ambiguum

(1) Sat. III.

guum est: postea vero longo intervallo Colonia Romanorum civium in eam urbem fuit deducta, eamque urbem novum Comum appellarunt, quasi renovata civitas esset ob colonos noviter inductos. Itaque de Plinio ita scriptum legimus: *Cajus Plinius Novicomensis Orator*. Vides igitur *Novicomensem* dici, & si quis *Novi* abjiciat, *Comensem* esse dicendum. Vulgo etiam loquentes *Comum* appellant eam urbem, non *Cumas*, ut melius vulgaris sermo veritatem servaverit, quam homines parum eruditi, qui omnia sua ignoratione conturbant. Quod vero penes antiquos *novum Comum* appellaretur declarat Catulli poëtae Veronensis epistola versibus scripta ad Caecilium poëtam sodalem suum. Sic enim inquit:

Poëtae tenero meo sodali
Velim Caecilio Papyre dicas,
Veronam veniat Novi relinquens
Comi moenia, Lariumque littus,
Nam volo quasdam cogitationes
Amici accipiat sui, meique.

Et cetera, quae sequuntur. Plinius quoque ille major in libro Naturalis Historiae tertio *Comum* appellat. Sic enim inquit: (1) *Orobiorum stirpis esse Comum, & Bergomum Cato existimat: verum originem gentis se ignorare fatetur, quam docet Cornelius Alexander a Graecis ortam interpretatione etiam nominis, quasi vitam in montibus degentem*. Item alio loco idem Plinius ita scribit: *Latitudo Italiae subter radices Alpium a Varo flumine per vada Sabatia Taurinos, Comum, Bergamum, Brixiam, Veronam, Vicentiam, Opitergium, Aquilejam, Tergestas, Polam, Arsiam septingentis quadragintaquinque millibus passuum colligit*. Quid ergo est? Cum ista probaverim, te hominem apprime doctum magis censeo

(1) Sic in Codd. MSS.

leo verum sequi debere, quam in hunc manifestum Romanis errorem consentire, nisi forsan Cumis, & Baiis & calidis aquis magis delectaris, quam gelido lacu, de quo Virgilius in laudibus Italiae inquit:

Quidve lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus, & fremitu assurgens Benace marino?

Vale, ac me ama, tibique persuade a me plurimum amari.

VIII.

LEONARDUS CARDINALI COMENSI S.

Rationes, caussaeque variae redduntur nominum oppidorum, & ab vis deductorum.

De ceteris quidem omnibus, Excellentissime Pater, ut ex litteris tuis conspicio, nulla inter nos varietas est. Nam & praetermittendarum gratulationum probabilem michi causam fuisse concedis, & incommoda belli pariter deploramus, & de urbe Como quae scripta fuerunt a me, Tua Paternitas assentitur, & non ingratam sibi fuisse illarum rerum commemorationem ostendit. Restat igitur una pars non in controversia quidem, sed in admiratione, de verborum scilicet, quae a civitatibus oppidisve trahuntur, permagna quadam, & incomprensibili varietate, quae a te perite, scienterque commemorata, ac multis exemplis demonstrata fuit, de qua quid ipse sentiam optas certior a me fieri, nisi michi grave sit, & nisi res indigna videatur. Ego vero tantum abest, ut graver de hisce rebus scribere & loqui, ut etiam gratias tibi permagnas habeam, quod ex praesentibus occupationibus non satis michi quidem jocundis ad cogitationem

nem rerum michi jocundissimarum me revocasti. Licet enim nos derideant ii, qui neque quid, neque quomodo loquantur, unquam cogitarunt; ipse tamen recte emendateque loquendi peritiam a praestantibus viris non existimo negligendam. Verborum enim delectum, eloquentiae principium constat esse. Nemo quidem eloquens esse potest, qui non rectis, & congruentibus verbis utatur. An igitur C. Julius Caesar tantus vir librum de analogia, idest de formatione tractatuque verborum cum laude scripserit: nobis vero turpe fuerit illis ipsis de rebus tractare & loqui? Fateor ergo in eorum verborum, de quibus a te scribitur, formatione permagnam quandam esse varietatem, adeo ut vix rationem ullam analogiae constare in illis videam. Hujus vero causam puto, quod alia graeca sunt oppida, alia barbara, alia latina. In singulis autem & voces, & consuetudines regionum permultum valuisse reor. Cives enim, & oppidanos par est hujuscemodi appellationes ab initio frequentasse, utque ipsi se se scribebant, sic ab aliis vocabantur. Ex quo factum est, ut graecorum oppidorum homines ad graecam linguam, latini ad latinam, barbari ad barbaram declinarent. Similitudines quoque, ac vicinitates frequenter in hac re valuisse comperio, in multis etiam suavitatis, concinnitatisque rationem habitam puto. Ex his autem causis varietas tanta suborta est, quantam esse videamus. Ut vero aliqua de his exempli gratia per nos attingantur, quid similius esse potest in verbis, quam Verona, & Ancona? Cur igitur alios Veronenses dicimus, alios Anconitanos? Graeca videlicet civitas Ancona fuit, hoc est a Graecis conditoribus posita, nomenque Anconitani a graeca voce trahitur *Anconitae*. Ipsi enim conditores sic ab initio vocari coeperunt. Thomum civitatem scimus

nus esse in Ponto non longe a fluminis Danubii ostiis onstitutam, apud quam relegatus fuit Ovidius poë-a. Verbum ab ea tractum *Thomitanum* facit, non *'homensem*, de qua inquit Ovidius ipse:

Naso Thomitanae non jam novus incola terrae
Hoc tibi de Getico littore mittit opus.

Thomum igitur, & Comum ita similia esse video erminatione & syllabis, ut nichil differant: tamen b altera *Comensem* dicimus, ab altera *Thomitanum* erminatione illa graecarum linguae consona, qua tiam Anconitanos dictum ostendimus Illa etiam raeca sunt oppida, & ad figuram graecorum figura-a verba, *Neapolitani*, *Panormitani*, *Drepanitani*, *alibetani*, in quibus non correspondere analogiam la-inorum verborum non equidem admiror. Nam ut Fano *Fanensis*, sic etiam a Drepano *Drepanensis* ecundum latinam analogiam erat dicendum. Segre-emus igitur ea verba, quae a Graecis habent con-ormationem quandam, neque de eorum varietate dmirationem suscipiamus. Voces etiam, ac mores egionum inter causas varietatum assignavimus, eam-ue rem permultum valuisse in appellationibus de-rehenditur. Vicini enim ad exemplum vicinorum aciliter pertrahuntur, ut in Campania *Ferentinates*, *Irpinates*, *Aquinates*, *Casinates*, *Antiates*, & in Imbria *Fulginates*, *Urbinates*, & horum vicini il-orum secuti voces a Sarsena *Sarsenates*, a Caesena *Caesenates*, a Ravenna *Ravennates* dixere. Nam uid vetebat dicere *Caesenenses*, *Sarsenenses*, *Ra-vennenses*? Galliae transalpinae urbs est Gabenna: Nomen ab ea tractum *Gabennensis* facit. Poterat per andem analogiam a Ravenna *Ravennenses* dici: ni-hil enim interest inter Ravennam, & Gabennam. Sed incolae illius loci *Ravennates* maluerunt dici ad similitudinem *Sarsenatum*, & *Caesenatum* finitimo-

rum

rum suorum. Haec Sarsena, de qua loquimur, Plauti Comici Poëtae patria fuit: sita vero est inter Casenam, & Aretium, ita ut dioeceses earum civitatum utrinque attingat. Suavitatis quoque rationem habitam in multorum formationibus conspicio: aurium enim sensus delicatissimus est, cunctaque repudiat, quae non belle sonant. Pisas, & Senas, & Fesulas pluraliter dicimus. A Pisis *Pisanum*, a Fesulis *Fesulanum*, a Senis *Senensem* dicimus, non *Senanum*, quia insuaviter sonare videbatur. His omnibus exceptis causis, analogiae ratio in verbis quidem latinis satis constare videtur, ut Florentia, Placentia, Vicentia, Consentia, cum eamdem in ultimis syllabis habeant terminationem, eodem modo formentur ab iis *Florentinus*, *Placentinus*, *Vicentinus*, *Consentinus*. Aretium, Sutrium, Clusium, Regium, Opitergium, Patavium, & cetera his similia, eodem modo *Aretinus*, *Sutrinus*, *Clusinus*, *Reginus*, *Opiterginus*, *Patavinus* faciunt. Item Tarentum, Tridentum, Tudertum, *Tarentinus*, *Tridentinus*, *Tudertinus*. Quae vero habent *o* longum ante *na*, ut Verona, Cremona, Cortona, Hippona, Dertona, Savona & alia hujuscemodi analogiam conservant. Mediolanum, & Fanum cum similiter sonent, similia producunt ex se nomina. Eodem modo Ferraria, & Navaria. Tusculum, Esculum Verulum, & alia hujus generis, *Tusculanus*, *Esculanus*, *Verulanus*. Mantua, & Capua *Mantuanus*, & *Capuanus*, licet antiqui per ablationem *u* litterae *Campanum* dicerent, ut *Campanae deliciae*, *Campanus Senatus*, *Campanus civis*. Sed nos hanc spinosam silvam omittamus, neque enim tractare de tota re, sed aliquid deliberare exempli gratia propositum fuit. Cur autem *Comenses* dicendum sit potius, quam *Comanos*, duae, ut michi videtur, quaestiones sunt. Aut enim

de

le novis quaeritur, aut de primis impositoribus. *Si* :e novis, nichil expeditius esse potest. Cum enim eteres doctissimi viri ita scribant, & nos eodem nodo observare debemus. Plinius in libris (1) de Naurali Historia inquit: *In Comensi juxta Larium laum fons horis singulis intumescit, ac residet*: & alibi scritum est: *Cajus Plinius Novicomensis*. Quare nos uoque eodem modo scribere, ac loqui debere manifestum est. Quod si de primis impositoribus quaeitur, cur maluerunt *Comenses* dicere quam *Comanos*, redendum est non sine probabili ratione ab illis factum, vel quia magnificentius sonare videatur, vel juia Mediolanenses, & Laudenses, & hujuscemodi icinorum appellationes eos per similitudinem invitaunt, vel quia Remensium, & Parmensium analoiam magis sequendam censuerunt. Potuit etiam illos ea causa inducere, quod *Comanus* idem significat, quod villanus, & rusticanus. *Coma* siquidem raece *villa* est. Ut autem ab urbe urbanus, & uricus, & a villa villanus, & villicus, sic etiam a Coma *Comanus*, & *Comicus*. Itaque ut hanc nominis aequivocationem non satis honorificam vitarent, *Comenses* dicere maluerunt, quam *Comanos*. Vale.

1) Lib. II.





LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM LIBER NONUS.



I. (1)

LEONARDUS REGI ARAGONUM S.

Politicorum Aristotelis libros mittit, docetque, quae dignitas, quodque sit officium Regum.



Ampridem, Serenissime Rex, insignem praestantiam mirabilium virtutum tuarum conspiciens gavisus sum ipse mecum, & seculo nostro gratulatus, quod ei contingat Regem habere praestantissimum, & tam belli, quam pacis

(1) In edit. Fabricii haec epistola est ultima Lib. VIII. In editt. vero Brixiens. desideratur. Optime quidem: eam siquidem esse primam Lib. IX. ex Codd. MSS. didici.

pacis artibus gloriosum, cujus industria in bello gerendo sapientiam summam, patientia vero ac perseverantia magnanimitatem eximiam ostenderit. Quid dicam de justicia, quae in te plurimum lucet? Quid de pietate, ac religione? quid de fidei constantia? quid de omni rerum moderatione? quid de studiis literarum? quibus in medio fervore maximi belli dare operam nunquam destitisti. Maxima profecto sunt haec, & eximia Regis ornamenta. Itaque & illa, quae jamdudum a te possidentur, hereditaria Regna sub tantis virtutibus tuis tranquille, beateque degunt, & ii, qui insuper ex te adjuncti sunt populi, sub tua gubernatione tandem tranquillitatem sperare merito possunt. Quis igitur ista considerans non faveat coeptis tuis? quis tuo nomini non suffragetur? Equidem si tantam operam militiae dedissem, quantam studiis literarum impendi, armatus forsan prodesse nonnichil possem. Cum vero arma non didicerim tractare, sed libros, in hoc ipso quod didici, ne opera mea tibi desit, annitar. Itaque Politicorum Aristotelis libros per me in latinum traductos ad te mittere constitui magnum ac dives instrumentum Regiae gubernationis, ac propriam Regis supellectilem. Nam ceteri quidem libri, ut michi videtur, communes omnium, ut ita dixerim, sunt: ii autem proprii Regis. Siquidem Rex a regendis populis dicitur, libri autem ii nichil aliud docent, quam quemadmodum populi regantur. Quare ego ille tuae laudis avidus te hortari obtestarique non desinam, ut hos Politicorum libros quam familiarissimos tibi facere studeas. Licet enim a parentibus Regibus, ut tuae dictabant litterae, permulta ac praeclara exempla bene regendi susceperis, tamen aliud est natura, aliud disciplina, ut in rhetorica, & musica licet intueri. Qui enim musicae

scientiam tenet, longe melius de illa judicabit & sentiet, quam is, qui vel ex ingenio proprio, vel ad imitationem alterius vocem formabit. Idem quoque est in arte Rhetorica. Etsi enim magnis ingeniis praediti quidam copiam dicendi sine arte assecuti sunt, ars tamen dux certior est, quam natura. Aliud est enim arbitratu suo verba facere, aliud ea, quae dicas, ratione & arte distinguere. Regia quidem dignitas suprema est omnium dignitatum humanarum. Itaque Poëtae Jovem non Imperatorem appellant, sed Regem, tribuentes Deo id nomen, quod est apud homines maximum, atque amplissimum. Multa igitur, ac maxima ornamenta & a natura, & ab arte dignitas Regia requirit, si munus suum recte velit adimplere, cum esse debeat tanquam Deus quidam inter homines, excellens bonitate, excellens sapientia, excellens virtute. Quod considerans Philippus Macedonum Rex sapientissimus, ac maximus vir Alexandrum filium Aristoteli in disciplinam tradidit, quo illam, quam modo diximus, excellentiam adipisceretur. Extat illius epistola ad Aristotelem de Alexandro, in qua haec sunt verba: *Diis*, inquit, *gratias habeo non tam proinde, quia natus, quam pro eo, quod eum nasci contigit temporibus vitae tuae. Spero enim fore, ut educatus, eruditusque a te dignus existat & te, & harum rerum susceptione*. O sapientissimam hominis vocem! Ita demum eum putavit dignum fore susceptione Regni, si disciplina erudiretur. Atque plane ita fuit. Natura enim & disciplina ornatus Rex Mundum quasi totum suis victoriis illustravit, & Indos adusque Regnum extendit. Pyrrhus quoque Epirotarum Rex, maximus & ipse bello vir non solum lectitavit libros cum esset Rex, verum etiam scripsit de militari disciplina. Julius vero Caesar

quan-

quantus fuerit in litteris, libri ab eo scripti declarant. Hi ergo summi viri non solum natura praestantes, verum etiam literis disciplinaque edocti, universum pene terrarum Orbem gloria sui nominis replevere. Ex quo ridere interdum soleo Francorum quorundam Regum simplicitatem, qui generosum ducunt literas nescire, nec intelligunt ex eo fieri, ut Reges ipsi ab aliis regantur. Neque enim putandum est, in parvis quidem rebus disciplinam, & artem esse necessariam, in maximis autem non esse. Imo quanto majus est regere populos & gentes, tanto plus sapientiae, disciplinaeque requirit. Est autem horum librorum non doctrina solum admirabilis, ac praecipua, verum etiam incredibilis quaedam amoenitas, cum propter determinationes pulcherrimarum quaestionum, tum propter explicationes innumerabilium pene rerum cognitu dignissimarum, tum quia narrationes insunt veterum Regum, ac potentissimarum civitatum, & sapientium Legumlatorum, ut vel historiae gratia operae pretium sit illa cognoscere. Summa vero totius disciplinae de populis regendis, gubernandisque existit, infinitaque ferme sunt in iis libris, quae Regem vel instruere, vel ornare, vel commonefacere possint. Salubria consilia, praecepta permulta ex intimo philosophiae sacrario deprompta. Morbi Regnorum unde proveniant, quibus remediis ac medicinis hujusmodi morbis obvietur, praeterea quot sint Regum genera, & qualia. De tyrannis etiam permulta, ac dignissima cognitu, quo illorum opera nefarie declinemus. Popularium quin etiam naturas & mores non alienum fuerit Regem cognoscere, cum ei sint populi gubernandi. Omnis legitima gubernatio pro utilitate eorum, qui gubernantur, instituta est, pro honore vero & gloria illorum qui gubernant.

Itaque partitio illa recta existit, ut Rex quidem gloriam ex gubernatione sua suscipiat; populi vero, qui ab eo reguntur, utilitatem. Sed quid ago, cum libros ipsos mittam, in quibus prolixius, & commodius ista continentur? Intelligo enim me plura scripsisse, quam oporteat, praesertim cum ad Regem scribam. Sed excuset me affectio mea. Devotio enim summa nescit paucis esse contenta. Vale Decus seculi nostri.

II.(1)

LEONARDUS LAURO QUIRINO (2) S.

De propositis sibi quaestionibus disserit.

PErmulta michi tribuis in litteris tuis, quae ego neque recipio, neque assentior conscius imbecillitatis meae. Quamquam nomen ipsum Philosophi, quod tu in me usurpas, non arrogantiam significat, sed humilitatem. Studium enim discendi importat, non autem profectum. Itaque Pythagoras Samius, cum ab aliis sapiens vocaretur, non sapientem se esse respondit, sed Philosophum, idest amatorem sapientiae. Amatores enim dicuntur, qui ardent desiderio alicujus rei adipiscendae. Si igitur me talem significare voluisti, assentiar tibi: sin ut vulgus, & consuetudo intelligit, negabo. Quaestionibus tamen a te propositis respondere constitui non quo te doceam, sed quo a te discam. Quatuor igi-

(1) Hujus libri epistolae, quae sequuntur, nunc primum ex Codd. MSS. erutae sunt.

(2) Patricio Veneto, qui magnae graecarum, latinarumque litterarum peritiae juris cognitionem addidit. Ita de eo Blondus in Ital. Inlustrata. Hunc inter inlustres viros recenset Kyriacus in Diario MSS.

gitur controversiis me invadis. Prima est de felicitate, quam Aristoteles, ut tu putas, in contemplatione sola posuit. Tibi autem non videtur contemplatio hanc nobis felicitatem praestare posse. Altera est de virtutibus, quas Aristoteles dicit esse mediocritates. Tu autem contra probare anniteris. Tertia est, in qua contendis virtutes esse a natura, non ab usu. Quarto loco quaeris, an qui unam habet virtutem, omnes habeat, vel recipiant separationem. Ego igitur servans ordinem tuum, de singulis quid ipse sentiam, conabor ostendere. Ac primo quod de felicitate dicis, non recte capere videris. Aliud est enim proprium opus hominis, aliud felicitas. Nam opus quidem proprium hominis cunctis hominibus adest, felicitas vero paucis, vel nullis. Quod si autem proprium opus hominis hoc modo ab Aristotele investigatur: *ut fabri*, inquit, *& sutoris aliquod st opus, sic etiam hominis aliquod opus esse debet*, quid igitur id erit? Certe non vivere, nam id commune est etiam plantis: non sensus habere, nam id commune est etiam brutis. Restat igitur, ut sit proprium hominis operatio cum ratione. Hoc tu ita apis, quasi operari cum ratione sit contemplatio, t felicitas, quod falsum est: nam secundum hanc expositionem tuam omnes essent felices. Omnis quippe homo rationem habet, & cum illa operatur, cum it animal rationale. Si igitur a me quaeris, quod it proprium opus hominis, respondebo operari cum ratione. Si vero quid sit felicitas, respondebo felicitatem esse operari secundum virtutem perfectam in vita perfecta. Omnis autem homo rationem habet, & cum illa operatur, virtutem tamen perfectam rarissimi possident. Non est ergo idem proprium opus hominis, ac felicitas. Illa igitur expositio tua non est recta, neque contemplativa propria est hominis

vita, sed activa. Non enim, qua homo est, contemplatur, sed qua est divinum aliquid, ac separatum. Justiciam vero, ac temperantiam, & fortitudinem, ceterasque morales virtutes exercet ut homo. Itaque illa est proprie vita hominis, quae per morales virtutes agitur. Atqui per haec, quae hucusque praemisimus, si recte inspicias, responsum est ad primum, ac validissimum argumentorum tuorum. Contemplativa enim vita cum non sit proprie vita hominis, neque divitiis indiget, neque civili potentia, neque magnificentia, neque ceteris hujusmodi. Itaque quod inquit Boëtius, statum omnium bonorum aggregatione perfectum, non de contemplativa dicere videtur, sed de activa. Civilis enim vita multis indiget, ac tunc demum beata est & felix, cum omnium bonorum aggregatione perficitur. Contemplativa autem paucis contenta est, ac externam istam bonorum aggregationem contemnit, quippe cui satis sit nichil sibi deesse ad contemplandum. Haec ad Boëtii sententiam responsa sint. Quamquam tu non recte facis, qui ex dictis Boëtii Aristotelem redarguas. Contra nempe faciendum fuit. Nam si Aristotelem contemplationem ipsam satis esse putat ad beate vivendum, constat Boëtii sententiam non procedere, qui aggregationem bonorum omnium exigit ad felicitatem. Alia ratio tua est ex defectu scientiae. Si enim contemplativus homo paucorum certitudinem habere potest, quae tandem erit ista felicitas scientiae, & cognitionis rerum sterilis? Nam quid homo scire potest, aut quarum rerum certitudinem habere? Parva quippe est hominum scientia, & parvo tempore duratura. Haec summa rationis tuae. Profecto vel tentandi me gratia ista dicis, vel non recte fundamenta capis hujus disciplinae. Non enim omnes, qui contemplativam sequun-

equuntur vitam, felices dicimus, nec omnes qui ctivam. Sed cum quaereretur, utrum activa, & iegociosa vita aptior sit ad felicitatem, vel otiosa ita in contemplatione rerum posita, docet Aristoteles multis rationibus in hac vita quieta & ociosa elicitatem magis existere, non quod activam vitam elicitate privet, sed quod hanc praeferat, & anteonat, quasi divinae vitae similiorem. Quis igitur n hac vita contemplativa felicitatem adipiscetur? Non omnis quidem, sed ille, qui sapientiam, & cientiam & intelligentiam, ceterasque virtutes inellectivas habebit, & in his exercitatus habitum earum confecerit. Is denique est, qui secundum perectam virtutem operabitur in contemplatione. Tu utem nescio quos ignorantes michi proponis, & lum summum ac beatum sapientia hominem indaari debes, ignarum quendam, & hebetem inducee videris. At pauci tales fuerunt inquies, Fateor: uncta enim praecellentia rarissima sunt, sed tibi ffirmo multos esse potuisse. Quicunque enim mano ingenio praediti hoc vitae genus vere, ac non imulate eligere voluerint, & assidua sedulitate cognitioni, & indagationi rerum puro animo incumbere, tales fieri possunt, modo longitudo vitae, ac anitas corporis, ceteraque opportuna non desint. Magni viri Augustinus, & Basilius, & alii ex nostris permulti hanc vitam sectati sunt. Ex gentilibus vero Pythagoras, & Plato, & alii etiam permulti. An tu credis post Augustinum neminem tanto ingenio natum fuisse, quanto ille fuit? Multos crede michi pares ingenio illi fuerunt, sed studium, & sedulitatem, & vigilantiam non adhibuerunt eandem. Itaque ille palmam in stadio adeptus est. Illi autem aut non cucurrerunt in stadio, aut cum incoepissent, in medio cursu fatigati destiterunt. Quare

re si rari sint, qui ad summum evadant, nostram incuriam, & negligentiam, & ignaviam accusemus. Recte quidem Horatius de hoc ipso inquit:

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit,
Abstinuit Venere, & vino.

Nos in utramque dormientes aurem summum hominis bonum adipisci credemus? Nam de scientia, quod dixisti, valde admiror. An tibi Pythagoras, & Plato pauca scivisse videntur, qui & mathematicas scientias incredibili sedulitate perscrutati sunt, & coelo, terraque nichil fere incognitum reliquere? Quid Aristoteles? qui tam numerosa librorum volumina de cunctis scientiis, ac facultatibus scripta nobis reliquit? An is tibi pauca, vel potius infinita pene aliqua scripsisse videtur? Equidem hunc virum potius nimis multa scivisse dixerim, quam parum. Quid Augustinum? an pauca scivisse dicemus, cujus tot extant volumina admirabilis doctrinae? Quid Basilius Magnus? Quid Gregorius Nazianzenus? Quid Dionysius Areopagita? qui non contentus terrena, atque humana scrutari, etiam Coelos, eorumque Hierarchias perscrutatus est? Quid Marcus Varro? Quid Sextus Nigidius? Quid Marcus Cicero noster? An hos scientia steriles fuisse audes dicere? Noli igitur quaeso ex ignorantia quorundam hominum cunctos homines inscitiae condemnare. Homo enim infinitarum pene rerum cognitionem habere potest, modo velit in his perquirendis esse occupatus. Mentem certe habet divinae mentis participem, & est quasi mortalis quidam Deus. Sed haec satis in praesentiarum. Materia enim ista librum requireret, non epistolam. Aliud est argumentum tuum, per quod probare vis, non esse summum bonum in contemplatione. Ais enim, voluntatem nobiliorem esse intel-

(1) In Epist. ad Pisones.

ntellectu. Quod si ita sit, non consistit felicitas in ontemplatione, quae fit per intellectum, sed in alia e, quae fiat per voluntatem. Quod autem sit nobilior voluntas ex eo probari inquis, quod communior est voluntas, cum sit etiam impossibilium, & quod intellectui praecipit voluntas, & quod est posterius in ordine naturae. Certe ego ad haec vix respondere dignatus sum, ita michi videbantur absurda. An tu voluntatem, quae est irrationalis animi potentia, nobiliorem dicis esse intellectu, qui est ea pars animi, quae habet rationem, & quae communis est nobis cum Diis? Quis haec diceret? At communior est voluntas: bonum autem quanto communius, tanto divinius. Haec tua ratio nobiliorem facit vegetativam animam, quam sensitivam, & quam rationalem. Communior enim est vegetativa, cum insit etiam plantis, & animalibus cunctis. At enim rationalis homini solum. An igitur ex eo dicemus, vegetativam nobiliorem esse rationali, quia communiorem? Certe non. Falsa igitur est ratio tua. At enim Aristoteles ipse inquit, bonum quanto communius est, tanto divinius. Fateor; sed hoc in se ipso verum est, non autem in comparatione aliorum. Verbi gratia: Vegetativa in ipsa multo major est, ac dignior, quia inest plantis ac animalibus, quam si inesset solummodo plantis. Ita bonum quanto communius est, tanto majus in se ipso. In comparatione vero ad aliud, dignitas, & excellentia attenditur. Rationalis enim anima longe dignior, ac nobilior est, quam sit vegetativa, licet vegetativa sit communior. Hoc idem dicendum est de voluntate & intellectu. Partes enim animae nostrae duae sunt, una rationem habens, altera irrationalis. Ea pars quae rationem habet, intellectus vocatur, & virtutes, quae in illa fiunt, intellectivae dicuntur. Sunt autem hae

vir-

virtutes sapientia, scientia, intelligentia, prudentia, & ars. Morales autem virtutes non fiunt in illa parte, quae habet rationem, sed in illa parte, quae non habet rationem, in qua ira, & concupiscentia, & metus, & appetitus existit. Quomodo igitur praecipit intellectui voluntas? cum intellectus rationem habeat, voluntas non habeat? Nam quod posterius dicis esse in ordine naturae voluntatem, longe aberras. Patet id in pueris, quibus statim in, & voluntas, & concupiscentia existit. At ratio, & intellectus procedente aetate in illis fiunt. Haec ad primam questionem tuam dicta sint. Venio nunc ad secundam, in qua de mediocritate virtutis dubitare videris. Ais enim, Aristotelem virtutes omnes in medio posuisse. Tu autem de quibusdam contra existimas, ut de prudentia, de temperantia, de justicia, quae quidem virtutes non videntur tibi mediocritates esse, sed potius extremitates. Antequam huic parti respondeam, illud declarare volo, Aristotelem non dicere, omnes virtutes esse circa affectus & actus, in quibus parum, & nimis vituperatur, medium autem laudatur, ut audere, timere, irasci, misereri, cupere, & cetera hujusmodi. Intellectivae autem virtutes non circa affectus, sed circa verum & falsum versantur. Aristoteles igitur omnes virtutes morales mediocritates esse dicit. De intellectivis autem, si recte memini, nusquam dicit. Tu forsan imperite facis, qui prudentiam, & temperantiam, & justiciam simul conjungis, cum prudentia intellectiva sit virtus, temperantia, & justicia morales existant. Quod autem mediocritas quaedam sit temperantia patet. Est enim circa corporis voluptates, quibus omnino se se dedere flagitiosum est. Rursus vero ab omnibus penitus abstinere, & omnem omnino voluptatem refugere, est quasi insensibilitas

quae-

medam; & inhumanitas, si & vina, & epulas, & nvivium, & omnem jocunditatem refugiat, quam ego ne amicum quidem habere velim. Cum go haec extrema hinc inde habeat temperantia, is negare potest eam esse mediocritatem? De juicia quoque multo minus dubitandum est, cum sit quitas quaedam, aequum vero sit inter plus, & inus. At enim si mediocritatem justiciam, & temtantiam esse dicamus inquis, sequeretur ut meocriter temperatus esset laudatior temperantissimo, mediocriter justus esset melior justissimo. Haec a ratio nichil valet. Licet enim virtus mediocritas aedam sit inter excessum & defectum; tamen ipsius rtutis nulla est mediocritas. Ex quo fit, ut ille ui temperantiam habet, non mediocriter sit temeratus, sed omnino temperatus, nec qui justiciam abet, mediocriter est justus, sed omnino justus. Denique ut temperantia mediocritas quaedam est cira voluptates, ita temperatus mediocris quidam est irca voluptates, sed non circa temperantiam. Ais praeerea omne medium componi extremis, ut in coloibus, & saporibus patet. Si ergo virtus medium oret, sequeretur, ut ex viciis esset composita, quod st absurdum. Insuper si virtus foret in medio, non sset contraria vicio, cum sint contraria illa, quae lurimum inter se distant, medium autem parum istat ab extremo. Insuper sequeretur, ut pars vicii sset virtus, ut patet in prodigalitate. Nam si illud, quod est nimium in illa auferemus, erit liberalitas, quod remanebit. Ad horum singula breviter espondebo. Neque enim talia sunt, ut multa vera mereantur. Nego esse verum, ut omne medium xtremis componatur; punctum enim quod est medium lineae, non componitur ex linea: Nec qui rat medius inter duos latrones, componebatur ex latro-

latronibus. At sapores, & colores medii extremis componuntur. Fateor per admixtionem. In virtutibus autem admixtio non est, sed separatio, & rejectio viciorum. Non componitur ergo ex viciis virtus, licet sit mediocritas inter excessum & defectum. Nec proxima est vicio virtus, sed valde distans, cum virtus secundum rationem fiat, vicium autem contra rationem, & virtus bonum, vicium malum, & illa laudabilis, illud vituperabile. Haec omnia contraria sunt, ac multum inter se distantia. Ad illud vero quod ais, si a prodigalitate auferamus superfluum, pars illa mediocris, quae remanebit, erit liberalitas & sic pars remanentis vicii erit virtus: credebam te intelligere, virtutem liberalitatis non consistere in quantitate, sed in dispositione animi per electionem, quando, & quomodo, & cujus gratia largiatur. Itaque si haec prius non erant in prodigo, nec ista quae remanet pars virtus erit. Tertia quaestio tua est de virtutibus, de quibus dubitare videris, utrum a natura sint, vel ab usu. In quo illud simpliciter respondeo, virtutem omnem esse habitum, habitus autem omnis per exercitationem & usum fieri. Ex quo palam est ab usu, & exercitatione virtutes existere. Est tamen nobis quaedam naturalis dispositio ad virtutes: videmus enim manifeste nasci alios ad alias virtutes aptiores. Nempe alii natura intrepidi adversus pericula existunt, alii meticulosi, quidam mites natura, & verecundi, quidam effrenes natura & impudentes, alii cupidi natura, & rapaces, alii liberales, & abstinentes. Hujuscemodi ergo dispositiones hominibus innatae vel ad liberalitatem, vel ad fortitudinem, vel ad justiciam, non sunt virtutes propriae. Nam propria virtus est, quae habitum jam per usum, exercitationemque contraxit. Ut enim fabricando fabri, & citharam pulsando citharaedi,

moedi, sic justa agendo justi, & fortia fortes efficiunt. Ex his patet, neque natura, neque praeter naturam inesse nobis virtutes, sed sumus nos quidem ad illas recipiendas natura apti, perficimur autem per exercitationem, & assuetudinem. Superest postrema quaestio tua spinosa profecto, atque ardua, utrum virtutum ipsarum sit consortium quoddam, & quasi consecutio talis, ut qui unam habet virtutem, ceteras quoque omnes habere necessarium sit, vel separari, ac dissolvi ab invicem virtutes possint. In qua quidem quaestione, ut tibi verum fatear, soleo interdum diversa sentire. Ratio enim me cogit fateri, virtutes omnes esse inter se conjunctas, & catenatas indissolubili quodam nexu. Sensus vero communis ab hac spinosa ratione abhorret. Sed permittamus nos rationi, sensum autem in hac parte valere sinamus. Primum igitur distinguendae sunt virtutes. Hoc enim modo clarius id, quod quaerimus, apparebit. Virtutum aliae sunt naturales, aliae propriae, ut paulo ante ostendimus. Propriarum rursum virtutum aliae sunt intellectivae, aliae morales. Naturalium ergo virtutum non est consecutio ulla. Potest enim esse quis natura constans, & intrepidus adversus pericula, & sic naturaliter fortis, & tamen hic idem rapax, & avarus, & injustus, & inimicus honestatis, ut plerosque videmus. Itaque in naturalibus virtutibus non est consecutio, sed separatio manifesta. Moralium autem virtutum omnium catenatio quaedam esse videtur, nec alteram ab altera separari posse. Sunt enim habitus cum ratione circa affectus animi, ratio autem in hujusmodi virtutibus a prudentia est, prudentia vero in omnibus affectibus eadem est. Non enim unum curat, alium negligit. Ex quo fit, ut prudentia omnes virtutes morales simul liget, nec ullam separatim patiatur, & qui
unam

unam habet virtutem, omnes habet. Restant virtutes intellectivae, in quibus non video, cur separatio fieri non possit. Artifex enim quandam perfectionem, & habitum in arte sua consecutus, ut Apelles in pictura, Praxiteles in statuis, non necesse habet rei militaris, aut gubernandae Reipublicae scientiam habere, aut naturae rerum cognitionem. Immo, ut Socrates in Apologia docet, hoc est commune vicium in artificibus, quod ut quisque in arte sua excellit, ita se se decipit putans in aliis quoque facultatibus se scire, quae nescit. Ars igitur ab aliis virtutibus intellectivis separatur. Idem forsan de scientia, & prudentia dicendum est. Prudens enim cum in agendo versetur, non videtur requirere scientiam naturae, cujus finis est non actio, sed cognitio. Itaque ut naturales virtutes, sic etiam intellectivae videntur separationem recipere. Morales autem nequaquam recipiunt separationem, sed data una virtute morali, ceterae omnes ejusdem generis consequuntur. Vale.

III.

LEONARDUS LAURO QUIRINO S.

Ejus contumeliosae epistolae respondet.

SCripsisti nuper michi proponens quaestiones aliquas a me rogans, ut illis responderem. Erant vero quaestiones satis pervulgatae, atque communes; posita enim quibusdam in capitibus Aristotelis opinione contra illam arguebas, improbareque tentabas. Ego igitur a te requisitus & rogatus quaestionibus illis tuis per epistolam meam respondi Ariftote-

totelis dicta defendens, & argumenta tua dissolvens. Feci autem hoc valde modeste, utpote qui scirem hujusmodi quaestiones disputandi potius causa proponi solere, quam quod ita revera, qui arguebat, sentiret. Expectabam vero a te pro iis, quae tibi responderam, michi gratias agi. Ecce autem epistola tua super iis ad me scripta valde intemperanter, & contumeliose: pro gratiarum siquidem actione michi convicia reddidisti. Itaque mecum ipse obstupui tantam in te stulticiam, levitatemque, ac perversitatem naturae existere, ut pro beneficio michi maleficium retribueres. Nam si responderia me nolebas, cur me rogabas? Sin volebas, cur michi irasceris, qui id feci, quod a te rogatus fui? Si dicis me parum humaniter tibi respondisse, habes epistolam meam, ostende quaeso illam cuivis intelligenti. Nullus crede michi de humanitate illam reprehendet. Quid enim in illa scriptum fuit non modeste? Nonne ab ipso ferme initio haec sunt verba? *Quaestionibus a te propositis respondere constitui, non quo te doceam, sed quo a te discam*. An potuit humanius dici? In sequentibus vero quid est, quod reprehendere valeas? Nam verba quidem illa: *non recte capis*, & *absurdum videtur*, & similia in disputationibus necessaria sunt. Tibi enim Aristotelem impugnanti quid ego defendens respondere poteram, nisi negarem rationes tuas esse veras, & quaedam a te verba non recte capi ostenderem, & non ita dicere Aristotelem, ut tu asserebas, monstrarem? Haec enim communia sunt disputantium, neque praeter te unquam vidi aliquem, qui ista communia dici graviter ferret. Quod si usque adeo arrogans es, ut nichil contra tua dicta audire velis, rogare me non debuisti, ut argumentis tuis responderem, Ego enim quantum ad te attinet, libenter quiescebam. Tu dormientem

vocasti, respondentem indignaris. Inter cetera me contemnens hujusmodi sententiam scribis. *Relinque michi Aristotelem, cujus ego doctrina imbutus sum: Tu autem, qui haec non intelligis, Tullium, ac Livium legas*. O pecudem! Neque enim homo appellari meretur, cui tam falsum de se ipso judicium sit. Certe me valde miseret stulticiae tuae, qui te magnum aliquid esse putas, cum nichil sis. Quantum praestaret te ipsum cognoscere, quam tam fatue de te ipso opinari? Sed quoniam magistrum te ipsum facis, & michi libros aufers, doce nos quaeso magister cucule admirabilem philosophiam tuam, & fatuitates illas tuas, quas in epistola ineptissime scripsisti, nobis declara. Potes quidem id faciliter agere. Nam, ut audio, non philosophum modo, sed & oratorem te putas esse, & epistolas tuas librariis ostentas. Qui si scires, quam ineptae, & ridiculae, & pueriles sint, eas potius ex libris deleres, quam librariis ostenderes. Et qui tu es quaeso, aut qualis, qui tam arroganter de te ipso loqueris? a quo si ventositatem quis detraxerit, instar vesicae inflatae nichil penitus remaneret. Quanto melius foret tibi Franciscum Barbarum, & alios civitatis tuae viros clarissimos, humanitate litterisque excultos imitari, quam inter babiones numerari velle, quibus incredibilis ignorantia cum intolerabili superbia, & fatua, ridiculaque opinione sui innata existit. Vide quaeso, quam sis inter babiones numerandus. Proposuisti michi quaestiones aliquas, addidisti argumenta quaedam contra Aristotelem plena ignorantiae ac fatuitatis tuae, meque rogasti, ut ad illa responderem. Feci quod postulasti, & humaniter quidem feci. Tu autem ebetudine ingenii tanquam in tenebris ambulans, nec monstrata tibi discernens contra tua dicta me dixisse indignaris, & contume-

lia

ia me indigne afficis, & ut tibi relinquam Aristoteem superbissime jubes. Ego igitur cum tu talis sis, ualem te ipsum patefecisti, non Aristotelem, ut u postulas, sed stulticiam, & levitatem, & ignoantiam tuam tibi relinquo. Quibus viciis obsessus, c plane obcaecatus tanquam talpa quidam lucem a enebris non discernis,

IV.

LEONARDUS NICOLAO CEBA (1)

Causam significat, cur ejus epistolae non responderit, nonnullaque volumina ab eo petit.

NOn putabam in universa Graecia tantum esse latinarum literarum, quantum in te uno conspexi. Duas enim abs te epistolas accepi anta elegantia nitoreque conscriptas, ut admiratus quidem fuerim tibi inter alienigenas viventi tam inorruptam patrii soli eloquentiam permansisse. Et d primas quidem literas responsum exaraveram dantum illi ipsi Religioso, qui tuas ad me detulerat. 'raedixerat enim michi, se propediem abiturum foe, proinde litteras pararem, se enim venturum ad ne, ac litteras suscepturum quod tamen non fecit. llias postmodum tuas accepi litteras taciturnitatem neam accusantes, & nichilominus gratias agentes, uod illi Religioso, quem michi commendaras, non efuerim. Ex hoc igitur postremo intelligere potui-

 sti,

1) Januensi, Viro doctissimo: Blondus de Genua loquens haec scribit in Ital. Inlustr. *Paucos habet egregie literatos quorum notiores nobis sunt Nicolaus Ceba, & noster item Nicolaus Bracelleus, ac Gotardus Principis scriba.*

ſti, me leto animo ſuſcepiſſe amicitiam tuam, qui homini ignoto tuis apud me litteris commendato ita me volentem & cupientem obtuli, ut promptius nichil fieri potuiſſet cum vera ſignificatione amoris erga te mei. Quod ſi reſponſum tunc non habuiſti, culpa in me non fuit, qui reſponſum paraveram, ut ſupra dixi. Nec tamen venerabilem illum, ac praeſtantiſſimum Religioſum carpo. Multa enim tam longum iter ingreſſuros occupant, ac diſtrahunt. Sed praeterita omittamus, & ea dicamus, quae ad rem noſtram pertinent. Ego mi Nicolae perquam libenter te in amicitiam recipio virum bene litteratum ac perhumanum, & de me pluſquam ipſe poſtulo egregie ſentientem, eſtoque poſthac nobis amicitia non vulgaris, ſed qua boni viri inter ſe diligunt non emolumenti ſpe, ſed comprobatione virtutis. Haec enim ſtabilis amicitia eſt, ceterae ſimul cum fortuna mutantur. Laudas traductiones meas, ex quibus Phaedonem Platonis, & Ariſtotelis libros de moribus ad Nicomachum, & quaſdam Plutarchi vitas te vidiſſe commemoras. Utinam tantas mererentur laudes, quantas tu illis tribuis! ſed ego me, ac imbecillitatem meam novi, nec michi ipſi in illis ſatisfacio. Verumtamen ut ſcias, multo plura traduxi, quam a te commemorata ſunt. Quod autem me hortaris ad traductionem librorum Platonis de Rep., & ais vidiſſe te eoſdem libros a neſcio quo interprete ineptiſſime traductos, atque ob id magis me hortaris ad id onus ſuſcipiendum, reſpondeo tibi plane, quod ſentio. Equidem libros illos jampridem latinos facere aggreſſus eſſem, ſi michi placerent. Sed multa ſunt in iis libris abhorrentia a moribus noſtris, quae pro honore Platonis tacere ſatius eſt, quam proferre. Quod autem offers operam tuam in Graecis voluminibus comparandis, pergratiſſimum eſt. Obſecro des operam

am, ut michi emantur volumina, quae tibi nomi-
iatim in schedula his litteris interclusa exprimo.
tudebis tamen potius vetustos eligere, quam novos,
i modo haberi possunt. Tu igitur hunc laborem
nichi gratissimum assumes. Ego autem ut aliqua hic
ibi comparentur curabo. Vale.

V. (1)

LEONARDUS CYRIACO S.

Historiam de Bello Italico promittit, ac monumenta ab eo collecta petit.

QUid michi dabis, Cyriace, si de urbe Anconitana tibi permulta, ac praeclara vetustatis monumenta ostendam, quae tu numquam vidisti, licet Acarnaniam totam cum Aetolia, & Boeotia lustraris, ac Peloponnesum, Spartamque, & Argos inspexeris, & quicquid antiquitatis est in illis erueris, & Athenarum propylaea nobis descripseris. Ego tamen, dum tu peregrinando aliena conquiris, ipse manendo domi tua, idest patriae tuae monumenta tibi invisa, incognitaque perspexi. O magnam vim animi nostri, ac penitus divinam! Siquidem dum stamus domi, ipse peregrinatur, nec distantia modo locis adit, verum etiam quae jam mille annis gesta sunt, tanquam praesentia intuetur. Sed ne te per longa demorer, aperiam quid rei sit. Scripsi noviter libros quatuor *de Bello Italico*, quod Belisarius & Narses Justiniani Duces adversum Gothos gessere. In eo bello multa, ac praeclara de Patria tua Anconitana reperi, ac reperta libens perscripsi.

 Nam

(1) Hanc edidit etiam ex Cod. suo Vir Cl. Stephanus Baluzius Tom. VI. Miscell. pag. 538.

Nam, & obsidio ejus Urbis terra marique a Gothis agitata, ac pugna navalis egregia & insignis circa eam commissa, in qua septuaginta quinque naves longae pugnaverunt, & situs oppidi, qui tunc erat, ac cetera permulta memoratu digna referuntur, in quibus scribendis tu etiam aliquid michi caloris & impetus addidisti, quod tibi, & civibus tuis haec placitura existimabam, & sunt maximo ornamento vestrae civitati. Est autem haec non translatio, sed opus a me compositum, quemadmodum Livius a Valerio Antiate, vel a Polybio Megalopolitano sumpsit, & arbitratu suo disposuit. Hanc vero historiam meam si tu inspicere voles, non aliter tibi ostendam, quam si omnia epigrammata, omniaque vetustatis monumenta, quae in toto Orbe terrarum collegisti, ad me feres. Vale. Ptidie Kal. Septembris.

VI.

LEONARDUS CARDINALI COLUMNENSI S.

Polybium, ac Livium inter se conciliat.

LAudo generositatem tuam, Reverendissime Pater, qui non circa negocia Curiae, ut ceteri faciunt, totus incumbis, sed politioribus interdum studiis mentem convertis. Quod autem diversa videntur tibi relata de Legione illa, quae Regium occupavit, non est mirabile. Scriptores enim antiqui varia, & interdum diversa reperiuntur tradidisse, ut in Livio videre licet, qui Valerium Antiatem, & Fabium Pictorem, & Pisonem Frugi non solum in numero caesorum, verum etiam in rebus

bus ipsis gestis saepe diversa tradidisse testatur. Ego igitur in Commentariis illis, quos tu legisti, Polybium Megalopolitanum secutus sum magnum profecto virum, & scriptorem egregium, ac summae apud Graecos auctoritatis. Floruit autem maxime per Scipionis Aemiliani tempora, cum quo etiam in Africa bello Carthaginiensi fuit. Tradit vero ex ea Legione, quae Regium occupavit, trecentos dumtaxat vivos in potestatem Romanorum venisse, qui Romam ducti in foro verberati, ac securi percussi fuerunt. Livius autem in oratione quadam Scipionem inducit dicentem, totam Legionem securi percussam fuisse. In hoc igitur varietas est, quod hic de tota Legione sumptum supplicium dicit; ille vero de militibus trecentis dumtaxat. Sed forsan non est ita diversum, ut apparet. *Legio* enim *congregationem* significat, ut *grex*, ut *conventus*, ut *Senatus*, ut *Populus*. Si de grege quadringentorum capitum demantur paulatim ducenta, tamen remanebit grex, ac priorem appellationem retinebit. Similiter conventus centum Monachorum, si ad viginti redigatur, tamen erit conventus; & si populus decemmillium hominum ad trecentum redigatur, tamen erit populus; & si treceenti isti supplicio afficientur, totus populus illius civitatis dicetur fuisse supplicio affectus. Romulus ab initio Senatum instituit virorum centum, unde *centumviralia judicia* dicuntur. Si quinquaginta ex illis mortui fuissent, tamen reliqui superstites totus erat Senatus. Etenim si legio illa decem annis Regium possedit, necesse est, ut multi ex ea legione illo decennio interierint in obsidione, & proeliis multos cecidisse consentaneum est. Non est igitur verum, ut de quatuor millibus peditum,& equitibus ducentis fuerit supplicium sumptum, sed de iis dumtaxat, qui superstites ex ea Legione

fuerant. Restat alia dubitatio, quod Florus in deditionem acceptos, ego expugnatos dixi. In quo illud intelligendum est, quod qui se se dederunt milites, in deditionem accepti sunt; qui repugnaverunt, nec se dediderunt, expugnati, & interfecti sunt. Nec est inconveniens capta urbe, ut pars abjectis armis se dedat, pars vero interire malit, quam deditionem facere. Itaque haec, quae diversa videntur, non sunt diversa. Et idem dicunt scriptores, licet primo aspectu diversa dicere videantur.

VII.

LEONARDUS LEONARDO (1) S.

Stultitiam invidia pejorem esse demonstrat.

VIdi illa, quae a te scripta sunt *adversus Invidiam*, laudavique, & laudo ingenium tuum. Sed michi videtur longe plura dici posse adversus stulticiam, quam adversus invidiam. Cum enim utraque sit malum, stulticia tamen deterius est. Vide quaeso rationes, quae me in hanc sententiam trahunt: dicam enim breviter, & quasi punctis quibusdam illas attingam, quarum illa michi prima ratio sit, quod invidia quidem non ignorans est, stulticia vero ignorans. Quanto autem scire, quam nescire praestabilius est; tanto deterior stulticia, quam invidia reperitur. Quod autem non sit ignorans invidia patet. Cognoscit enim, & cui, &

pro

(1) Leonardum Datum intellige, ut patet ex epistola IX. hujus Libri. Hic est Leonardus Datus junior, qui adversus invidiam scripsit, fuitque a Secretis Pauli II., inde Massanus Episcopus. Vide Gasparem Veronensem.

pro quibus invideat: nam cui invideret, si ignoraret? At enim stulticia cuncta, ut ita dixerim, ignorat, & in hoc ipso ridicule fallitur, quod sibi putat invideri, & nemo invidet. Itaque Poëtae carere luminibus stulticiam dicunt: invidiam vero perspicacem nimis intuitum habere. A videndo nempe *invidia* dicta est, utque *inserviens*, & *immodicus* praepositione augentur, sic etiam *invidia*. Utrum igitur deterius est? Id ne, quod ignorans, & caecum esse constat, an id, quod scire, & videre confitemur? Praeterea invidia illi ipsi, qui invidet, boni alicujus causa interdum fuit, ut Aristoteles commotus Socratis gloria dedit operam eloquentiae, ac praecepta dicendi cum sapientia conjunxit. Et Temistoclem Miltiadae trophaea de somno excitabant ad parem, vel majorem gloriam sibi comparandam, multaque hujusmodi afferri possunt exempla. At enim stulticia nichil omnino parit, quod bonum sit. Itaque *monstrum est*, ut inquit Satyricus, *nulla virtute redemptum*. Insuper stulticia deridetur, & contemptui habetur. Invidia autem neque deridetur, utpote intelligens, neque contemptui habetur, utpote majora conspiciens. Quis ergo dubitet, quin magis fugienda sit stulticia, quam invidia? Cum stulticia deridiculos, atque abjectos homines faciat; invidia non faciat? Equidem cognovi Perusinum quemdam aetate jam provectum, cum ego tunc adolescens essem. Hic Perusinus admirabilem quamdam Poëtarum, & Oratorum se habere scientiam existimabat. Sciebat autem, ut ita dixerim, nichil: tamen stultus homo credebat sibi ab hominibus invideri, & de hoc plurimum conquerebatur. Erat vero, qui illi invideret, penitus nemo. Is si michi carus esset, mallem ut invideret aliis, quam sic stultum esse, ut sibi ab aliis invideri putaret. Cognosceret enim ignorantiam

suam

suam, nec de se ipso tam fatue opinaretur, nec sibi putaret invideri, cum nichil in se haberet, quod invidiam mereretur. Haec sunt, quae michi adversus stulticiam in praesentiarum occurrunt. Credo autem si excogitare voluero, plura etiam esse michi de hoc ipso superventura. Vale.

VIII.

LEONARDUS ANDREOCCIO S.

De amoris sui constantia erga amicum.

Recte fecit noster Franciscus Mini, quod te meo nomine salvere jussit. Id enim sibi nominatim mandaveram, cum de te prius, ac de omni statu tuo diligentissime percontatus sum. Gratias igitur ago & ipsi Francisco, qui mandata fideliter peregit mea, & tibi, qui eam salutationem tam grate suscepisti. Equidem ex ea re lucrum ingens reportasse me sentio, quod litteris tuis humanissime simul amoenissimeque scriptis fuerim versa vice abs te non salutatus modo, verum etiam honorificentissimis verbis ornatus. In quibus quanta vis amoris erga me, quantaque mei nominis redundans affectio insit, perfacile intelligo. Quod autem in iisdem litteris postulas, ut te amem, currentem, crede michi, ut curram, hortaris. Egone, cum in te tantum amoris erga me cernam, tantum benivolentiae, tantum caritatis, tibi in iis ipsis affectibus non respondeam? Praesertim cum ipse is sim, qui semper necessitudinem quandam, & conjunctionem arctioris vinculi existimarim esse michi cum omnibus, qui eisdem litterarum studiis detinentur. Similitudo enim

vo-

unitatis, eademque appetitio, & affectio majus in-dum, efficaciusque benivolentiae vinculum esse vi-ur, quam ulla consanguinitas, aut generis necef-ido. Cum ergo te iis studiis delectari cernam, qui-s ego delector, te non amare non possem, etiam mor tuus michi ignotus esset. Fervente vero amo-tuo erga me, seque palam ostendente, duplici iculo trahor ad amandum. Et de amore quidem tuo satis dictum in praesentiarum sit. De Prin-atu vero litterarum, quem aetate nostra michi ncessu omnium tribui affirmas, haud equidem as-ntior. Nempe qui ipse michi non satisfaciam in di-ndo, nec auris meas implere possim. Itaque co-ri tantum me sentio, nec tamen proficere, in qui-is conor. Tu vale, mi suavissime Andreocci, & facis, haec studia amplectare. Iterum Vale.

IX.

LEONARDUS JOHANNI ARRETINO (1) S.

Gratulatur, quod studiis sacrarum literarum se dederit; quodque Gasparem Bononiensem audierit.

CUpienti michi vehementer prospera de te audire, supervenerunt litterae tuae singularis amoris, & officii plenae, quibus certior factus sum te bene valere, ac studiis sacrarum littera-um assiduam operam dare. O res duas michi opta-issimas de te cognovisse! Nam & valitudo corporis ne-

(1) Johanni Tortellio Archipresbytero Arretino, atque Eugenii IV. Subdiacono, qui cum Nicolao V. conjunctissime vixit. Vide Volaterranum Lib. 21. Anthrop., Co. esium, &c.

necessaria est homini in acquisitione veritatis occupato, & electio illa studiorum maxime probanda est, quae diviniora sectatur. Jam enim videre videor aciem ingenii tui circa illius verae Essentiae cognitionem, quantum fas homini sit, toto nixu erectam; nec miror te, dum coelestia scrutaris, terrenorum oblivisci. Suscepi etiam ex eo voluptatem permaximam quod michi significasti, Gasparum Bononiensem [1] summum meo judicio hominem a te auditum superiore anno in disciplina morali fuisse. Crede michi, Johannes, fortunatus es hujus viri conversatione, atque doctrina, quem ego unum admiror maxime, quem vera philosophia, veraque scientia non fatua umbratilique imbutum sensi jamdiu, atque expertus sum. Huic tu inhaereas suadeo, & quoad fieri potest, nunquam dimittas. Plurima quippe sunt illius viri ornamenta, cum litterarum, cum disciplinarum, ut doleam equidem & interdum indigner tam mirifice doctum hominem & tam excultum . . . . . decidisse. De quo verissime dici potest: *Lux in tenebris lucet*. Sed non plura de hac re, quae corrigi non potest. Quod autem de Meteororum conversione flagitatis ambo, esset michi quoque jocundissimus labor, modo per occupationes meas liceret. Verum ego & defessus jam sum aetate, & insuper occupationibus variis obsessus. De historia vero quod petis, scias me post discessum tuum IV. libros de *Bello Italico* adversus Gothos scripsisse. Scripsi vero illos non ut interpres, sed ut genitor, & auctor; quemadmodum enim, si de praesenti bello scriberem, noticia quidem rerum gestarum ex auditu foret, ordo vero, ac dispositio, & verba mea es-

(1) Gaspar Sighicellius Ordinis Praed. Philosophus, ac Theologus insignis, qui creatus fuit Episcopus Imolensis. Vide Blondi Italiam Illustratam.

ent, ac meo arbitratu excogitata, & posita; eo-
n item modo ipse noticiam tantum rerum gesta-
n de illo sumens, in ceteris omnibus ab eo reces-
utpote qui hoc unum habeat boni, quod bello
erfuit. Cetera illius sunt spernenda. Vale.

X.

EONARDUS BAPTISTAE ALBERTO S. (1)

Apud amicum se defendit.

VOlo cognoscas simplicitatem meam, vel potius puritatem. Nuper enim cum in Sanctae Crucis Templo me convenisti, ac verba fecisti responso Caroli (2), non intellexi ex illo responso te lle aliquid inferre adversum me. Itaque nichil ad nc partem nunc respondi, utpotè qui non suspiarer te expostulare aliquid posse. Tantummodo coortatus sum ad contentiones deponendas, ut turpe tteratis hominibus in hujusmodi altercationes deveire. Postea vero referente michi egregio adolescen- Jacobo, cui tu verba super hoc feceras, intellexi, ex illo responso suspicari, ne Caroli rogatu illa ripserim, quae nuper ad Leonardum Dati (3) virum raestantem, michique amicum de invidia, stulticiaue conscripsi. Quae suspicio si in te est, eam quaeso epone. Nullius enim rogatu, vel suasione, vel conpiratione illa scripsi, sed ex me ipso citra ullam maignitatem animi de genere ipso disputavi, quemadmo-

(1) Florentino, *qui nobili, & ad multas artes bonas versatili ingenio patriam exornavit.* Ita fere de eo Blondus.

(2) Caroli nempe Marsuppini Cancellarii postea Florentini.

(3) Nempe in epistola VII. hujus Libri.

modum de avaricia, & prodigalitate disputari sole, utrum illarum perniciosior sit, ac nocentior. Ne vero sum adeo levis, ut alterius rogatu, vel impulsu molestus cuiquam esse quaererem, praesertim benivolis; & amicis, qualem te puto. Quare de me, ut aliquid tale existimes, causa non est. Illum autem qui respondit, video aliunde scire potuisse, quae scripta fuerant. Mecum certe nichil de hac re ipse contulit. Vale.

XI.

LEONARDUS ALPHONSO EPISCOPO BURGENSI S. (1)

Cum Alphonso in gratiam redit.

PErgratae michi fuerunt litterae tuae, Reverende Pater, ac doctissime Vir, quas proxime suscepi mirabili sapientia, & optimorum copia verborum refertae. In quibus multa me delectarunt, & in primis pugilum illa similitudo ad causam utriusque nostrum verissime accommodata. Etenim si in armorum certaminibus, & in gladiatorio ludo, qui ferro inter se dimicant, tamen amici postea remanent; quanto magis id esse debet in certaminibus litterarum, in quibus non ferro, sed ingenio decertatur? Ego igitur protinus in hac parte tibi assentior, atque gratias ago, quod ad me scribere tanta distantia locorum dignatus sis, mentemque tuam amicissimam ostendere. Ut autem videas in me quoque eandem fuisse jampridem, & nunc esse dis-

(1) Alphonso de S. Maria, sive de Carthagena, de quo supra. Vide Nicolaum Antonium in Bibl. Vet. Hisp. Lib. X. Cap. VIII.

positionem, & mentem, subjiciam hic verba, quae a pluribus mensibus ad amicum quendam [1] de scripsi. Nam cum ille scripta cujusdam malivoli ıtra opusculum meum ad me misisset, ac horta- ; esset, ut illi responderem, quemadmodum Al- onso nuper responderam, ego tunc mea cum ad- :sum illius calumniam defendissem, in hunc mo- m tandem ad amicum verba feci: *Haec pro cogni- ne tua scripsisse volui. Nam obtrectatorem illum um neque novi equidem, neque nominare unquam divi. Sed satis apparet furiosum quendam esse, isquis is sit. Simul enim reprehendit de rebus si- incognitis, simulque maledicit, quasi non ratione, l odio, furoreque moveatur. Quid autem simile hic bet Alphonso? Ille veterem interpretationem Ethi- rum suis rationibus defendebat; de me autem ni- il, nisi honorifice loquebatur. Tribuebat literas, lendoremque orationis, plura denique quam ego ipse llem, in hac parte de me praedicabat. Unum modo prehendebat, quod novam interpretationem meam ve- ri anteferrem. Et in hoc ipso tamen humanissime, ; moderatissime opinionem suam non contumeliis, ut le, sed rationibus tuebatur. Hic autem alter nichil odesti habet. Itaque ego ille qui Alphonso moderate dmodum, civiliterque respondi, hanc moderationem eam huic respondens servare non possum. Jurgiis ve- o, & contumelias si reddam, & in his diutius consi- lam, vereor ne ipse levior, ac stultior fierem, quam ste ipse, qui me provocat.* Haec fuerunt verba mea unc ad amicum de te scripta. Potes igitur ex his idere, qualis sit animus erga te meus, cum jampri- lem de te non voce modo, sed & litteris fuerim at- estatus. Quare sit jam nobis inter nos amicitia ve- ra, qua boni viri se se invicem diligunt non spe uti- lita-

(1) Nempe ad Franciscum Piccolpassum in Ep. IV. Lib. VIII.

litatis, sed opinione virtutis. Quod autem meorum opusculorum aliquid postulas, non erat sane apud me nunc, quod ad te mitterem, sed in posterum curabimus, ut tibi non desit. Amicorum enim communia omnia. Misi vero jampridem ad Dominum Regem Hispaniae, qui hoc per suas litteras postulaverat, libellos quosdam meos, in quibus fuit opusculum cujus titulus est: *Isagogicon Moralis Philosophiae*. Hoc rogo, ut videas, & ad me rescribas, quid tibi videatur. Vale, ac me ama. Flor. dies [illegible] 1422 (Cod. [illegible] 549)

XII.

LEONARDUS JOHANNI CIRIGNANO S. (1)

Hebraicas literas inutiles, Graecas vero Latinasque utilissimas esse ostendit.

CUm ex agro Aretino, in quo rusticationis causa fueram multos dies commoratus, Florentiam rediissem, inveni domi epistolam tuam elegantem profecto, ac diligenter elaboratam. In qua reprehendere me operam tuam, quam hebraicis litteris perdiscendis dares, te audivisse scribis, ac rationem tui facti reddens studia earum litterarum inprimis necessaria esse ostendere conaris. Ego autem quid tibi de me retulerit excellens ille vir, quem tu allegas, nescio. Illud tamen scio, non quasi rem turpem reprehensam fuisse a me illarum litterarum cognitionem & studium, sed quasi minus utilem, ac ut ita dixerim, supervacaneam operam. Litterae enim illae quicquid habuerunt boni jampridem in latinos translatum est, nec leves quidem au-

(1) Lucensi, cujus nonnullas epistol. ad Cyriac. publici juris faciemus.

uctores, sed gravissimi, ac doctissimi transtulerunt. Hic tu quid jam amplius requiras, non equidem intelligo. Nisi forte illis ipsis Interpretibus diffidis, c eos in disquisitionem, & judicium vocare contenis, quod si feceris, crede michi, ineptus sis. At nim, inquis, summum bonum, & cognitionem Dei ante omnia quaerere debemus. Fateor: sed si d hoc necessariam putas hebraicarum litterarum cientiam, vehementer erras. Neque enim Augustinus, neque Basilius, neque alii permulti ex nostris ac Græcis, qui hebraice nesciverunt, Deum ognovissent, si absque litteris hebraicis Dei cognitio aberi non posset. Quin & Judaeos videmus litteris ebraicis perquam optime instructos, eosdem tamen ummi boni, ac veri Dei cognitionem nequaquam abere, sed inimicissimos esse Religionis, & Fidei. taque non in cognitione litterarum hebraicarum onsistit id bonum, quod tu quaeris, sed in aliis. At enim Hieronymus Poëtarum fabulas, & oratorum argutias damnat. Quid ad rem? Ego enim non te ad fabulas Poëtarum, neque ad argutias fori voco; sed si Philosophiae, ac liberalibus studiis opera danda est, si disciplina & moribus imbuendi sunt homines, quod nemo sanae mentis unquam negabit esse faciendum: multo commodius, & plenius latinis, & graecis litteris fieri id posse dico, quam Judaeorum barbarie. Quod si haec studia negligenda sunt, & contemplationi Dei incumbendum, ad eam rem non esse necessariam hebraicae linguae scientiam affirmo, cum multi in ea lingua eruditissimi perverse de Deo sentiant, & sint Religionis perfidissimi hostes: multi etiam illius linguae ignari ad perfectionem veritatis ascenderint. At enim, inquis, fundamenta rectae Fidei a Judaeorum libris existunt, qui etsi sint translati, melius tamen est fontes con-

sectari, quam rivos. Certe si Christiani sumus, non autem Judaei, apud nos esse fontes dico, non apud illos. Novum enim Testamentum totum, ut ita dixerim, nostrum est, non Judaeorum. Ex quatuor enim Evangelistis unus dumtaxat hebraice scripsit, ceteri omnes graeca lingua Evangelia sua ediderunt. Ex epistolis vero Pauli una solummodo hebraice scripta fuit, ceterae omnes alia lingua. Actus Apostolorum Lucas graece descripsit. Apocalypsis Johannis graece scripta est, non hebraice. An ii rivi tibi videntur, an non fontes? Adde tamen multos, ac tam praestantes Doctores Christianae Fidei, quot habet latina lingua, & graeca: Dionysium Areopagitam, Gregorium Nazianzenum, Basilium, Chrysostomum, aliosque permultos Graecorum excellentissimos: Latinorum vero Augustinum, Hieronymum, Cyprianum, Ambrosium, Gregorium, Thomam Aquinatem, & alios quidem permultos. Si igitur Christianae Fidei cognitionem perfectam, ac non vulgarem habere vis; hos lege quaeso, ac intellige, quorum nichil simile apud Hebraeos reperire potes. Quid Concilia, in quibus permultae haereses, ac variae Christianorum lites sunt penitus extirpatae? Nonne tota Latinorum, & Graecorum sunt, Hebraeorum vero nulla? Lateranense, Nicaenum, Chalcedonense. Quid igitur apud Hebraeos quaeris? an Christianae Fidei fundamenta? Certe apud nos illa sunt, non apud eos. Disputationes doctorum, & determinationes dubietatum? At illae apud nos reperiuntur, non apud illos. Enim vero, inquies, multa ex Prophetis, & ex aliis Hebraeorum libris ad confirmationem Christianae Fidei dici possunt. Fateor: sed haec ipsa jampridem interpretata, & translata fuerunt a multis doctissimis viris, ut nichil lucri sit in illa magis hebraice legere, quam si latine legas

nas. Nisi forsan diffidis Hieronymo sanctissimo, ac doctissimo viro, & tibi ipsi confidis melius intelligere posse, quam ille intellexit. Dare igitur te operam hebraicis litteris, voluptatem fortassis animi afferre tibi aliquam potest: utilitatem vero nullam. Ceu si quis vinum ex praelo haurire malit, quam ex dolio, quoniam in praelo ante, quam in dolio fuit. Neque vero michi objeceris Graecarum litterarum studia, & operam illis impensam. Si enim tales interpretes, qualis Hieronymus fuit, Graeca lingua habuisset, labore me, & ceteros liberasset. Sed qui libros Aristotelis transtulerant, barbaros magis, quam latinos illos effecerant. Deinde quid simile habet Graecorum eruditio cum Judaeorum ruditate? Graeca enim lingua Philosophiae, ceterarumque disciplinarum gratia addiscitur. Confert etiam latinis ad perfectionem litterarum. Eadem quippe origo videtur, eademque institutio, ac eaedem paene litterarum figurae. Apud Hebraeos autem nullum tale invitamentum esse potest. Nulli enim illis Philosophi, nulli Poëtae, nulli Oratores reperiuntur; lingua vero, ac figuris litterarum sic abhorrent a nostris, ut etiam in scribendo contrariam viam incedant, quam nos incedamus. Cum hac lingua tibi quid commercii sit, cujus litterae comites nostris esse non possunt, sed cum dextrorsum incedant nostrae, illae sinistrorsum aufugiant? Eloquentiam vero, ac dicendi artificium, quod tu, auctore Hieronymo improbare videris, Beato Paulo Apostolo non displicuisse conspicimus, qui cum in judicium Hierosolymis tractus esset, ac jam pro damnato haberetur, injecto multitudini scrupulo, quod ipse Pharisaeus esset, ac resurrectionem animarum crederet, & ob id persecutionem pateretur, seditione apud auditores concitata evasit. Rursus vero cum apud Agrip-

pam, & Feſtum cauſam diceret, proemio, ac geſtu oratorio uſus eſt. Extento ſiquidem brachio, & manu leviter ſublata principium dicendi fecit, ut Lucas Evangeliſta teſtatur, Agrippam compellans, ac ſibi, quod jampridem optaſſet, datam facultatem affirmans, ut ab Rege cauſa cognoſceretur, adeoque perſuaſit dicendo, ut liberandum Rex diceret, niſi Caeſarem appellaſſet. Homini quippe in communi vita degenti neceſſaria eſt eloquentia, qua conciliet ſibi animos, qua impetus malivolorum infringat, qua juſticiam ſuadeat. Itaque Stoici unam ex maximis virtutibus eloquentiam poſuerunt. Nec te deterreat judicii dies, de quo Hieronymus inquit: *O quot illic elingues feliciores erunt diſertis, & quot ruſtici oratoribus praeferentur!* Nam licet hoc modo de omnibus dicere. Quid vetat, ut ille de oratoribus, & diſertis, ſic etiam me de Theologis dicere: *O quot ruſtici, & illiterati feliciores erunt multis, qui ſacrarum litterarum cognitioni vacant!* Siquidem Ariani, & Manichaei, & Sabelliani, ac ceteri haeretici, qui in Litteris Sacris verſati perverſe de Deo opinati ſunt, ſempiterno igne damnantur. Habes nunc judicium meum de Hebraicis litteris. Neque tamen legem tibi impono, quominus tuo arbitratu agas. Sed neque tu legem imponere michi debes, quomodo libere dicam, quid ſentiam. Vale. 17. octobris Florentie (Cod. Dresd. 549; [illegible])



XIII.

XIII.

LEONARDUS REGI ARAGONUM S.

Partem Librorum De Bello Italico *ei mittit*.

REm incredibilem, Serenissime Princeps, sed tamen veram Excellentiae tuae per has litteras indicabo. Nec erit tibi ingratum, ut opinor, eam rem ex me potissimum cognovisse. Scripsi nuper libros quatuor *De Bello Italico* adversus Gothos gesto. In eo bello, quia urbs Neapolitana bis obsessa fuit & bis capta primum a Belisario Justiniani Duce, postea vero a Totila Gothorum Rege, & utroque tempore magna & notabilis fuit obsidio, decreveràm eos libros tibi eandem urbem obsidenti transmittere. Sed retardavit me respectus quidam, quod veritus sum, ne aliquos offenderem, si viam, & occultum aditum quodammodo monstrarem ad urbem capiendam. Cum igitur ob hoc respectum detinerer, ecce tua virtus admirabilis Neapolim coepit per eum maxime modum, ut audivimus, quo in eisdem libris describitur a Belisario fuisse captam. Itaque ego haec audiens obstupui post mille ferme annos eandem urbem eodem modo captam, & servatam fuisse. Neque enim minorem humanitatem tuam fuisse audivimus in conservando cives, quam tunc fuerit Belisarii, neque minorem industriam in capiendo. Nec putet aliquis me ista fingere. Nam libri illi sex mensibus ante editi a me fuerunt, quam tu urbem illam coepisti, multi-

que jam illos non legerant modo, verum etiam transcripserant. Ut autem videas modum, quo Belisarius tunc Neapolim coepit, mitto tibi partem illam libri, in qua captivitas ejus urbis describitur. Vale Decus seculi nostri.



LEO-



LEONARDI BRUNI ARRETINI EPISTOLARUM

LIBER DECIMUS.



I.

LEONARDUS ARPINO (1) SUO S. P.

Juvenem ei commendat.

CUm egregio juvene Paulo Florentino latore praesentium, magna, & arctissima familiaritas michi est, & jam a puerilibus annis multis officiis, & mutua caritate firmata. Is cum nunc Januam se venire velle dixisset, non praetermisi ipsum ad ea loca, in quibus tu es, vacuum venire mearum literarum. Quid tamdem ad

(1) Has epistolas ex Codice Marii Florii Patricii Arretini nunc primum in lucem producimus.

te scriberem nichil plane erat, nisi fortasse conqueri, ac lamentari vellem, & haec misera tempora, in quae incidimus, accusare; sed hujusmodi querelae sunt, ut ad augendum dolorem magis valeant, quam ad tolerandum. Vale.

II.

LEONARDUS FRANCISCO PICCOLPASSO S.

De suo, atque Jo: ejus amici negocio commonefacit.

DE die in diem cogitavi istuc accedere, ex quo factum est, ut litteris, quas nuper ad me scripsisti, nondum responderem. Tamen sic habeto, neminem michi prorsus visum esse aut sapientius, aut diligentius, aut ut ita loquar, circumspectius de universo negocio meo respondere potuisse, quam tu nuper per litteras tuas michi respondisti cum summa attestatione caritatis erga me tuae. Itaque statim dabo operam, ut id faciam, quod tu michi persuades. Tamen responsionem unam ab socio illo, cui & oves, & boves insuper, & pecora campi recitabas, expecto, qua delata, vel desperata continuo ad vos curram, tamquam ad solacium quoddam prioris diffidii. Et hoc quantum ad me attinet. Quantum vero ad Johannem amicum tuum, utinam te, aut virtute tua dignus foret! Sed quotidie audio nonnulla de ipso, quae magno me dolore afficiunt. Saepius his proximis diebus hortatus eum fui, ut ad te veniret; ipse vero propter scabiem, qua premitur, se se excusabat. Tandem die

ie sabbati proxime praeteriti postulante Philippo
editore pro XXV. Florenis, si bene memini, captus, atque detentus est. Egi cum Philippo, quanum potui, nil dum perfeci. Credo erit non inuti-, ut cum Nicolao nostro de hac re loquaris. Vale.

III.

LEONARDUS PETRO SAL. P. D.

Imico partum honorem gratulatur, benevolentiamque suam pollicetur.

CUm pro tanto honore, tamque amplo dignitatis gradu tibi per meas epistolas gratulari vellem, supervenerunt epistolae tuae, quae etitiam ante susceptam mirum in modum accuulavere. Nam praeter quam quod rem gestam ratius fuit michi abs te ipso, quam ab aliis audire; c me alloquebaris, sic omnes cogitationes, & consilia michi enodabas tua, ut facile appareret te ad um scribere, ad quem ob eximiam caritatem, ingularemque benivolentiam, non solum impensi onoris letitiam, verum etiam impositi oneris cuam existimares pertinere. Super qua quidem re semer conabor, ut nec ita existimando falsus fuisse idearis, nec me, quod turpissimum est, parum dii possit in amicitia respondisse. Ad haec igitur faiienda non alia michi via eundum est, quam superiori tempore. Noverunt enim cuncti, quibus molo aliquis usus, vel conversatio mecum fuerit, quale go ad te semper testimonium ferrem. Nunc igitur dem sum, qui prius, atque eo frequentior, quo de te mentio habetur crebrior. Ultro enim homines

rogatum veniunt propter partam tibi dignitatem; quibus ita respondeo, ut debeo; debeo autem quod sentio; sentio vero ut de homine praestantis ingenii, & bene litterato maxime omnium ad benedicendum apto sentire par est. Sed ut ad illud redeam quod proposueram, ego tibi, mi Petre, pro his, quae tecum acta sunt, vehementissime gratulor, & ut felix faustumque sit tibi, Reique publicae, & tuis omnibus exopto. Vale, & cognatos, affinesque meos, quos ego jam per litteras admonui in omni causa, omnique re explicanda ad tuam tutelam, patrociniumque confugere, si quid acciderit, suscipias recommissos. Ego idem faciam pro tuis, si quid Romae agendum sit. Iterum vale.

IV.

LEONARDUS PANAGATHO (1)

Se excusat, quod non scripserit.

SOlent qui errati veniam petunt, causam aliquam sui erroris probabilem allegare. Ego autem si quam haberem, jampridem illam ad te scripsissem; sed nullam habeo quam afferre possim, nedum probabilem, sed ne tolerabilem quidem. Quare ad deprecationem me confugere necessitas cogit. Scire tamen abs te velim, si facilitatem illam tuam, & humanitatem pristinam observes, an posteaquam te non vidi, durior factus sis, ut exinde consilium capiam. Nam si mitis es, audebo, si inexorabilis, me contraham: malo enim perpetuo silentio uti, quam aliquid petere, quod a te non sim impetraturus

(1) Vide Epistolam IX. Libri primi.

m. Proinde tu etiam, atque etiam videas, num
issimulare praestet, & aliquid ex eo, quod tibi de-
eam, remittere, quam dum totum persequeris, to-
im perdere. Quamquam tecum jocor haec dicens;
usmodi enim fundamentis conjunctio nostra stabi-
ta est, ut si maxime cupias me amittere, non
ossis. Et si calamus cessavit ad te scribere, non ta-
ien caritas, & benivolentia mea cessavit, aut re-
iissior fuit. Binas tamen ad te literas dedisse me-
iini, quas intelligo nunquam tibi redditas fuisse.
lliarum exemplum, quia apud me existebat, nunc
bi mitto. Aliarum etsi diligentissime conquirerem,
periri non potui. Si oblivioni vis tradere praete-
itam tarditatem, scribam ad te nonnunquam; sin
ieminisse velis, faciam, quod amici negligentiores
i visitandis aegrotantibus facere consueverunt, prae
erecundia praeteriti erroris magis quotidie errare
erseverant. Vale.

V.

LEONARDUS COLUCIO SUO S.

Nonnulla in Colúcii epistola reprehendit.

VEreor mi, Coluci, ne te paenituerit eorum,
quae superioribus literis in commendationem
meam ad summum Pontificem scripsisti. Nam
um illa epistola ingenium atque doctrinam michi
ittribueris, ita tamen posterioribus litteris me op-
pugnas, quasi omni sensu in scribendo careres; quae
i vero animo, ac non jocandi causa te scripsisse ar-
bitrarer, vocarem te in jus, ulciscererque injuriam
illatam, petita tamen prius, quemadmodum contra
pa-

parentes decet, ac ut jura praecipiunt, venia Prae-
toris. Neque enim, ut credo, Praetoris aequitas p
teretur, ut quae tu michi teste summo Pontifi
ob mea, ut tu praedicabas, merita tribuisti, ea nu
nullo meo demerito auferre coneris: sed te joca
puto, ac ejusmodi cavillationes, quibus interdu
gaudere soles, non quia ita sentires, sed tentand
gratia induxisse. Quibus si ego inter occupation
meas liceret, responderem libenter. Itaque hanc i
tam partem relinquo, & rectus, an perperam scripseri
non dubito. Illud tamen, ne in medio quidem occu
pationum praeterire possum, quod tu in principio tua
epistolae scripsisti: *Linus Colucius Leonardo Cec*
Aretino salutem. Quod ego cum legerem, valde qui
dem dubitavi, michi ne, an patri meo jam multo
annos functo literae istae scriberentur, quod e
hoc a nostris vatibus scriptum est: *Quoniam vivent*
non sufficiebant, mortuos quoque suis epistolis lacess
rent. Sed ut ex sequentibus intellexi, quod ad me scri
berentur, vehementer equidem sum admiratus, q
contra consuetudinem tuam patrem meum adm
sti, nisi forte ipsum testem esse voluisti castigatio
meae. Sed ista omittamus: Scio enim te ea de ca
sa fecisse, ut antiquum modum imitareris, quod e
non improbo, dummodo id ratione fiat. Sed i
ineptias antiquitatis delabi cum leve est, tum ab
dum. Nam quis audivit, aut apud scriptores leg
ut nomen patris pro filio poneretur, aut filii p
Patre? *Q. Tullius M. filius*, *Gneus Pompejus Sexti*
lius; dicebant antiqui. Quod autem *Pompejo Se*
scriberetur, aut *Quinto Marco*, penitus est inau
tum. Nichil itaque absurdius videri solet, nec ab a
tiquorum more discrepantius, quam cum dicunt:
cobus Ansellus, *Poggius Guccius*, in quo manifest
sima est absurditas: exinde nulla antiquitatis imi
tio

o, immo corruptio: recta enim imitatio existit, t si cum patris habenda est mentio, *Nicolaus Barlomaei filius*, *Leonardus Cecchi filius* diceretur, quod nus dicendi non solum antiquitatem reddit, vem etiam habet venustatem. Et ego hoc sentio bi habenda est patris mentio, quod non faciebant tiqui, nisi cum ad inimicos, aut ignotos scrirent, ut manifeste per epistolas Ciceronis animadrti potest. Si autem ad notos scribebant, nomi tunc, & agnomina adhibebant; Sed plerique noina, & cognomina, quae ex familiis sumebantur, de *Marcum Licinium*, & *Quintum Saturnium*, ribit Plutarchus nulla agnomina habuisse. Duo tem nomina, aut duo cognomina nunquam apud s reperiuntur. Itaque nescio an graviter a te sumum *Lini* vocabulum. Cum enim *Colucius Salutas* bellissime dicatur secundum antiquos, qui noina, & cognomina habuerunt, nec linum, nec upam adjungere necesse fuit ad tuum nomen illurandum. Jocari tecum michi libet, nisi forte C. larius, Q. Saturnius, Q. Coelius parum nominati mines videantur, qui nominibus, & cognominis dumtaxat contenti fuerunt. Quare cum fidua ad te scribo: nulla causa est, cur id, quod in ventute, quae profecto jactantior esse solet, rejesti, nunc in senectute parum tibi graviter assumas. ed cur, dicet quispiam, tu idem hac eadem antiuitate ductus *Leonardum Aretinum* scribis, non *Leordum de Aretio*? Ego vero nec superius dixi, nec nquam dicam, displicere michi antiquitatis imitaonem, dummodo sit ratio aliqua. Sin autem, ut bene nosti, qui omnia, quae legi possunt, accuatissime perlegisti, ejusmodi apud antiquos appellaiones sunt, ut *Cassius Parmensis*, *Valerius Antias* *Urbitarantinus*, *Pythagoras Samius*; per horum

ut

ut ita dicam, analogiam michi videor potuisse hunc modum dicendi sequi sine ullo crimine levitatis. Qua quidem in re illud me movet, quod apud literatos jam homines legisse memini: *Plato de Athenis*, *Varro de Roma*, *Epaminondas de Thebis*, vel quid simile de patria significanda, quod ego nescio qua ignorantia ad aetatem nostram traductum omnem eloquentiam corrupit orationis nostrae. Quis enim vel mediocriter doctus sine offensione legere potest *Nanes de Monticulo*, *Bartolus de Saxoferrato*, *Dinus de Mugello*? Itaque in *Arretino* dicendo ego non tantum antiquitatem sequor, sed fugio obscuritatem. Quamobrem recte feceris, si & *Linum*, & *Ceccum* praetermiseris. Satis enim habet uterque nostrum: tu in cognomine Familiae, ego in patria nota. Denique tu de tuo ut vis: ego enim ad te scribam, ut te mihi me velle intellexero, quod tu in me observes obsecro. Sed jam sit finis; Longius enim progressus est sermo, quam ab initio fuerim opinatus. Verum est, ut inquit Cato, senecta loquacior. Ego autem, si vera sunt quae tu scribis, grandissimus natu sum, cum habeam filium septuagesimo quarto anno aetatis suae constitutum. Quaeso, Coluci, has, cum ad me scribis, ineptias penitus depone, quod nisi feceris ego illud reddam, quod est a te multis de locis merito derisum, ut ad te scribens pluralitatem complectar. Adversus si tu clamabis, unus sum, non plures: Ego majori voce replicabo: Filius sum, Coluci, tibi, non Pater. Vale.

VI.

LEONARDUS NICOLAO S.

Amicum rogat, ut frequentius scribat.

ET tacendo, & scribendo me superas mi Nicolae, nec plus literarum tuarum multitudine ante hoc tempus superatus, quam nunc taciturnitas tua me frangit. Cupio mehercle jam audire causam hujusce diuturni silencii tui: Non enim timore, nec partim dolore, partim verecundia, ut Cicero noster ait, eo uteris. Novi insuper modum tuum, qui cum antiquitatis amator sis, nunquam nisi ante per feciales more majorum denunciando mihi bellum indixisses, nec rursus eo silentio odio alieno in me uteris, nam praeterquam amisisses ..... [1] tantumque mihi conscius ipse, contra te haud existimo. Verum illud arbitror esse, ut quem ante scribendo superasti, nunc tacendo superare volueris memorabilem victoriam referens. Hominem articulari morbo laborantem a te valentissimo digitis vinci, superare non fuit. Ast illud est praeclarum, & omnium gloriosissimum, quod tacendo, idest nichil scribendo eundem hominem superasti. Si coronae taciturnales donarentur, tibi jampridem caput insignitum videremus. Vale.

VII.

1) Heic lacuna est.

VII.

LEONARDUS FELTRINO BOJARDO EQUITI FERRARIENSI (1) S. P. D.

Se ejus postulatis satisfacturum pollicetur.

NEscio qua sorte factum sit, praestantissime vir, ut quo in tempore maxime cogitabam tuis satisfacere postulatis, eo tempore negocium pergrande, ac nimium paene rationibus vitae illius, quam ego michi delegeram, sit impositum. Nam cum desiderium michi tuum quotidie succurreret, virque deinde clarissimus, & amantissimus tui Paulus Galtretanus a te rediens hoc ipsum michi percrebro refricaret assiduus, ac pene importunus; decreveram hoc alienum aes propere exolvere, cumque instituto jam operi manus admovissem, ecce tibi quod quam minime gentium suspicabar occupationum procella me corripuit, & in altum undosum, fluctuosumque devexit. Credo enim audivisse te literato ex ocio invitum repugnantemque me jussu Civitatis negociis publicis fuisse praefectum. Quas ob res licet ita impediar, ut nichil de me, utpote alieno homine polliceri valeam, tamen cum antecedat obligatio tua, prior enim est in tempore, quam haec publica obligatio, dabo operam, ut aliquando persolvam. Interea tamen has literas tenebis, quasi chirographum promissorum meorum, ac memoriae indicem. Aldobrandinus noster est assidue mecum, ac me sedulo mo-

(1) De hoc vide, quae habet Diarium Ferrariense editum a Cl. Muratorio Tom. XXIV. Script. Ital., quaeque referunt Annales Estenses Jacobi de Delayto.

monet, ut promissis faciam satis. Et quia Juris consultus est, negat me legitime posse absolvi, nisi moram hanc meam cumulatiore aliquo munere purgaro. Vale.

VIII.

LEONARDUS ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI (1) S.

Nonnullas suspiciones evellere conatur.

Retulit mihi Thomas Salvectus (2) querelas, vel potius suspiciones, quas de me conceperas. Itaque nequaquam deserendum putavi, quin, & me purgarem, & veritatem sine ullo velamine, sucoque defenderem. Primum igitur, quod de compellationis inhonorificentia objicitur, factum est a me nullo contemptu, sed quod ita rationi consonum arbitrarer. Etenim si de hominis dignitate ageretur, ego summa omnia tribuere tibi non dubitassem; sed agitur non de personae meritis, sed de Ecclesiastica dignitate, cui superlationem si tribuero, quid michi relinquitur, quod Tusculano, aut Ostiensi Cardinalibus, eisdemque Legatis de Latere tribuere possim? Ego sic dici servatum conspexi, ut compellatio illa *Reverendissima* his eminentioribus dignitatibus, quasi praecipua reservaretur, & usus certe Curiae Romanae sic habet, & sic locus hactenus servavit. Sed non committam posthac, ut querelandi ex ea re nascatur occasio, cum tibi, quod non putabam, haec placere intelligo. Satisfaciam

(1) Piccolpasso de quo supra.
(2) Florentino, qui vitam scripsit B. Gometii Ulyssiponensis Abbatis Cassinensis.

enim abunde in hujusmodi compellationibus. Patri vero *nostro* adjungere cum superius *Patri* dictum sit, id ignorantiae, & conculcationis ineptae plenum mihi videtur. Quid enim attinet, cum aliquem vocaveris *Patrem*, paulo post, ac fere statim *patrem meum* subjungere? Itaque nemo hoc expectet a me, sed vel ignarum aliquem literaturae, vel adulatorem quaerat. Quod autem suspicaris scriptum aliquid fuisse per nos ad Principem tuum, & querelas factas, missaque exempla litterarum tuarum, & Genuensium; hoc scito nullam protinus in se veritatem habere. Nichil enim de ea re illic scriptum ab hac Repub. fuit, imo in litteris, quas ipse nobis scribit, purgat sese, & nichil scivisse de hujusmodi scriptione asserens, & reprehendens inhonestatem eorum, qui scripserunt, in his inquam litteris scribit copias ipsarum litterarum, & responsionis nostrae de Urbe Genua sibi transmissas fuisse. Itaque vide, ne inter parietes, ut dici solet, aliquid lateat non satis lenivolum dignitati tuae, ac desine suspicari de nobis à quibus nichil omnino factum est, aut scriptum contra tuam dignitatem. Ego quidem hoc ipsum graviter fero, quod in mentem tuam cadere potuerit talis suspicio. An ego in tam longa familiaritate nondum satis probavi integritatem meam, ut etiam nunc dubitetur, qua mente sim praecipue erga dignitatem tuam? Commemorasti beneficia tua in me collata, & rectè: sed ego quoque non leviora a me collata in te commemorare possum. Et tu ipse fateris me unum amicum non defuisse in summis periculis tuis, cum ceteri omnes te palam destituissent, nec potentiores ea facere auderent pro te, quae ipse feci. Nam quod de verbo *temere* in litteris posito conquestus es, forsan ego vel litteras nunquam didici, vel oblitus sum. Significat enim non quod tu intelligis pre-

taris, *stolide*, & *insane*, sed *inconsulte*, & non
is considerate. In quo quae contumelia sit, non
uidem intelligo, praesertim cum non ad te solum
terae illae scriptae sint, sed ad te, & ad alios quos-
n, nec dictum sit vos *temere* fecisse aliquid, sed
videretis, ne quid *inconsulte* ageretur. Ut finem
iam, ego benevolentiam erga te servavi hactenus
n omni integritate, & eam servaturus sum. Hoc
quoque tibi persuadeas velim. Vale.

IX.

LEONARDUS LAPO (1) S. P.

Quomodo se gerere debeat.

CUm jampridem redditae forent litterae michi
tuae, in quibus non satis prospera de te, sta-
tuque tuo significari videbantur, ac postmo-
m audivissem Lecturam, & honorem tibi impen-
n, expectabam rursus a te certior fieri de rebus
s secundis, ut tecum, quemadmodum debeo, gra-
irer. Haec itaque causa fuit differendi responsum
um. Addo insuper occupationes Reipublicae, &
amdam ex natura tarditatem ad scribendum. Tu
tur haec omnia pro excusatione ita colliges, ut
nivolentiam, & amorem erga te meum eumdem
sse existimes qui prius fuit, nullam quippe mu-
ionem suscepit, licet tu locum mutaris, quod to-
m fecisti consilio, & suasione mea. Restat nunc

(1) Lapo a Castilionchio, de quo tiam in Epist. XI. Lib. VI. graecis, latinisque litteris instructo, qui nonnullas Plutarchi vitas in latinam linguam transtulit. *Lapum Florentinum* nuncupat Cortesius.

ut te currentem quidem cohorter ad constantiam perseverantiam, & durationem. Expertus equide sum, omnia Curiae hujuscemodi negotia esse, ut q perseveret, & duret certissimam sibi spem repro tere possit optato potiundi. Quod si perseverantia sit, & immatura sit properatio, in medio cursu evanescit. Noli ergo principia incusare, etsi satis tuo desiderio correspondent; sed spem optim complectere, futura, si perseveras, qualia tu ptas. Studia vero tua, in quibus omnis spes tui tus reposita esse debet, noctu dieque augescant, familiaritates, ac noticias majorum, ac minorum minum tibi conciliare ne cesses. Haec erit tibi certissima amplitudinis, atque dignitatis futurae. V le. V. Idus Martii.

X.

LEONARDUS FLAVIO FOROLIVIENSI S.

Rogat, ut epistolam suam Pontifici ostendat.

Epistolam grandiorem [1] ad te scribo de Politicorum, quos donare Domino nostro pae [2] constitui. Scribo autem ea de quod per te potissimum ostendi eam epistolam Sanctitati Suae, existimans, quod nec tibi grave rit ostendere pro singulari amore, quem erga me ris, atque Beatitudini suae inspicere. Tu igitur nus nostrum ornato verbis, ut inquit ille Tere nus amator, & tempus ad hoc aptum deligito. lent enim Principum aures occupationibus anxi

(1) Ea est prima Libri octavi.

(2) Eugenium IV. intell

atae recreationem aliquam poſcere ex ſuavioribus, ita dixerim, Muſis, quod praeſertim hic noſter Prin-s facit, cum ſit noſtra legendi, audiendique ſtu-ſus. Inſuper praefationem illam Beatitudini Suae endes, ita tamen, ſi placituram exiſtimabis. Sed ſtolam, quam ad te ſcribo, nullo modo praeter-ttas, quin oſtendas, atque cures, ut ſibi legatur. o ſuper triennium in horum librorum traductio-laboravi conterens ſingula verba, atque ſen-ntias. Non enim haec eſt narratio, aut hiſtoria, qua nichil ſit praeter ſignificationem rei geſtae; eſt diſciplina magna, & accurata, in qua ſi pau-um modo aberraveris, omnia paene confundantur. que incredibili diligentia opus eſt ad fidelitatem ductionis. Et haec fuit michi cauſa retinendi hos tos diutius in manibus, atque multi jampridem gitant, & avide expectant, ut libri edantur. Quod ac tandem fiet a me, prius quam finis ſit hujus uadrageſimae. Simul enim ac librum in ſecreto Dominum noſtrum Papam oſtenderis, ſub ejus mine edetur. Tu ergo vale, & hunc librum ſuſ-e, quem opinor tibi fore non ingratum, & michi ponde. Kal. Martii Florentiae.

XI.

ONARDUS FLAVIO FOROLIVIENSI S. P.

Cauſam ſignificat, cur Romam non ierit.

NOn permiſit valetudo mea, ut venire potuerim, quemadmodum ſtatutum fuerat a me. Nam per illos dies celebres, & feſtivos cum impe-viſſem licentiam veniendi ab iſtis Dominis meis reſ-

respectu literarum Domini nostri, subito distinationibus quibusdam frigoris ita vexari coeptus sum, ut vix consistere super me possem. Dixeram hoc Gerardino [1], ut ad te referret meo nomine: quod si fecit superfluae sunt hae litterae. Nunc autem, quia spes sublata est adventus nostri, expectabo, nisi tu aliud monebis. Vale. Die VIII. Junii 1437. Recommenda Domino nostro me, & excusationem meam facias. Iterum vale.

XII.

LEONARDUS GUARINO S. P.

Se ejus epistolam amisisse scribit.

RIdebis opinor cum ista legeris, ita quibusdam in rebus fata nonnunquam, contra quam velis, niti videntur. Reddidit enim michi literas tuas vir suavis, & impiger Gerardinus Fulginas. Capio letus, atque aperio. Principium statim legenti gratissimum fuit, quod hoc silentium inter nos culpare non immerito videbatur, cui meherck vehementer equidem assentiebar. Sed me cupientissime legentem superveniens inopportuna Magistratus vocatio festinare ad se jussit. Quamobrem cum replicata epistola paruissem, & a Magistratu fasciculum literarum suscepissem, nescio quemadmodum inter haec, vel excidit michi, vel subrepta est epistola tua, ut paulo post omnia diligentissime scrutatus nondum reperire valuerim. Si quid igitur erat, quod facto opus esset iterato rescribas obsecro; nam & tuae michi literae sunt jocundissimae, & ardet animus

(1) Gerardino Fulginati, de quo paulo infra.

nus singulari cupiditate in omnibus tibi morem gerendi. Vale, & me ama. Florentiae.

XIII.

LEONARDUS POGGIO SUO S. P.

Rogat, ut ad eum scribat.

POstquam ab invicem discessimus nichil omnino literarum tuarum, de quo summam capio admirationem a te suscepi, cum, ut nosti, ita convenisset inter nos, ut ego a tuis literis penderem. Quod si tamdiu pendere voluissem, quamdiu a te literae venirent, adhuc in pendenti essem. Sed praestare censui, ut vulgo dici solet, ruere semel, quam semper pendere. Itaque Ariminum veni, cum literas tuas frustra apud Aretium expectassem per dies multos. Sum autem etiam nunc avidissimus literarum tuarum, & quid agatur, quidve speretur scire percupio. Quare te rogo, ut non gravate michi hoc negocium, quod te curaturum promisisti, implere pergas. Tibi enim plus tribuo, quam ceteris hominibus, qui & in Curia, & etiam extra Curiam versantur: facilius quam ceteri judicare, & solidius praestare potes. Ego tamen interea non pendebo, sed in solido consistens, si tibi aliter videbitur, ad revolandum alas pendam. Vale.

XIV.

LEONARDUS EMILIANO S.[1] P.

Integritatem suam demonstrat.

NUmquam convenientius exordium, neque ad rem, de qua agebatur, accommodatius. Tota deinde orationis series principio congruebat. Verae profecto sententiae, & cohortationes justae, indignationes etiam adversus tardantem plusquam justissimae. Sed crede michi, non sum tardus, neque...[1] neque defui unquam communi bonorum causae, neque deero, quoniam jampridem meditavi, & disponere non desisto, ut bonis rationibus me, & negocia mea simul explicem, nec tamen interim adversus sententiam animi mei quicquam gero. Sic enim nota est integritas mea, ut nichil hujusmodi michi demandetur, nec socio meo clarissimo, & optimo viro in hac parte concessi nusquam, ac non concedo, eandemque commissionem, quam ille abeundo bene, & laudabiliter evitavit, michi priusquam sibi factam ego resistendo aperta, ut ajunt fronte repudiavi, atque rejeci; ille fortasse propter benignitatem morum, & consuetudinem parendi non est ausus in praesentia refragari, atque absens effecit, quod in praesentia facere verebatur. Ego propter liberalitatem animi, statim in ipso congressu primo commissionis sic in vultu ostendi, sic spem omnem suscipiendi negocii mandatoribus abstuli, ut ad alium ex tunc conver-

(1) Heic lacuna est.

(2) Petro nempe Aemiliano, ad quem nonnullas alias epistolas a Leonardo scriptas saepe adtulimus.

verterentur, de me autem in ea re nichil penitus cogitarent. Itaque inter ceteras multas haec me nunc ratio ſolicitat, quod nec illis obſequor hic manens, & alios offendo, utriſque vero diſpliceo; iſtis quod non facio, & illis quod non abeo. Illud tamen video intereſſe, quod iſti qualitercunque me gerentem libenter amplectuntur, & enixiſſime retinent, Tui autem ſive Cives, ſive Parochiani, ſive incolae me nunquam poſtulaverunt, nec requiſiverunt. Juvabit me tamen ſponte mea bene facere, quod alii fortaſſe niſi provocati non fecerunt. Vale.

XV.

LEONARDUS CARDINALI DE COLUMNA S. P. D.

Eidem reſpondit, ſuorumque operum exemplar pollicetur.

REverendiſſime in Chriſto Pater, & Domine: Reſcribo ad virum doctum, & ſuavem Benedictum de Anania, quae quidem reſcriptio erit etiam reſponſum ad literas Reverendiſſimae P. V. Si igitur non aderit Benedictus, poterit R. P. V. literas aperire, & perlegere. Recommendo me eidem P. V., & ſi quid noviter edetur, poſtquam ita placet, nomine veſtro exemplum ejus ſervabo. Florentiae octavo Kal. Septembris.

XVI.

LEONARDUS GUARINO S. P. D.

Gratias agit pro amico sibi comparato.

SI vales bene est, ego quidem valeo. Cavitellum (1) sese michi dedentem ex antiqua formula suscepi. Tu autem fuisti in hoc tanquam pater patratus. Ago tibi gratias ingentes pro singularissimo lucro, quod a te michi comparatum est. Neque enim cum suavitate amici thesaurum ullum existimo conferendum, nec tu magis illum michi, cum me illi comparasti. Siquidem reciprocus amor est amantem amare, & inhumanissimum sit non respondere in amore iis, a quibus provocere. Vale, ac me splendidissimo Leonello (2) commendatum facias. Iterum vale.

XVII.

LEONARDUS ARRETINUS ANONYMO.

Exemplum litterarum ei mittit, affinemque suum commendat.

VEnerabilis vir, frater charissime. Misi nuper, ut nosti, vitam Aristotelis Reverendissimo Domino Cardinali Sanctae Crucis (3), & nunc ipsius literae non ingratum fuisse sibi munusculum illud

(1) Nicolaum nempe Cavitellum.
(2) Leonello Estensi, ad quem plures epistolas scripsit Poggius.
(3) Cardinalem puta Albergatum.

illud ostenderunt, de quo summam letitiam suscepi. Verum quia Poggius, qui eam vitam legerat, michi de hoc scripsit ostendens se habere commentaria quaedam pertinentia ad illarum rerum notitiam, non alienum putavi, ut quae ad illum rescripserim cognoscas. Suspicor enim quae michi scripserat Poggius, eadem illa Domino Cardinali dixisse optima tamen fide, & sine ulla obtrectatione; sed tamen interesse putavi illum etiam cognoscere responsionem meam. Itaque exemplum litterarum cum his mitto, & Stephanum Aretinum necessarium meum suscipias recommissum. Vale.

XVIII.

LEONARDUS ARRETINUS SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PAPAE [1].

Antonium de Perutiis ei commendat.

SAnctissime ac Beatissime Pater. Permultae rationes verissimae, efficacissimaeque existunt, ob quas promotio spectabilis viri Domini Antonii [2] de Perutiis ad Ecclesiam Aretinam nunc vacantem foret summe commendanda, primo quia persona ipsa Domini Antonii virtuosa est, atque sufficiens, cum adsit elegantia atque probitas morum, & gradus scientiae, atque doctoratus, & insuper commendationem sibi maximam afferre debet Familiae di-

(1) Eugenio IV.

(2) Qui Canonicus Florentinus fuit, atque a cubiculo Eugenii IV. Populi etiam Florentini nomine Pontifici, & Cardinalibus eundem commendavit Leonardus per epistolas, quas in vita ejusdem Antonii adferet Vir Cl. Salvinus Salvinius.

dignitas, & amplitudo, & parentis excellentia, atque auctoritas. Praeterea cum sit Civitas Aretina in potestate Florentini Populi, experientia ipsa rerum magistra docuit, Episcopum origine Florentinum multo aptiorem esse ad administrationem, & conservationem illius Episcopatus. Affert etiam hoc ipsum favorem Aretinis, cum Episcopus Florentiae auctoritatem, & fidem maximam habeat; multis enim succurrit, multisque obviat, quibus omnibus respectibus suaderem Beatitudini Vestrae, ut in Dominum Antonium potissime oculos, & voluntatem dirigeretis. Hoc locutus cum fiducia, quantunque revera, & corde intelligo, humiliter recommendo me ipsum & devote S. V.

XIX.

LEONARDUS ARRETINUS NICOLAO SUO S. P.

Hortatur, ut ad Urbem se conferat.

DEus male perdat hanc tuorum perversitatem, siquidem illi te quiete vivere non sinunt, cujus humanitas, & facetiae, ut universi mortales studere debeant tranquillitati tuae, promerentur. In qua quidem re quod illud meum probes consilium non ex sapientia aliqua mea, sed abundantia charitatis depromtum, vehementer placet. Aut enim nulla unquam requies erit tibi domesticorum malorum, aut si ulla futura est postquam ita sunt animi, per separationem fiat necesse est. Unum tamen scias michi super omnia placere, ut non vicum, aut plateam, aut regionem aliquam urbis medius facias, sed ut ad nos te recipias tanquam in asylum quoddam perturbationum cun-

cunctarum. Facile enim, vel dulcedo consuetudinis nostrae, vel contemplatio hujusce Urbis, vel antiquarum rerum perscrutatio omnem aegritudinem eradicabit animo. Tempus enim veniendi aptissimum nancisceris, cum propter odii temperantiam, quae jam sequetur, tum propter hanc sanctissimam, & commodissimam pacem, quam Pontifex Maximus cum Rege firmavit, de cujus conditionibus nichil singulatim referre libet, praesertim ad te scribenti cujus nichil interest aequa, vel iniqua conditione sit facta. Modo itinera aperta sunt, nec a latronibus obsidentur armatis. Erit autem duplex solatium, nam & in Urbe commoraberis, quam videre diutius cupiisti, & eam relinques, cujus te non dicam odium, satietas certe habet. Pauci autem menses apud nos acti, & notitiam rerum Urbanarum, & ut domi libenter vivas propter hanc intercapedinem temporis praestabunt. Sed haec tu videbis. Narcissinum in dies expecto, fuitque ipsa causa tardius ad te scribendi, quod in spem veneram una cum hisce litteris transmitti posse. Et certe quantum in me est, ego tuum propositum laudo. Effunde habenas optimos vitae dies transire. Incoepto solum opus est, nam in hoc non dimidium facti qui coeperit habet, sed totum. Ipsa te prona amplaque via sine ullo labore, aut sudore praecipitem trahet. De Epistolis Ciceronis, & gratias ago ingentes, & ut ad me illas transmittas, ardentissime exopto. Catonis Historiam te cupere intelligo. Faciam equidem libenti animo: sed unam rem volo non ignores, quae adhuc me quominus eam ederem remorata fuit. Scis tu profecto, qui michi per illud tempus affuisti, quanta cum celeritate illa sit a nobis in latinum traducta, ut etiam nonnullis in locis aliquid propter festinantiam sit praetermissum ea tum spe, quod diligentius consideravissemus, &

tu-

tutius. Si itaque facultas librorum michi post discessum meum affuisset, jamdudum politam, atque tritam in manibus haberes. Sic autem, ut est, si ederem vereor, ne obtrectatoribus fenestram ad calumniandum, quod maxime captare videntur, aperirem. De Bibliotheca Papiensi per Luscum nostrum, id quod desideras, haberi non potest. Licet enim homo sit eruditus, tamen illorum librorum eruditionem non habet. Quare ab aliis quaeramus, qui vel ipsi sciant, vel ibi praesentes instrui possint. De Ecographia velim des operam, quantum potes, celeriter, ut ad me deferatur. Historiam Marci Antonii, & libellos Xenophontis, & Basilii cupit Luscus noster summopere videre, quos hic non habemus; jactura enim ipsorum facta est in illa fluctuatione, ac prope naufragio Curiae Romanae. Itaque ad te itur, quod etiam suo nomine mandavit Luscus, ut peterem. Orationem Demosthenis pro Ctesiphonte latinam facere incoepi. Res est summe luculenta, & (1) Ravennati nostro valde, ut opinor, placebit, cum refertissima sit oratoriis ornamentis. Vale. Romae.

XX.

LEONARDUS NICOLAO CAVITELLO S. P. D.

Cavitellum in amicitiam recipit.

EGo vero, mi Cavitelle, quoniam quidem tu ita vis, hoc tuum munus amplissimum profecto, ac maximum libens, gaudensque suscipio, scribamque nomen tuum, non in diario quemadmodum

(1) Johanni Ravennati Rhetori Leonardi nostri praeceptori.

lum tu jubes, sed in perpetuario, ut ita dixerim modo. Nam amicitiae quidem illae in dies sunt, ac mutationi subjacent, quas vel utilitatis spes, vel jocunditatis ratio copulavit. Virtutis, non utilitatis gratia qui amantur, hi solum stabiles, perpetuique in amicitia perdurant. Non enim ob id amatur quod deficere possit, cum sit virtutis stabilissima possessio, non ut inconstans, atque mutabilis, neque enim eripi cuique potest virtus, neque auferri, neque fortunae subjacet ictibus, nec in eam, ut Philosophis placet, repit oblivio. Itaque ego ipse, qui Peripateticos sequutus felicitatem hominis mutari posse sentio, & qui felix est, felicem esse desistere, de bono viro contrarium duco. Habitus quidem virtutis, & praeclara voluntas in quantuncumque afflicta fortuna remanent. Operatio autem illa, & bonorum cumulus, in quibus felicitas consistit, squallore, & carcere, & ceteris fortunae tormentis labefactatur quidem, ac praepeditur. Ex hoc fit, ut virtus ad bonum quidem virum faciendum satis sit, ad felicem vero faciendum non sit satis. Sed haec majora secundum praesens. Ad propositum ergo revertar. Tu michi visus es eo modo te dedere, qui est in antiqua dedendi formula. Sic enim petitur deditis, *ne vos Urbem, Templa, Domos, Agros, utensilia*, & cetera quae sequuntur. Respondit pater patratus: *dedo*. Sic tu cum tui ipsius potestatem habeas, teipsum dedis, & ego suscipio, gratiasque ago permaximas Guarino nostro [1], qui hoc praeclarum munus, vel comparavit michi, dum non haberem, vel patefecit, cum ignorarem. Quod autem de Operibus meis aliquid postulas, sane non occurrebat, quid nunc ad te mitterem. Sat, si certior a te fiam, quid optes. Dabitur sedulo opera, quo tuum in ea quidem re desiderium compleatur. Vale.

XXI.

(1) Vide Epistolam XVI. hujus Libri.

XXI.

LEONARDUS THOMAE CAMBIATORI S. P.

Se frustra pro amico laborasse significat.

NIL opus fuit, ut mihi gratias ageres pro his, quae locutus sum Jacobo Pagano de meo erga te desiderio. Cum enim te semel receperim amicum, omnia tibi me debere puto. Susceptis igitur superioribus litteris tuis, per quas te cupere significasti id ipsum, quod ad me fuerat oblatum, dedi operam sedulo, ut ad officium Mercantiae hic apud nos in ea commendatione atque opera deligerere. Qua in re non defuit nobis diligentia. Fortuna certe defuit; propterea quod instantibus Comitiis magni viri Ariminensem quemdam Doctorem suffragiis praetulerunt. Itaque & gratia nostra, & petitio in hac quidem re superata fuit ab aliorum potentia, & gratia. Nos tamen non desistemus si quid occurrat te dignum, partes nostras interponere. Si nil aliud emergit, at sequentibus Comitiis, quae sexto Mense futura sunt, non cessabimus experiri. Quae vero te premunt, ut significas, ea tu patienter, ac philosophice debes perferre, praesertim cum hi probentur philosophi, qui nichil enumerant in bonis praeter honestatem. Sed hoc tute ipsum non dubito, quin optime facias. Vale, & me ama.

XXII.

XXII.

LEONARDUS ANONYMO S. P.

De numero librorum T. Livii, causaque cur plerique ex his interierint.

QUaeritur, ut video, in literis vestris de Titi Livii Patavini libris, & quot reperiantur, & quot deperditi sint, & unde haec jactura librorum pervenerit. Nichil est, quod facilius investigari queat. Reperiuntur enim decades tres, licet una earum videatur in aliquo diminuta. Scripsit autem si bene memini, decades supra tresdecim, quae conficiunt libros supra centum, & triginta, ex quo constat Livii libros supra centum fuisse amissos. Causa vero amissionis, ut ad tuum quaesitum veniamus, illa puto, quod afflicta quondam Italia Gothorum, & Longobardorum longa invasione tanta calamitate nostros homines oppressere, ut omnino librorum, studiorumque oblivmiscerentur. Tenuerunt autem Italiam Longobardi annis ducentis quatuor, cum prius Gothi supra sexaginta annos Italiam afflixissent. In tanta igitur calamitate, & tam longa servitute vastatis, atque incensis pluribus urbibus, quasi desperatis rebus studia, librique interiere. Id tale aliquid fuit tunc in Italia, quale nunc est in Graecia a Turcis occupata. Sic enim nunc afflicta est gens Graecorum, ut qui dudum magistri, & principes studiorum erant, vix nunc reperiantur ex eis, qui primas literas sciant. Vale.

XXIII.

LEONARDUS ANGELO S. P. D.

Aequiſſime cum eo actum eſſe oſtendit.

VErba ſunt Juris conſulti, cui ego magis credo, quam Bartolo, aut Cino, quae ita dicunt. Quod illud rectiſſime receptum eſt, ut leges non ſolum ſuffragio legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu Civium per deſuetudinem abrogentur. Cum igitur habeamus haec verba, & hanc Juris Conſulti ſententiam, nullo modo dubitandum cenſeo, quin legibus illis, quae dabant excuſationem aetatis, ſit poſtmodum per longam diſſuetudinem abrogatum. Nulla ſiquidem memoria extat, ut alicui permiſſa fuerit hujuſcemodi exſcuſatio, ne allegata quidem eſt a quoquam, licet quotidie majores ſexaginta annis extrahantur. Notanda ſunt inſuper illa verba = *tacito conſenſu* = Qua quidem verba excludunt illorum dubitationem, qui putant oportere, ut incongruum opponatur, ac judicetur. Quomodo enim eſſet tacitus conſenſus, ubi & contradictum, & judicatum eſſet? Praeterea Lex noſtra non penitus compellit ſenem ad munus ſuſcipiendum, ſed aut ire jubet, aut pecuniam ſolvere. Et ſi aetas eſt inhabilis ad eundum, nichilominus eſt habilis ad ſolvendum. Tu certe, mi chariſſime Angele, graviter ferre non debes, te eodem modo tractari, & eodem jure cenſeri, quo reliqui cives. Siquidem jus civile nichil aliud eſt, quam aequitas, & paritas civium, in quo plus velle, quam ceteri aut voluerint, aut habuerint, inhoneſtum videri poteſt.

De-

enique cum allegantur excuſationes, lex noſtra ad ominos Priores, & Collegas referri jubet, & eoım decretum expectari debere, eoque nos jure imur in Prioratu, in Legationibus, & aliis muneribus publicis, quod & tibi facere licet. Nam ut ea refert opinio, excuſatio illa tua nova quidem, inſueta aliis de jure noſtro nequaquam ſubſiſtit. oterunt tamen & Collegae, ſi eis videbitur, comobare. Vale.

XXIV.

LEONARDUS ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI (1) S. P. D.

Alphonſi epiſtolae reſpondet.

TU michi videris, optime Pater, in Alphonſiana controverſia vere perſonam judicis ſubſtinere. Siquidem libelli per utramque partem ad te tibuntur. Tu autem poſtmodum copiam eorum litintibus facis, ut veram eſſe judicii formam, ac tanem a te diffinitivam ſententiam expectari appareat. eddıtum eſt michi noviter exemplum epiſtolae, uam Excellentiae tuae ſcripſit Alphonſus, & ſimul ſponſum Candidi (2) defenſoris mei coram te eidem piſtolae factum. Primum igitur Candido viro ditto, atque facundo gratias ago, quod invocatus, ichi advocatum ſe praeſtitit; declaravit enim & idicio quid ſentiret, & ſtudio quid vellet. Cujus illu-

(1) Franciſco Piccolpaſſo. Porro haec epiſtola nunc primum lucem adſpicit ex Cod. Bibl. Laurentianae, cumque eadem confer Epiſtolam IV. Libri VII., quae de eadem re tractat.

(2) Petri Candidi Decembrii.

illuitre ingenium, oratioque locuples, & jocunda pomagnae michi fuit voluptati. Epistolam deinde Alphonsi legens usque adeo diversa sentire illum & opinari video ab iis, quae ego sentio & opinor, ut toto simul judicio discordare videamur. Statim enim quo de agitur in ipso firmamento causae principalique judicio cum omnis contentio nobis de interpretatione sit, & probatum fuerit a me omnem interpretationem ita demum esse rectam, si graeco respondeat, vitiosam, si non respondeat, nec posse qui graecum nescit de interpretationis veritate cognoscere: iste eo confugit, ut quamvis fateatur se linguam graecam ignorare, nichilominus de veritate interpretationis disputare se posse contendat per conjecturas quasdam & verisimilitudines, nec intelligit disputandi genus a se induci, in quo nichil aliud sit, nisi plane divinare. In hoc igitur primo diversissimi sumus, deinde in illo, quod putat, eum qui libros Aristotelis de graeco in latinum transfert, non ad verba Aristotelis respicere debere, nec quid dicat Aristoteles, sed quid dicere debeat, in latinum transferre. Ego vero absurdissimum in hoc ejus judicium puto, ac periculosam nimium licentiam, ut de interprete fiat aliquis diffinitor, & judex. Nam cum interpretatio nichil aliud sit, quam unius linguae in alteram expressio, officium certe interpretis est non divinare, neque conjectare, nec pro arbitrio suo dicere, nec ad opinionem aliquam suam verba deflectere; sed simpliciter, ac protinus sine ulla mutatione, ut in aliena est lingua, sic in sua referre: nam variare interpreti nefas est. Praeterea in eo multum distat illius sententia a mea; quod ipse de doctis hominibus, ac de politioribus istis disciplinis & studiis non satis polite michi sentire videtur, sed quasi ad opinionem vulgi de illis arbitrari & loqui.

At-

ttribuit enim (ut ſuis vocabulis utar) juriſtis, qui
ummas componunt, & talia quaedam ſcribunt, at-
ribuit inquam hujuſmodi hominibus ſtylum, &
loquentiam, & in Philoſophia eos verſari credit,
c diſciplinarum omnium cognitionem habere. Ego
utem perfectius quiddam, & majus, & eruditius in
raeſtanti homine requiro. Dino autem, & Cino
t aliis hujuſmodi magnam juris ſcientiam tribuo;
am in ea ſtudium & operam ſuam poſuere. Cete-
as vero diſciplinas & artes, quae doctum & eloquen-
em faciunt hominem, vix primis, ut ita dixerim,
abiis deguſtarunt. Inſuper illud non laudo, quod
erba quaecunque & undecunque paſſim collecta
tiam barbara, & graeca latino ſermoni admiſcenda
enſet, neque conſiderat Ciceronem, Livium, Sa-
uſtium, alioſque probatos auctores ſemper hujuſmo-
i mixturam tanquam labem, & corruptelam latini
loquii refugiſſe. Verum haec ſuis locis oſtendentur.
Nam ad ſingula, prout ab eo poſita ſunt, reſpon-
ere conſtitui, ac primo ad illud, quod de honeſtate
cribendi dixit, in quo non minus laboro tibi ſa-
isfacere, quam in ceteris rebus, de quibus contendi-
nus. Itaque ad illud primo & ante omnia reſpon-
ere placet. Tu autem judex eris & honeſtatis ſcri-
endi, & veritatis. Excuſat ſe in principio epiſtolae
uae, aſſerens non mei irritandi cauſa ab initio ſcri-
ſiſſe. Haec illi credo. Sed non ego quidem quae
eſpondi, irritandi ſui cauſa reſpondi, ſed mei de-
endendi. Illud tamen intereſſe video ad honeſta-
em, quod ego laceſſitus ab eo reſtiti, & oppugna-
us repugnavi: ille voluntarius me impetivit. Ho-
noraſſe me verbis dicit, cum appellarit novellum Ci-
ceronem. Haud equidem tali me dignor honore, ut
eſt apud Virgilium (1). Michi enim mea tarditas, & in-

 fan-

(1) Lib. 1. Aeneid.

fantia nota est. Habeo tamen sibi gratias, quod de me bene existimarit. Sed ipse profecto non minora tulit ex me honoris verba, cum & doctissimum, & praestantissimum virum saepius appellarim oppugnatorem meum. Debere, inquit, de moribus disputantes magis esse moderatos, quam in ceteris disputationibus. Recte quidem. Sed cum hoc sciret, cur me lapidibus impetivit, qui actus non est moderati hominis, sed immoderati, atque vesani? Gratum videlicet hominem, ac moderatum Alphonsum, qui pro tot laboribus vigiliisque meis in communem utilitatem collatis mercedem michi retribuit lapidationis. Vide nunc ex opposito moderationem meam. Cum ad haec ipsa responderem, diligenter cavi, ne illum offenderem, & alium supposui dicens; ut si alius quidam phrenesi correptus venientem ad se medicum lapidibus repellat. Et paulo post haec ipsa illius verba asperius dicta in mitiorem traducens partem inquam (1): sed de lapidibus quidem quemadmodum ab illo praestantissimo viro urbane dictum puto, sic etiam urbane suscipio: nec miror id michi accidere, quod ne Hieronymus quidem vir doctissimus potuit evitare, adversum cujus labores utilissimos multi aetatis suae, nec ii sane admodum indocti reclamabant. An potuit mitius & honestius responderi, quam ego respondi? Enimvero tu alio loco puerilia, & inepta & levia illius quaedam esse dixisti. Quid ergo? cum ille contra me diceret, oppugnaret, persequeretur; dicta ejus matura, & gravia, & apta debui dicere? Neganda certe illa fuerunt, & cum aliquo aculeo repercutienda praesertim indigne, inhonesteque objecta. An cum ille diceret, me fingere posse in graeco esse

(1) Haec sunt verba Leonardi nostri ex Epist. IV. Lib. VII., ex qua multa alia in hanc epistolam translata sunt.

ffe, quod non fit, ac tantae levitatis, improbitatif-
ue me fufpectum faceret, ac veluti falfi accufaret,
rationes vero Demofthenis & Aefchinis a me transla-
ts, ne Ciceroni furatus effem, fufpicionem induce-
et; quifquamne fuerit, qui me afperitatis repre-
endat, quod ejus dicta levia, & puerilia, & inepta
ixerim? ac non potius moderationem meam admi-
etur, quod non ut flagitiofa, ut improba, ut ftul-
a, ut maligna illius dicta refutarim? Non me igi-
ur accufet immoderationis, fed potius fe ipfum,
ui caufam dedit, ut fic refponderetur. Non vide-
ur Alphonfus ponderare quæ dixit, fed folummodo
uæ audivit, nec meminit Vefpafiani decreti, qui
nquit: non licet maledicere Senatori; fed licet, fi
ienator maledixerit, ei male redicere. Quamquam
uid mali eft in illis verbis, fi is qui refutat crimen,
licat leve & puerile, quod fibi ab adverfario fit obje-
tum? Sufpectas illi video fuiffe commendationes
neas, cum inter occupationes maximas eum dixerim
nulta egere, multaque indagari, Philofophis, & Ora-
oribus, & Poëtis, & divinis fecularibufque litteris ope-
am fuam continuo impertientem. Nefcio, cur ifta
ion potius in bonam partem accipiat, praefertim
um nil de eo dixerim, quod non fuerit honorificum.
Nam quod de Theophrafto & Archefilao dixi, cum
fint illi duo quafi Principes in tradenda Philofo-
phiae difciplina, non ad homines, fed ad Philofo-
phiae praecepta intellectum direxi, dicens eum in-
dagari illa, quae Plato & Ariftoteles cum Theophra-
fto, & Archefila tractaverunt. Nam qui dicit Plato-
nem & Ariftotelem cum Theophrafto & Archefila
indagatur, non ad perfonas philofophorum fe re-
fert, quae non extant, fed ad eorum difciplinas, &
fcripta, quae vivunt & extant. Haec enim indaga-
ri poffumus & debemus: Perfonas vero indagari ri-

diculum foret. Inquit, me, si praesens adesset, interrogaturum fuisse: a temetipso hæc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Cui responderem, non a me ipso dico, nec alii michi dixerunt, sed tu ipse. Quicunque enim studium philosophiae profitetur, is Theophrasti & Archesilae disciplinam se indagari profitetur. Nec video, cur hoc non ad laudem sibi debeat imputare: dicit nescio quid de syllogismo & enthymemate. Ego autem cum dixi sacrae paginae codices crebro evolvit, non dixi illum scire sacram paginam, sed aliqualem operam ei praebere. Qui tamen de singulis scientiis quaedam libarent, eos multa & varia scire inquam, nec reprehendere me eos dixi, sed illud monui, nec cum alicuius rei corticem gustassent, sibi de tota re judicium arrogarent. Haec & conclusisse me recte, & monuisse salubriter puto. Sed ut video haec a me simpliciter dicta non in bonam accipit partem. Putat enim se notari a me, quasi gloriatus sit de occupationibus suis, & quasi se jactaverit de tot librorum lectione. Profecto non fuit haec mens mea, dum illa scripsi. Nec verba sane eo modo sonant, sed illud ostendere volui, cum tam multis, ac magnis occupationibus impediretur: & praeterea juri, quae est praecipua illius professio curiosam operam daret, & insuper tam multa & varia lectione delectaretur, ac tempus suum tot rebus impartiret, non verisimile videri hominem in tot studia distractum, & per tot impedimenta occupatum eam philosophiae operam dedisse, ut solidum sibi judicium de ea debeat arrogare. Haec fuit mens mea, haec ratio loci illius. In quo tamen ipso ne laederem Alphonsum, personam aliam subjeci inquiens: Nostri quidem Itali, qui juris studium profitentur, nichil fere aliud sciunt, quam ipsum jus, & si in ceteris vagentur studiis, ac philosophis

&

& Poëtis, & Oratoribus, & Historicis impartiri operam velint, ridiculi habentur: nichil enim plane tenent, qui cuncta sectantur. Contingit enim illis, quod de viatoribus dici solet, permultos quidem habere hospites, sed amicos nullos. Non ergo gloriatum occupationibus suis, sed occupatum ostendere volui, nec jactantem se, quod tam multa legerit, sed distractum varia, multiplicique lectione monstravi. Ex quibus illud conficiebatur, quod ego quasi conjecturam inducere volebam, non esse verisimile satis operae studio philosophiae dare eum potuisse, nec esse solidum ejus judicium in philosophia existimandum. Consulere sibi me dicit per exemplum Italorum juris peritorum, ut fines suos obstruat, nec aliena castra temere ingrediatur. Hinc ille duas arripit litigandi ansas, unam de consilio, alteram de exemplo. In utraque vero, quemadmodum ei mos est, verba mea deflectit, atque distorquet. Primum igitur, quod de consilio inquit, nego me sibi consuluisse. Patet ex verbis meis, quae talia fuerunt. Nostris ego hominibus suaderem, ut juris periti in suo jure se contineant, aliena vero castra non temere ingrediantur. Deinde cum castra sint loca militiae & belli, illud monere volui, ne juris periti in disputationibus & contentionibus temere procederent in alienas facultates, sed infra suos se fines continerent. Ut enim philosophus si de Lege Falcidia, vel de Pupillari substitutione disputaret, ridiculus inter juris consultos haberetur; ita juris consultus si de subtilitatibus philosophiae disputare vellet, ridiculus foret inter philosophos. Separata enim haec studia sunt, nec de ullo me legisse memini vel ex veteribus, vel ex modernis, qui idem fuerit juris consultus & philosophus, vel juris consultus, & Poëta. Non igitur dico temerarium esse, si juris periti

ali-

aliqua philosophiae praecepta sibi adipiscantur; sed esse temerarium, si cum pauca sciant in aliena facultate, ad judicandum de ea quasi scientes progrediantur. Declarant id verba mea in hoc ipso loco subjecta, quae talia fuerunt. Nec ego illos reprehendo, qui multa ista ac varia quantulacumque ex parte attigerunt; sed illud moneo, ne cum superficiem aliquam norint, sibi de tota re judicium arrogare pergant. Tota igitur vis in verbo *temere* posita est, quod significat inconsulte, inconsiderate, incaute. Alphonsus vero, ut pace sua dicam, non videtur recte capere hujus verbi significationem. Sic enim capit, quasi significet inhoneste. Itaque petit honestum ne sit, an temerarium juris peritos philosophiae studere? Nec videt esse aliud facere temere, quam facere inhoneste. Miles enim si cum evidentissimo periculo in medios ruat hostes, temere quidem facit, non tamen inhoneste [1]:

Reddere qui voces jam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iras
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.

Et Ovidius [2]:

. . . . *Nescis, temeraria, nescis*
Quem fugias, ideoque fugis: . . . .

Non dicit Horatius puerum inhoneste capere & ponere iras, sed inconsiderate & inconsulte: nec Phoebus amatam suam vocabat inhonestam, sed inconsideratam, & inconsultam. Quare petere honestum ne sit an temerarium, imperita est interrogatio. Nec sane congruit, cum non sit idem temere ac inhoneste: nec contraria igitur temerarium & honestum. Diximus de consilio; nunc de exemplo dicemus. Vocat me in invidiam apud Italicos juris consultos, quod

(1) Horatius in epistola ad Pisones.

(2) Apollo apud Ovidium Lib. I. Metamorphoseon.

uod dixerim, eos nichil fere aliud scire, quam ipsum
is. Putat enim per hoc me dignitati eorum de-
raxisse. Ego vero non minuisse eorum laudem, sed
najorem in modum auxisse me puto, quod cum
nagnum, ut ita dixerim, mare sit juris corpus, in
o perdiscendo & acquirendo totam operam suam
eteris omnibus posthabitis posuerint. Neque enim
liter potuissent tantam in eo studio excellentiam
dipisci. Ut enim faber, & sutor, & quivis artifex
nulto melius proprium munus adimplet, si totum
e praebeat opificio suo, nec aliis artificiis distraha-
ur: ita qui juris studium profitetur, si solum ei stu-
io incumbat, opus suum multo melius adimplebit.
Rogat nunquid sit crimen juris studiosum philoso-
hiae studere? Respondeo non esse crimen; quin
mo suaderem omnibus juris studiosis, ut potius se
d Philosophiam conferrent utpote digniorem, di-
iniorem que scientiam. Sed quid hoc ad rem? Nos
nim non de eo, qui eligere vellet studium, sed de
o, qui jam se se juris studio mancipasset loqueba-
nur, qui monitus fuit a nobis, ne temere progre-
eretur ad judicandum de alienis a studio suo facul-
atibus. Nec tamen dixi, doctores Italicos nichil aliud
cire, sed dixi nichil fere aliud scire, ut hoc tem-
eramento ostenderem, optimos juris professores
irca admodum pauca vacare extra suam facultatem.
At enim principia juris a philosophia sunt, inquit:
taque debet juris studiosus circa eam laborare, nam
x illa jus existit. Cur ergo cum philosophia ubique
errarum sit una & eadem, leges Venetiis aliae sunt,
uam Florentiae, ac multo magis diversae apud Gal-
os, & Persas? Cur jus civile michi dicit omnem ser-
itutem esse contra naturam, cum philosophia me
doceat, aliquos esse natura servos? Possent multa
per hunc modum in contrarium adduci; verumta-
men

men· ego fateor principia juris esse a philosophia, sed admodum illa quidem alte repetita & generalia, ceu virtutes & vitia in potestate nostra existere; ideo illas proëmia, haec paenas promereri, & nec impar paribus, nec par imparibus convenire, & talia quaedam, quae nos intelligentes nichilo magis tamen particularia juris teneremus. At quidam Italorum dixit, habitus elicitos a jure canonico esse virtutes intellectivas, ex quo patet illum de philosophia gustasse. Magnum certe negotium fuit hoc dicere, praesertim cum audire potuisset, omnem habitum scientiae, vel sapientiae, vel prudentiae, vel artis esse virtutem intellectivam. Praeterea quaenam haec significatio est? Nam Cicero inquit: *scripsi ad te potius, ut elicerem epistolas tuas, quam quod haberem, quid scriberem*. An ergo ut Cicero epistolas ab amico, sic iste tentavit habitus a jure canonico elicere? Quis non videt, illum inepte & imperite locutum esse? Reprehendit, quia scriptum fuerit a me de Hispania non esse consentaneum, ut in extremo mundi angulo plus humanarum occupationum sit, quam in medio. Asserit enim mundum non habere angulos, ac me redarguit quasi Geometriae ignarum. In quo longe aberrat. Mundus enim permultos habet angulos; tot enim habet, quot in mundo sunt. Ut enim silvas, & stagna, & montes, & planities, & promontoria, & sinus maritimos habet mundus, sic etiam habet angulos. Caesar in Commentariis belli Gallici Britanniam describens inquit: *Ejus unum latus est contra Galliam. Hujus lateris alter angulus qui est ad Cantium ad orientem solem, alter ad meridiem spectat*. Livius quoque inquit; *excepto Venetorum angulo, qui sinum accolunt maris*. Quaero igitur ab hoc geometra nostro, utrum anguli, de quibus & Caesar, & Livius scribunt, extra

tra mundum sint, vel in mundo? Si extra mundum esse dicat, doceat ubi sunt. Si vero sunt in mundo, ut silvae omnes quae ubique terrarum sunt, mundi sunt silvae, & regna omnia, quae ubique terrarum sunt, mundi sunt regna; sic etiam anguli omnes, qui ubique terrarum sunt, mundi sunt anguli. Quid ad haec respondere potest? Extremum vero mundi vocari Hispaniam non est inconsuetum; Sesostris enim Rex Aegyptiorum, quem ad Hispaniam usque venisse cum exercitu tradunt, sic a Lucano describitur:

Venit ad Occasum, mundique extrema Sesostris,
Et Pharios currus Regum cervicibus egit.

& alio loco de bello contra Petreum, & Afranium in Hispania gesto inquit:

At procul extremis terrarum Caesar in oris
Martem saevus agit . . . . .

Putat me situm ac magnitudinem Hispaniae ignorare, & causam subdit; inquit enim ignoscendum esse michi, si in meis studiis consistens haec attendere non curavi. Quasi vero aut Eratosthenes, aut Ptolemaeus, aut Plinius cum situs regionesque describunt, oculis eas viderint, ac non potius in suis studiis consistentes mente intelligentiaque conspexerint. Equidem michi satis multa legisse de Hispania videor, situmque & magnitudinem ejus, portusque tam in hoc Mediterraneo, quam in Oceano mari existentes non, ut Alphonsus putat, ignoro. Magna quidem illa videri potest, si ad minores Provincias comparetur: sin autem ad magnitudinem orbis terrarum perparva reperietur. Alphonsus autem noster cum sit geometra & mathematicus nimio patriae detinetur amore. Itaque magnam putat, quae exigua est. Quam enim magnitudinem Hispania habere potest, cum universa terra, quae a nobis in

co-

colitur, veluti parva quaedam insula sit, de qua praeclare Cicero noster in Sexto de Republica libro inquit: *Vides habitari in terris raris, & angustis locis*. Et paulo post: *Omnis enim terra, quae incolitur a vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parva quaedam Insula est*. Et alio loco: *Jam vero ipsa terra ita parva mihi visa est, ut imperii nostri, quo quasi ejus punctum attingimus, paeniteret*. Si igitur universa terra, quae a nobis incolitur, parva est, & in ea ipsa parvitate Imperium Romanum, quod a Gadibus ad Euphratem patebat, quasi punctum ejus attingere secundum rationem veram putabatur; quanta existimanda est unius millesimae particulae illius quasi puncti magnitudo? Quare non dedignetur Alphonsus, si aut extremam mundi appellarim illam regionem, quae Oceano mari abluitur, cum & alii eodem modo appellarint, aut si angustam dixerim, cum etiam universa terra dicatur angusta, a quo anguli quoque nomen descendit. Jam vero his omissis ad fundamentum controversiae nostrae veniamus, & repeto illa verba mea, quae tunc scripsi: fuerunt autem haec. De re autem ipsa, principalique negocio quid ipse sibi velit vix equidem intelligo. Omnis quippe contentio nobis de interpretatione est: Interpretatio autem omnis recta, si graeco respondet, viciosa, si non respondet. Itaque omnis interpretationis contentio unius linguae ad alteram est. Hic autem graecam linguam se ignorare fatetur. Quae igitur mecum disputandi ratio illi relinquitur, nisi per divinationem quandam rei penitus incognitae? Si nescientem se plus in ea lingua intelligere putat, quam ego qui scio, intolerabilis est. Sin me plus intelligere concedit, quid mecum contendit? Confero, inquit, antiquam interpretationem ad tuam quod possum, & illam longe antepono. Utrum tu eam an-

nteponis, quia elegantior sit, an quia verior? Si uia elegantior, nichil profecto sapis. Si quia verior, uomodo id judicare potes, qui graecum nescis, ad uod omnis veritas interpretationis est necessario re- ferenda? Nullo certe modo, nullaque ratione. Ita- ue tecum de veritate interpretationis contendere ichil est aliud, quam cum vaticinante aliquo, so- mnianteve contendere. Quid ad ista, quaeso, res- ondere potest? Nichil profecto, nisi positionem suam egandi pertinacia custodire velit. Etenim si de ele- antia traductionis antiqui interpretis, ac meae di- putaretur, nil vetaret id probabiliter posse facere, uoniam utranque in latino discernit. Sin de veri- ate interpretationis, cum nec sciat graece, nec vim aturamque verborum ejus linguae intelligat, quo- modo de his judicare possit, non equidem video. Ad significatum enim graeci verbi, cum de interpre- tationis veritate contenditur, est necessario veniendum: quidem interpretatio nichil aliud est, quam unius nguae in alteram expressio, quarum unam cum iste ec sciat neque intelligat, aliter de his disputare on potest, quam per existimationem quandam, & aticinationem. Capiam unum aliquod verbum exem- li causa. Nam verba quidem in illa translatione, uam iste praefert, aut relicta sunt in graeco, ut icebant, aut aliter posita in latino, quam a me onantur. Capiam igitur unum aliquod illorum, ec sane refert quod capiam. Eutrapelian graeci di- unt, quam nos appellamus comitatem. Hanc Ari- toteles virtutem esse vult circa conversationem jo- undam. Ego igitur id verbum transferens comi- atem dixi. Ille non probat, sed ut est in graeco, ic etiam in latino dicendum eutrapelian contendit. Quaero, num graece sciat? Non scio inquit, sed opi- nor aliud significare eutrapelian, quam comitatem.

Si

Si quaeris unde id opinetur, exorditur quandam cantilenam suam cum longa verborum circulatione nichil ad rem pertinentium. At enim, inquam, scio eutrapelian graece comitatem proprie significare, idque esse verbum e verbo. Non quaero, inquit, quid tu te scire dicas, sed quid michi videatur. En praeclara disputatio, en dissertatio, cui aures scientis hominis sint accommodandae. Quid enim, quaeso, cum hoc homine agas, qui nec ipse scit, nec scienti credere vult? Nam cum de significatione verbi dupliciter probetur aut ex vi ipsius verbi, aut ex usu, ex vi, si apud latinos de verbi *postliminii* significatione probare velim, ostendam ex post & limen esse compositum: ex usu, ut adducam testimonium, quod apud Servium Sulpitium, & C. Aquilium, & Mutium Scaevolam in hac significatione scriptum verbum *postliminum* legatur: ex his ergo duobus modis nulla michi facultas datur huic ostendendi, quia graecarum litterarum penitus est ignarus. Itaque neque vim verbi, neque testimonium scriptorum in ea lingua capere potest. Nec scienti autem, nec per se intelligere valenti, neque credenti ei, qui intelligit, quae tandem restat facultas, aut via de veritate interpretationis disputandi, nisi, ut supra dixi, per divinationem *quandam*, ac vaticinationem? Atque ego non solum de eutrapelia, de bomolochos, de agricos, deque *ceteris verbis*, quae antiquus interpres propter ignorantiam in graeco reliquit, quae permulta sunt, *adeo ut quasi* semigraeca ejus traductio videatur, quae omnia iste probat, & interpretationi meae latinae *haec illius* graeca anteponit, non solum de his inquam hoc dico, verum etiam de iis, quae aliter ab eo, *aliter a* me interpretata sunt. Ad dijudicandum enim veritatem necessarium est, ut ad graecum *tanquam ad*

ca-

caput, & fontem, & difcerniculum recurratur. In eo nanque dijudicatio veri, probatioque confiftit. Qui vero abfque graecae linguae cognitione per credulitates quafdam & opiniones judicare pergit, tanquam in tenebris ambulans aberrat. Non eft ita inquit: Poffum enim, licet graecum nefciam, neque capax intelligendi fim, tamen de interpretationis veritate per conjecturas quafdam difputare referendo ad id, quod magis verifimile & convenientius videatur. O praeclaram difputationem! Perinde eft enim, ac fi ego templum Dei Genitricis, quod Bononiae imminet, diligenter contemplatus referam alicui in partibus Galliae, aut Hifpaniae conftituto templum id in vertice montis effe fitum. Ille vero, qui nunquam in Italia fuerit, non in monte, fed in planitie fitum effe templum illud contendat: interrogatus vero fi fciat, fateatur fe nefcire, fed non verifimile fibi videri, cum Bononia in plano pofita exiftat, templum illud tamen propinquum effe in monte, & conjecturam afferat longa atque inani inculcatione verborum, quod periculofum effet urbibus montem in propinquo fupereminentem habere, nec effe credendum primos pofitores talem fitum delegiffe. Haec igitur verifimilitudo illi forfan probabilis videtur, qui nefcit. At ego qui intuitus fum, ridiculum ac prope miferabilem hujus errorem effe intelligo, & quanto pertinacius contendat, tanto miferabiliorem. Accidit enim fibi idem, quod Phormioni accidit, qui audiente Hannibale de officio ducis, & de rei militaris difciplina differebat. De quo Hannibal interrogatus inquit, fe multos deliros fenes vidiffe, fed qui magis deliraret vidiffe neminem. Homo enim, qui nunquam caftra viderat, nec ullam partem attigerat militaris difciplinae per exiftimationem quandam loquens aures Hannibalis experti, atque fcientis du-

ducis obtundebat, ac delirare merito videbatur. iste profecto quisquis sit, qui nunquam litteras græ cas, ut ita dixerim, vidit, si non modo loqui, s certare etiam, si Deo placet, de illarum interpretatio velit cum eo, qui scit, nolo dicere, ut Hannibali Phormione, parco enim dignitati personae, sed illi dico, si intelligeret de quibus contendit, non esse ce taturum. Respondebit credo, me non esse Hanni balem. Nec mehercule velim esse, si possim; nu la enim claritate nominis adducerer, ut vexator Mun di, & interfector tot millium hominum esse velim Sed ne ipse quidem Phormio est. Licet enim de ma joribus ad minores similitudinem facere. Ubique cert scientis experti cognitio incredibile quantum supe rat rudem existimationem ejus, qui nescit & tantum modo opinatur. Non curo, inquit, de verbis graecis. At enim curare debes, vel de interpretatione non loqui. Nam interpretatio, ut saepe jam dixi, nihil aliud est, quam unius linguae in alteram expressio in qua necesse est judicium tuum esse claudum & mancum, si linguam unam scis, alteram nescis. Non debemus, inquit, quid Aristoteles dicat attendere sed quid consonet morali philosophiae: nam n Aristoteles ipse tanquam princeps philosophiam no bis tradidit, neque tanquam potestatem habens, sed potuit & ipse aberrasse. Haec sunt illius verba, i quibus vide quo ruat, dum se tueri vult. Quaererem libenter ab eo, nunquid iste, quem transfero, Aristotelis sermo? negare non posset. An igitur interpres aliter loquentem faciam Aristotelem in tino, quam ipse loquatur in graeco? Et levis munio tantum philosophum corrigam? Crede chi, Reverendissime Pater, opiniones istae Alphon ut pace sua dixerim, stare non possunt. Refugit inquit, mecum disputare. Immo jampridem disp

tans

ans ostendo, te de his rebus disputare non posse, nisi tanquam per somnium & vaticinationem: ego autem neque somniis, neque vaticiniis fidem praesto. Quod si me docere aliquid vis, libenter te audiam, modo ea doceas, in quibus non habeas divinare. De interpretatione autem graecae linguae, quid aut tu docere me potes, qui nescis, aut ego te, qui capax non es? Et si forte aliqua in parte capax fieri valeas, per certamen & pertinaciam adversaris. Atqui hic nosce, inquit alio loco, eos qui de moribus disputant, sine jactantia esse debere. Recte quidem. Quanquam nescio an de interpretatione disputare id sit de moribus disputare, sed si per me licet, vellem addidisset & sine arrogantia & sine pertinacia, quorum utrumque moribus inimicissimum est. An vero quicquam arrogantius esse potest, quam sibi ipsi, qui graecum nesciat, de interpretatione graeci verbi judicium attribuere? An quicquam pertinacius, quam in opinione sua qualiscunque ea sit, velle persistere? Summum bonum dixi, quod omnia appetunt: Hic bonum dicendum esse contendit. Demonstravi verbum in graeco esse Tagaton: de hoc igitur controversiam esse, utrum bonum significet, vel summum bonum. Attulit vero fortuna, quod raro contingit, facultatem, ut etiam nescienti graecas litteras per testimonium Eustratii graeci auctoris doctissimi hominis, & horum ipsorum librorum commentatoris probare potuerim. Agaton enim in graeco significat bonum; sed si addatur T littera, & dicatur Tagathon augetur ejus significatio, & designat finem, & extremum bonorum. Verba illius tunc recitavi, quae talia sunt: Tagathon, quod componitur ex to & agathon nichil significat aliud, quam primum bonum ac summum bonum, & est intellectus quidem Agathon, non tamen Tagathon,

& virtus Agathon, non tamen Tagathon. Sic per hoc elementum T ad verbum Agathon conjunctum ostendit principium, & causam, & extremum omnium bonorum. Adversus hanc probationem tam claram, tam certam, tam indubitatam qui repugnare ac errorem suum pertinacia desendere pergit, quomodo pudorem, aut modestiam in disputando conservat? Atque ego libenter ab eo quaererem, utrum dicere velit non esse ibi verbum Tagathon, aut non illud significare, aut me interpretem aliud quam graecum verbum significat, debuisse exponere. Enim vero esse ibi verbum Tagathon negari non potest, cum sit manifestissimum. Significari autem per id verbum illud extremum bonum, cujus gratia cetera cupimus, testimonio tanti auctoris probavimus, & mille locis in graeco, si opus esset, probaremus. Debere autem interpretem non aliud exponere, quam in graeco significetur, constat. Quid ergo dicere vult iste correptor meus, aut quid potest dicere? Melius, inquit, congruit, si dicatur bonum, quod omnia appetunt. Respondeo: hoc tu jam ab Aristotele requirere debes, non a me; nam ego interpretis officio recte functus sum, ut in graeco est, sic in latinum transtuli. Deinde ut pro Aristotele respondeam dico, te non recte intelligere; nam longe verior & congruentior sententia est, si dicatur summum bonum, quod omnia appetunt. *Cujus tu rationem vide quaeso*, & omisso certandi studio te rationi aliquando permittas. Etenim quod *inquit* Aristoteles bene ostenderunt, ad antiquorum dictum se referre constat. Videamus igitur, utrum *dixerint* antiqui bonum esse, quod omnia appetunt, vel summum bonum esse, quod omnia *appetunt*. *Ex hoc* enim veritas hujus sententiae apparebit. Est autem textus ad litteram hoc ipsum declarans *in decimo*

Ethi-

thicorum libro, ubi opinionem recitat Eudoxi an-
iqui Philosophi. Verba sunt haec: Eudoxus volu-
tatem summum bonum esse censebat, propterea
uod omnia tam rationalia, quam irrationalia illam
ppetere cernebat. Ecce ratio Eudoxi: Quia enim
ernebat omnia voluptatem appetere, propterea
ummum bonum esse voluptatem existimabat. Et
bdit: singula enim sibi bonum reperire, quemad-
nodum escam. Quod autem omnibus bonum sit,
t quod omnia appetunt, id esse summum bonum.
n posset esse quicquam tam clarum, tam apertum,
m indubitatum, quam est haec antiquorum sen-
entia ostendentium id esse summum bonum,
uod omnia appetunt? Satis est auctoritate antiquo-
um id probasse. Sed ego insuper ratione mea do-
ebo summum bonum esse dicendum. Et capio
la principia: omnis ars, omnisque doctrina finem
uum appetit & summum bonum persequitur, ut
nedicina sanitatem, navicularia navigium, res mili-
aris victoriam, oeconomica divitias. Non ergo victo-
iam appetit medicina, sed sanitatem, nec res mi-
itaris sanitati studet, sed victoriae, neque rhetori-
a navigium facit, sed suasionem. Nec victoria igi-
ur, neque sanitas est summum bonum, quia non
omnia victoriam appetunt, neque sanitatem; esset
ero summum bonum, si omnia illam appeterent.
Vides nunc aperte rationem illius dicti, & quod
non bonum dicendum est, sed summum bonum
quod omnia appetunt. Adducam insuper probatio-
nem aliam, quae forsan erat ceteris praemittenda,
hoc est ut videamus quid sit summum bonum, &
quid bonum. Ex horum enim diffinitione veritas
llius sententiae manifestius apparebit. Haec verba
summum bonum eam puto vim apud latinos habe-
re, ut per illa notetur extremum illud, ac perfectum

bonum, ad quod cum tandem perventum fuerit, appetitus omnis conquiescit, id est quod semper propter se expetitur, & nunquam propter aliud, cujus gratia cetera fiunt omnia & ad illud referuntur, ipsum autem nusquam refertur. Media vero, per quae ad hoc extremum ascenditur, bona quidem sunt, non tamen summa, quoniam propter aliud, quod supra se erat, expetuntur. At summum bonum nichil supra se habet, sed in eo appetitus conquiescit, nec ultra requirit. Nec latere nos oportet hoc idem, quod summum bonum diximus, appellari finem bonorum, & extremum & ultimum, & primum. Dicitur enim extremum & ultimum, quia non est ultra progressio. Primum autem quod principium est, & causa. Inde siquidem motus est; nam ejus gratia omnia omnes agunt, de quo praeclare Tullius in libro de Finibus Bonorum inquit: Quaerimus enim quid sit extremum, quid ultimum bonorum, quod omnium philosophorum sententia tale esse debet, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nunquam. Ecce quid nos bonum, & quid summum bonum latine dicimus. Est igitur summum bonum id, ad quod omnia referuntur, & cujus gratia omnia fiunt. Haec autem verba idem sonant apud latinos, quod apud graecos verba illa, quod omnia appetunt. Idem est enim dicere, quod omnia appetunt, & dicere ad quod omnia referuntur, & cujus gratia omnia fiunt. Ex quo manifestum est, diffinitionem summi boni esse, quod omnia appetunt. Denique summum bonum & felicitas idem est: at bonum & felicitas non idem, propterea quod felicitas omnia complectitur, bonum autem non omnia, ut de sanitate, ac victoria probavimus. Est igitur summum bonum, quod omnia appetunt, ut auctoritate anti-

quo-

uorum, & rationibus ostendimus. Ex quo patet & erba sonare, & sententiam poscere, ut dicatur ammmum bonum, quod omnia appetunt. Modus utem dicendi est: Omnis ars omnisque doctrina, militer autem, & actus, & electio bonum quoddam ppetere videtur. Quapropter bene ostenderunt aniqui illud esse summum bonum, quod omnia appeunt. Nam fines bonorum sunt alii sub aliis, donec erveniatur ad unum extremum & ultimum, quod mnia appetunt, & cujus gratia cetera fiunt, & lud extremum est summum bonum. Hanc rationem Aristoteles statim prosequitur & probat inquiens: um multi sint actus, & artes, & scientiae, fit etiam, t multi sint fines. Nam medicinae quidem sanias, naviculariae vero navigium, rei militaris autem ictoria, oeconomicae vero divitiae. Quot autem unt hujusmodi sub una aliqua virtute, ut ars frenoum faciendorum, & aliae omnes, quae ad structuam equorum pertinent, sub equestri consistunt. Ipsa ero equestris, & omnis bellica actio sub re militai, eodemque modo aliae sub aliis. In cunctis autem ines, eorumque magis principes sunt omnibus inerioribus anteponendi; nam illorum gratia istos rosequimur. Si igitur agibilium finis quispiam est, uem propter se ipsum velimus, alia vero propter llum, nec omnia propter aliud optamus, jam sic infinitum est progressus, vanaque & stulta resultaret upiditas, manifestum est id esse summum bonum. Non posset clarius apertiusque probari, singula appetere bonum quoddam, & ex hoc fieri necessario, ut summum bonum sit, quod omnia appetunt. In quo admirari soleo hebetudinem quorundam, qui haec tam dilucida non intelligunt. Extrema est illius epistolae pars, in qua de verbis agitur. Probat vero Alphonsus, & laudat permixtionem linguarum

omnium. Ego autem puritatem latini sermonis observandam censeo, neque coinquinandam graecis aut barbaris dictionibus. Hoc enim Ciceronem observasse video, qui philosophiam nobis tradidit latinis verbis, eodemque modo Hieronymus cum de hebraico in latinum interpretatur, hebraica verba non ponit, sed latina. Alphonso autem placet aliter. In quo faciat ut libet; sui enim est juris. Ego tamen Ciceroni & Hieronymo longe magis crediderim, quam Alphonso. Quaero enim, cum Marcus Tullius & Livius, & Salustius, & Lactantius, & Hieronymus rempublicam dicant, cur Alphonsus malit dicere politiam, quam rempublicam? cur quod placet doctissimis viris, non placet Alphonso? Verum de graeca lingua se plus videre putat, quam illi viderint, ac de latina. Legat quaeso Hieronymum, Tullium, Lactantium, Livium, Salustium, Caesarem, & michi dicat, si unquam in aliquo illorum reperit politiam. Quod si hos legere non placet, saltem juris consultos legat suos, ac michi ostendat, si unquam in eorum libris scriptum sit politia, aut oligarchia, aut Aristocratia. Atqui permagna sunt juris consultorum volumina, ac frequens in eis ponitur reipublicae verbum: politiae autem verbo quis unquam juris consultorum usus est? Quid illa, quam Graeci dicunt epiicheam, quae est pars justitiae, & pertinet ad leges, & ad juris consultos utpote materia propria suae artis? An quisquam Jurisconsultorum nostrorum posuit epiicheam in libris suis? nunquam reperitur posuisse. Cur ergo Alphonsus ignorantiam interpretis antiqui secutus dicere mavult epiicheam, quam ex bono & aequo, ut dicunt, Jurisconsulti nostri? Tullius autem popularem statum dicit in libris suis. Cur non merito plus michi debeat placere, quam dicere Democratiam? Idem Tullius paucorum

rum

um potentiam, & optimorum gubernationem vocat, quas Graeci oligarchiam, & Aristocratiam dicunt. Ut igitur ego haec vocabula latine dicta uisse a Cicerone, a Hieronymo, a Livio, a Salustio, a Lactantio, a ceteris praestantibus viris ostendo: sic Alphonsus michi ostendat, si potest, quod aliquis eorum quos modo nominavi, vel aliquis juris consultorum unquam scripserit vel politiam, vel Democratiam, vel Oligarchiam, vel Aristocratiam, vel Epiicheam. Quod si ostendere non potest, quae tandem ejus pervicacia, se malle cum indoctissimis errare, quam cum doctissimis laudem sequi?

XXV.

LEONARDUS FRANCISCO GONZAGAE PRINCIPI MANTUANORUM S. P. D.

De origine Urbis Mantuae.

NOn sum nescius, generosissime Ductor, cum ab hominibus litterarum studio deditis pro cognitione rerum quicquam exquiritur, solere eos tenuitatem ingenii sui, & rerum ipsarum difficultatem allegare, denique se non sponte, sed coacte, cum voluntati petentis denegare nequeant ad scribendum accedere, ut partim major gratia sibi quod scripserint habeatur, partim, si quid erraverint, veniam facilius consequantur. Ego autem tantum abest, ut invitum scribere me protester, ut etiam gratias tibi agendas putem, quod per familiares tuos homines michi notos atque amicos, ista ut scriberem flagitasti. Quis enim majorum suorum vetustam gloriam non libenter enarret? Aut cognatio-

tionem & consanguinitatem praesertim honestissimam non cupienter agnoscat? Tenuitatem vero ingenii allegare quid attinet? Cum nemo, qui id alleget, sibi ut credatur velit, & contra votum suum ipse depugnet. Difficultas autem in his quidem non maxima est, quoniam res planae & perspicaces in testimonio veterum positae recitantur. Petis enim, ut ad te scribam, quid de Mantuanae Urbis origine tenendum sit, quive ejus conditores, auctoresque fuere. De quo cum a Tito Livio, & Plinio Secundo ac ab ipso Virgilio pluribus locis apertissime scriptum sit, non video equidem quomodo aut cuiquam dubium esse possit, aut a me vel ab alio quicquam sit jam de ea re amplius requirendum. Etenim si alienis testibus de origine alicujus rei credendum est, quibus magis quam Livio, & Plinio crediderim gravibus certe & doctissimis viris (suis & cognatis), Quibus magis, quam Virgilio? Qui Mantuanus cum fuerit Mantuae originem ignorasse illum nefas est credere. Atqui hi omnes Mantuam a Tuscis conditam fuisse manifestissime tradunt. Sunt & alii auctores latini & graeci qui idem asseverent; sed ego ut prolixitatem fugiam, paucorum testimonio contentus ero. Primum igitur rem, ut illi tradunt, narrabo: deinde illorum verba pro fide subnectam. Tuscorum gentem ex Lydia venisse constat multos annos ante Trojanum bellum: incoluisse vero eam Italiae partem, quae inter Apenninum montem & Inferum mare, Tiberimque, & Macram fluvios clauditur, quae primo Tyrrhenia ab rege eorum Tyrrheno, mox Etruria dicta est, quoniam & ipsi Etrusci appellari sunt coepti. Fuit autem tota Etruscorum gens in XII. populos divisa antiquitus, quoniam XII. capita originis ex Lydia fuerant ab initio deducta. Qua de causa Graeci dodecapolis, & nostri duodecim

cim populos Etruscos appellant. Omnes tamen aliquandiu uno sub rege vixere. Mox ut regia potestas gravior illis visa ex singulis populis singulos Lucumones, sic enim Magistratum vocitabant, qui communi consilio totam regerent gentem, creare coeperunt. Sub hoc igitur Magistratu pari voluntate, auctoritateque duodecim populorum Etruria gubernata tantum opibus, potentia, multitudine sobolis accrevit, ut se intra fines suos non amplius contineret, sed ipsos transgressa longe lateque dominaretur. Cis Apenninum primo per inferiorem Italiae partem usque ad Fretum Siculum, postea trans Apenninum usque ad Alpes praeter extremum Venetorum angulum vi & armis subacta Tusci cuncta possederunt. Testes eorum potentiae sunt duo Maria, quibus Italia modo Insulae cingitur utraque sane non ab aliis populis, quam a Tuscis nominata, Inferum Tuscum, idemque Tirrhenum vetusto gentis nomine, quae appellatio, ut quibusdam graecis placet, ab Sardinia in Siciliam obtinet, Superum vero Adriaticum ab Adria Oppido maritima potentia maxime inclyto, quod Tusci his quoque locis dominantes non longe a mari inter Padi ostia condidere. Ab hac igitur gente cum maxime floreret, duodecim Colonias, quot capita originis erant, trans Apenninum missas tradunt, quarum praecipuae fuerunt urbes Mantua, & Adria, a qua nomen Adriatico mari datum ostendimus. Quis autem Princeps Etruscorum in condenda Mantua fuerit, & cetera quae ad particularem rei seriem pertinent postea dicemus. Nunc ista, quae adhuc retulimus, ne forte a nobis ficta credas, testimonio veterum confirmemus. Verba Virgilii (1) quod ex Lydia venerint:

Haud procul hinc saxo colitur fundata vetusto
Ur-

(1) Lib. VIII. Aeneidos.

Urbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam
Gens bello praeclara jugis consedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbus
Imperio, & saevis tenuit Mezentius armis;

& quae sequuntur. Verba Horatii (1) de eadem re:

Non quia Maecenas Lydorum quicquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te:

Verba Plinii ex libro de Naturali Historia III. *Adnectitur huic septima Italiae regio, in qua Etruria est ab amne Macra, ipsa mutatis saepe nominibus. Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi, hos Lydi, a quorum rege Tyrrheni, mox a sacrifico ritu lingua Graecorum Tusci sunt cognominati.* Primum igitur Umbri hanc partem Italiae, quae nunc Etruria dicitur, tenuerunt, qui postea a Pelasgis pulsi sunt. Pelasgos deinde Lydi pepulere, qui primo Tyrrheni, mox Tusci sunt dicti. Hanc historiam Dionysius Halicarnasseus graecus auctor diligentius prosecutus est docens & qua ratione ex Lydia, quae fuit quondam Meoniae pars, abierint, & quibus jactati casibus in Italiam pervenerint. Meminit etiam hujus rei Plutarchus philosophus nobilis, & historiarum antiquarum curiosissimus. Satis probatum est, quod ex Lydia venerint. Quod autem multum in Italia mari terraque potuerint, & quod utrunque mare ab illis nominatum sit, & quod omnia ferme loca trans Padum usque ad Alpes tenuere, & duodecim Urbes trans Padum habuere, quarum una Mantua est, jam ostendam. Verba Titi Livii ex libro ab Urbe condita V. *Tuscorum ante Romanum Imperium late terra marique opes patuere. Mari supero inferoque, quibus Italia modo Insulae cingitur, quantum potuerint, nomina sunt argumento: quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare ab*

(1) Lib. I. Sermonum Sat. VI.

ab Adria Tuscorum Colonia vocavere Italicae gentes. Graeci eadem Tyrrhenum atque Adriaticum vocant, & in utrunque mare vergentes incoluere Urbibus duodenis terras prius cis Apenninum ad inferum Mare; postea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant Coloniis missis, quae trans Padum omnia loca excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris usque ad Alpes tenuere. Haec sunt Titi Livii verba quanti auctoris, & quantae fidei? Quibus relatis quid opus est jam me loqui? Duodenis inquit Urbibus, terras in utrumque mare vergentes incoluere, hoc est XII. Urbes habuerunt in Etruria, quae vergit in inferum mare, & XII. trans Apenninum in terris, quae in Superum mare vergunt. Nam quot erant originis capita in Etruria, totidem postea Colonias trans Apenninum per terras in Superum mare vergentes misere, quae omnia trans Padum loca praeter extremum Venetorum angulum occuparunt. Harum unam nominat Adriam, a qua Adriaticum appellatur Mare, ceterarum nomina tacuit. Sed locorum circumscriptione comprehendit, cum Transpadanam regionem totam excepto Venetorum extremo angulo dixerit tenuisse. Verba Plinii Secundi de Tuscorum potentia, & de ceteris, quae supra narravimus, ex libro Naturalis Historiae III. *Umbrorum gens antiquissima Italiae existimatur. Trecenta eorum oppida Tusci debellasse reperiuntur.* Item ex eodem libro cum de Padi Fluvii ostiis loquitur, sic inquit: *Nobili portu oppidi Tuscorum Atriae, a quo Atriaticum mare appellabatur, quod nunc Adriaticum.* Utrunque igitur mare a Tuscis nominatum constat, & Adriam unam fuisse ex XII. Urbibus, quas trans Apenninum Tusci habuere, & Titus Livius, & Plinius expresse testantur. Nunquid igitur & Mantua

una

una ex illis est? Vide quaeso quam aperte. Verba Plinii ex Libro item III. *Mantua Tuscorum Colonia ex Transpadanis sola reliqua*. Ergo temporibus Plinii omnes aliae Tuscorum Coloniae trans Padum positae interierant, Mantua sola restabat. Quid Virgilius? Nonne & ipse hoc idem testatur? Recita Virgilii verba de Mantua ex Libro X.

Ipsa caput populis, Tusco de sanguine vires.

Natam de Tusco sanguine patriam suam Virgilius gloriatur. Verba Servii Virgilii Commentatoris viri doctissimi: *Tuscos paene omnem Italiam subegisse manifestum est*: Item alio loco. *Origo Mantuanorum a Tuscis venit*. Quid igitur aut certius, aut testimoniis veterum confirmatius esse potest, quam Mantuam a Tuscis conditam? Cum & T. Livius omnia trans Padum loca praeter extremum Venetorum angulum tenuisse dicat Etruscos, & XII. urbibus eas terras incoluisse, & Plinius Mantuam Tuscorum Coloniam fuisse expresse asserat, & Virgilius ortam a Tusco sanguine patriam glorietur, & Servius originem Mantuanorum a Tuscis venisse confirmet? Si unus mehercle aliquis istorum hoc scriberet propter summam auctoritatem verum putarem: nunc omnibus simul asserentibus nullis contradicentibus quis tandem locus ambigendi relinquitur? Venisse igitur ex Lydia Tuscos, & late terra marique eorum opes in Italia patuisse, Colonias XII. trans Apenninum misisse, quarum una Mantua fuit, usque adeo manifestum est, ut nulla prorsus dubitatio de illius origine cuiquam esse debeat tot tamque praeclaris auctoribus eadem asserentibus. Quare hoc fixe & immobiliter teneamus, Etruscos Mantuae fuisse conditores; id enim exploratissimum est, nec dubitationem habet ullam. Particularis vero series rei, idest quo tempore condita sit, & quamobrem Man-

tuae

uae nomen illi inditum, & quis Etruſcorum Princeps in condenda urbe deducendaque Colonia fuerit, & quo ex populo Etruriae origo ducatur non usque adeo clara eſt, nec auctores tradunt ulli, quod quidem ſciam, praeter unum Virgilium. Nec id certe mirum; nam trita quidem iſta, atque minuta pleraque hiſtoria negligit: alioquin infinita eſt etiam ſcribendi prolixitas, ſatiſque facit hiſtoria ſi dixerit, Tuſcos duodecim Colonias trans Apenninum miſiſſe, unam illarum Mantuam fuiſſe. At Virgilius, utpote civis & ſciens minutiora haec de patria prodidit, qui nobis ſufficere debet. Locuples enim teſtis eſt, modo poetam eſſe illum meminerimus. Tempus igitur conditae Mantuae vetuſtum ſane eſt, & ante adventum Aeneae in Italiam. Id enim Virgilius tradit, & procul dubio verum eſt, cum per ea tempora Etruſcorum opes maxime floruerint. Quod ſi ita eſt, ſupra trecentos annos ante Romam conditam fuiſſe Mantuam conſtat, ante vero quam Mediolanum ſupra quadringentos & quinquaginta, ante Cremonam vero & Placentiam, quae duae Urbes a populo Romano conditae ſunt per tempus fere ſecundi Punici belli, ſupra octingentos. Haec de tempore ſatis ſit in tam vaſta antiquitate dixiſſe. Nam diem & annum quaerere perabſurdum eſſet. Princeps autem Etruſcorum in condenda Mantua fuiſſe traditur vir quidam divinarum rerum ſcientia clarus nomine Ocnus, quem Virgilius poëtico more deſcribens filium fuiſſe ait Tuſci amnis, & fatidicae Mantus. Nam cum Aeneas bello a Rutulis Turnoque premeretur, ad florentes Etruſcorum opes confugiſſe illum Virgilius dicit, & auxilium adverſus Turnum Rutuloſque impetraſſe, cujus illa ſunt pro Tuſcorum gloria dicta.

Aſt

Ast tibi ego ingentes populos, opulentaque regna
Jungere castra paro,

& quae sequuntur. Praestantibus autem auxilia Civitatibus Etruscorum Mantuam quoque ut a Tuscis ortam misisse auxilia dicit, & conditorem ejus in hoc loco nominat. Verba Virgilii [1] haec sunt:

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicae Mantus, & Tusci Filius amnis,
Qui muros, matrisque dedit tibi Mantua nomen.

Tam fictio est, quod fuerit filius Mantos, quam est etiam fictio, quod fuerit filius amnis Tusci. Hic est enim Poëtarum mos, veritatem aliquo velamento obtegere. Nam quia Tuscus erat, Tusci amnis filium dixit, quia divinandi arte pollebat, fatidicae Mantos filium esse ait. Augures enim & vates ac hujusmodi homines, qui vaticinantes futura praedicunt, Graece mantes appellantur, & divinatio ipsa mantia. Haec autem scientia usque adeo praecipua apud Tuscos fuit, ut Romani postea rerum domini quotiens grave quicquam reipublicae inminebat, vates & aruspices ex Etruria accersirent, quod & apud Livium frequentissime legimus, & M. Cicero ante Consulatum suum ob timorem conjurationis factum ostendit, & Lucanus in Arrunte testatur, qui imminente terrore civilis belli Romam ex Etruria accersitus, cum incoleret desertae maenia Lunae futura vaticinatus est. In hac itaque disciplina excellens Ocnus filius Mantus poëtice dicitur, & a matris nomine, idest a divinandi scientia, quae Mantia est, Mantuam nominasse. Muros inquit & nomen tibi dedit: muros & nomen dare, idest urbem condere. Tuscum autem fuisse, paulo post aperte declarat, dum dicit:

Ipsa caput populis, Tusco de sanguine vires.

Quod

(1) Lib. X. Aeneidos.

Quod si quis est a poëticis moribus omnino abhorrens, qui simplicius & grossiori modo ista accipiat, t non fictionem, sed veram historiam putet Ocnum Aantonis fuisse filium; tamen id ad improbandum enus nichil attinet, cum filius paternam originem equatur, non autem maternam. Ocnus enim Tu-ius fuit quacunque tandem matre fuerit genitus; t Mantuam a Tuscis conditam non poëta modo sse, verum etiam certissimi auctores tradidere. Ex no autem Etruriae populo (nam XII. fuisse supra ocuimus) Mantuani originem ducant, nemo id adit; sed videntur ex tribus simul populis Etruriae tti, quod Virgilius significat dicens: (1)

Mantua dives avis, sed non genus omnibus unum:
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.
Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires.

iens, inquit, illi triplex idest ex tribus originis ca-tibus; nam XII. originis capita erant in Etru-a, quod Livium scripsisse supra ostendi. Populi sub ente quaterni, idest unaquaequae gens illarum ium in quatuor dividebatur tribus. Sic tota Man-ana Civitas XII habebat tribus, quas populos non solenter appellat. His autem omnibus Mantua sa, idest Urbs Mantuana caput erat. Est enim iud urbs, aliud civitas, cum urbs quidem stru-uram murorum significet, civitas autem homi-um multitudinem jure sociatorum. Nam qui di-int, Mantuam conditam quidem ab initio a Tu-is, sed posteris temporibus una cum Tuscis con-toribus Gallos, & Venetos habitare coepisse, hi on multum satisfaciunt. Nam si ita esset, cur sub-eret Poëta doctissimus:

Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires?

isuper temporibus Aeneae, de quibus Poëta loqui-

(1) Lib. X. Aeneidos.

tur, nondum Galli in illas regiones venerant. Quippe circiter centesimum & quinquagesimum annum post Romam conditam duce Belloveso primum alpes transiere. Quod si hoc ad posteriora referas tempora, & Gallos, atque Venetos in civitatem receptos dicas; tamen id remanet Mantuam ab initio conditam fuisse a Tuscis, & postmodum alias quoque gentes in civitatem receptas ita tamen, ut Tusci dominarentur, atque praeessent. Hoc enim significant verba illa:

Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires:

idest robur & potentia Tusci sanguinis. Restat ergo utcumque tandem verseris Mantuam a Tuscis conditam fuisse: quod Virgilius ipse Mantuanus totius antiquitatis peritissimus, & alii probatissimi rerum scriptores tradidere. Nec ullus est auctor, qui contra sentiat praeter unum Dantem, de quo valde admirari compellor, quod cum Tuscus ipse fuerit, & Virgilii, ut asserit, sectator, ea, quae de Tuscorum potentia a tot & tam claris auctoribus scripta sunt, neque legisse unquam, neque notasse videtur, & usque adeo a Virgilio discedit, ut cum ille de Tusco sanguine ortos Mantuanos asserat, & Ocnum nominet conditorem, iste quasi ignarus omnium aliam quandam originem assignet. Sed neque auctorem ullum opinionis suae, neque argumentum aliquod ad confirmandum inducit. Quare cedat ipse opinioni eorum, quos supra nominavimus, qui & proximiores temporibus illis fuere, & ab aliis scriptoribus vetustioribus accepere. Equidem scio, quae de Tiresia poëtae scribunt, omnia simulata esse atque confícta, nec veritatem habere, sed intellectum veritatis visis anguibus percussisque primo de mare in feminam versum, rursus deinde post aliquot annos percussis reversum in marem. Mox arbitrum sumptum inter

Jo-

Jovem & Junonem pro feminae libidine tulisse sententiam, ob quam irata Juno lumen ademit. Jupiter casum miseratus cum oculos reddere fas non esset, divinandi scientiam in compensationem retribuit. Haec poëtarum deliramenta puerilia certe, ac nescio an satis pudica perscrutari omittamus. De eo solum videamus, quod ad Mantos fabulam attinet. Plato Philosophus in illo praeclarissimo libro, cui Phaedo nomen est, inde mantiam scribit, quod vates cum futura praedicunt, quasi quodam divino corripiuntur furore. Itaque mantes eos dici, quasi insanos & furentes, quod in delphicis Oraculis & sybillinis apparet responsis. Cum ergo Tiresiam Vatem fuisse constet, ac divinandi artem praecipuam habuisse, Manto, quae divinationem ipsam significat, hominem fuisse credam, atque non artem? Nimis socordis est fabulas sic accipere ut res veras, & in figmentis poëtarum non supra verba animum attollere. Nam quod filia Tiresiae dicitur, id ad omne, quod ex nobis peperimus, commune est. Enimvero peperisse Tiresiam divinandi artem ex eo patet, quod non ab homine aliquo inventore, sed a Jove largitore dicitur accepisse. Haec igitur divinandi ars Tiresiae filia, idest inventio fuit, quam Dantes quidem Virginem dixit, Virgilius autem doctius & verius matrem appellavit. Nam Virgo quidem nichil parit: itaque nec mater cujusquam est. Ars vero divinandi, & multos jam alios, & Ocnum in lucem, idest in claritatem produxit. Ut enim mater filium in lucem edit; sic ars, quae clarum aliquem & conspicuum reddit, mater illius merito nuncupatur. Vanum igitur & puerile est credere, Manto fuisse hominem, in Italiam venisse cum servis intra paludem remotam ab omni humano commercio constituisse, nisi hoc totum poëtice

accipiatur, divinandi scilicet artem a graeco Tiresia repertam, postea in Italiam delatam esse, ex eaque arte Mantuae nomen datum. Plura, quam proposueram ab initio circa haec locutus sum ex eo tractus, quod plerique poëtici mor s ignari figmentum pro veritate suscipiunt, & Manto hominem fuisse existimant, cum revera non fuerit homo, sed divinatio. Ad extremum contra pertinaces & repugnantes illuc redibo, etsi homo fuit Manto, & conditoris mater, tamen ipse conditor Tuscus fuit, nec mater graeca filii conditionem mutavit. Mantuam certe utcumque sit a Tuscis conditam fuisse plusquam certissimum est. Quod non poëta modo, de cujus sensu interdum ambigi solet, sed & Livius, & Plinius, & Servius stabiles certe atque firmi auctores tradidere. Neque vero te poeniteat, o inclyte Mantuanorum Ductor, originem tuae Civitatis a Tuscis venisse. Nulla enim ante Romanum Imperium gens in Italia, aut bello potentior, aut opibus insignior, aut pacis artibus gloriosior fuit. Haec enim ab Alpibus ad Fretum usque *Siculum* vi & armis domitas regiones Italiae possedit. Haec sola gentium Italicarum supero, inferoque mari nomen indidit, cum multum terra, plurimum mari posset. Haec Pelasgos graecam gentem Italia pepulit, haec Umbros antiquissimos Italiae populos bello superavit, trecenta illis oppida vi & armis ademit. *Haec eadem* gens postea adulescente jam Romano Imperio sola omnium bis Romam obsedit primum *Porsenna* Duce, secundum Vejentibus. Sola omnium a Romanis obsides accepit, & quidem tanta *confessione* victoriae, ut non solum mares, sed quod turpius est etiam feminas virgines dandi necessitas *victis* imponeretur, inter quas Consulis filia Valeria fuit, & Cloelia, quae ruptis vinculis fugiendo natavit. Nec ul-

allum ob hostem, si gesta Romanorum legas, magis Romae trepidatum reperies, quam ob Etruscum, neque dictatores saepius dictos. Ab hac eadem gente, ut ad pacem venias, litterae in Italiam adductae, quas Romani quoque, ut postea graecas, sic primum Etruscas discere solebant. Ab hac ceremoniarum solemnia, ab hac numinis colendi scientiam, ritum, disciplinam Romani sumpsere. Ab hac Regum, Magistratuumque ornamenta omnia. Nam & XII. lictores, qui Regibus, Consulibusque apparerent a XII. Etruriae populis accepti, & sella curulis, ac toga praetexta, palmataque tunica, & currus aurei, ceteraque insignia Regum, & Magistratuum, tubae denique ipsae, quibus pugna accenditur, & hujusmodi omnia Tuscorum inventio sunt, postea a Romanis propter summam auctoritatem gentis imitando suscepta. Quid dicam de scientia divinarum rerum, & prospicientia futurorum, quae semper Etrusca disciplina vocitata est, & jam apud Romanos rerum dominos, atque victores? Quid igitur aut pace, aut bello magis inclytum esse potest, quam Etruscum nomen, si antiquitatem, & vetustam gentis gloriam inspicias? Denique haec eadem gens hodie quoque non postrema Italiae est. Sed & splendore urbium, & magnitudine ingeniorum, opibusque & potentia nulli Italicae genti, ut sine invidia dicam, inferior. Vale ex Florentia VI. Kal. Iunias. MCCCCXVIII.

XXVI

LEONARDUS ARRETINUS S. D. JOHANNI NICOLAE SUO.

Suam Ethicorum versionem defendit.

ADmiratum dixisti doctum quemdam virum quod in Ethicorum interpretatione, quam nuper edidi ita scriptum fuerit *summum bonum, quod omnia appetunt*, quoniam antiqua interpretatio habuerit non summum bonum, sed bonum. Ego autem illud ante omnia oro, ut neque tibi, neque cuiquam admiratio sit, si antiquus interpres in locis quamplurimis aliter ac ego dixerit. Hoc enim ipsum interpretatio mea pollicetur in quibus ille non bene dixerit, me aliter dicere. Deinde illud peto, ne putet quisquam me temere quicquam, aut inconsulte posuisse. Videbam enim ab ipso initio magnas michi controversias non defuturas praesertim adversus eos, qui vetustas, ut vere dicam, ambages ex antiqua illa interpretatione imbibissent. Itaque hoc impendente metu nullum est verbum a me immutatum, quod non millies olfecerim prius. Si unus apex vel unum jota ad sensum Aristotelis additum scienter a me sit, vel detractum, non recuso equidem, quominus falsi condemner. Quamobrem commonefacio omnes benigne, & amice, ne in legenda interpretatione mea damnare quicquam properent. Intelligant prius graecas litteras, & vim verborum probe norint, in quibus nos supra XVIII. annum assiduo paene studio versati nullum praestantem graecae linguae nitorem in-

ntactum, illectumque dimisimus. Tam multa etiam ex Platone, Demosthene, Plutarcho, Xenophonte in latinum traduximus, ut jam in ea arte veterani simus, non tyrones. Cur haec pluribus verbis ad te scripsi? Non hujus mehercle gratia doctissimi viri, qui admiratus est, sed imperitorum, quorum certe maximus est numerus, ac leviter ad singula carpenda provolant. Nunc venio ad rationem verbi. Verbum enim τὸ ἀγαθὸν illud significat, quod M. Tullius graecarum litterarum peritissimus in his libris, in quibus de hoc ipso disputat, Finem Bonorum interpretatur, quandoque etiam extremum appellat, quandoque summum. Nobis autem summum bonum placuit appellare, quoniam magis consuetum id verbum videbatur, quam aut extremum bonum, aut finem bonorum. Omnia tamen haec idem significant. Est igitur aliud ἀγαθὸν, aliud τὸ ἀγαθὸν. Primum enim bonum significat, secundum autem summum, & extremum bonorum, quod paulo post Aristoteles clarius ostendens inquit: *si igitur agibilium finis quispiam est, quem propter se ipsum velimus, alia vero propter illum nec omnia propter aliud optamus, nam sic in infinitum esset progressus, jejunaque, & stulta resultaret cupiditas, manifestum est id esse summum bonum, & optimum*. Hic idem verbum ponit τἀγαθὸν, quod supra posuerat. Clarius in X. Libro hoc expressit, dum de voluptate disputat, quam nonnulli summum bonum esse putabant, atque in ea felicitatem consistere arbitrabantur, sic enim dicit: *Eudoxus voluptatem summum bonum esse censebat, propterea quod cuncta rationalia & irrationalia illam appetere cernebat. Singula enim, quod sibi bonum sit reperire, quemadmodum escam. Quod autem omnibus bonum sit, & quod omnia appetunt, id esse summum bonum*. Hic idem verbum est in

graeco, quod fuit ibi: *propterea quod bene ostenderunt summum bonum, quod omnia appetunt*. Et sane eadem sententia. Nam quod ibi dicit *bene ostenderunt*, de Eudoxo, & sequacibus intelligit, cujus hic recitat sententiam, ita utrobique est τὸ ἀγαθὸν. Sed interpres ille in primo dixit *bonum quod omnia appetunt*: hic autem dicit *per se bonum*, & sic ex eodem verbo, ac iisdem syllabis diversam pro suo arbitrio prompsit sententiam. Nam si bonum dicendum fuit, & ea est significatio verbi, cur dixit postea *per se bonum*? Sin autem per se bonum dicendum magis erat, cur dixit *bene enuntiaverunt bonum, quod omnia appetunt*. Nam quod inquit *enuntiaverunt*, id quoque alienum est a graeco, quod manifeste dicit *ostenderunt*, non *enuntiaverunt*. Sed hoc leve: illud grave, & non ferendum, quod idem verbum alibi *bonum* alibi *per se bonum* interpretatur, cum utrobique dicendum fuerit summum bonum. Nam in verbo τὸ ἀγαθὸν nichil est, quod significet *per se*. Dicere autem *bonum* non potest, cum dicatur quod omnibus bonum sit, & quod omnia appetunt, id esse τὸ ἀγαθὸν. Absurdum enim foret, si diceremus, quod bonum sit omnibus, & quod omnia appetunt id esse bonum; sed dicendum est id esse summum bonum, hoc est finis, & extremum bonorum. Haec est procul dubio verissima, ut vides, interpretatio, & significatio verbi, nec ullam habet dubietatem, quin ita sit. Duas igitur propositiones in principio libri Aristoteles praemittit; Una est omnem artem, omnemque doctrinam bonum aliquod appetere. Alia est omnium tandem appetitum ad summum bonum referri. Haec secunda propositio ex prima deducitur. Ratio hujus est, quia bona, quae appetuntur alia sub aliis continentur, donec perveniatur ad unum summum. Quapropter bene ostenderunt summum

mum bonum, quod omnia appetunt. Hanc argumentationem Aristoteles artificiose prosequitur usque ad conclusionem, quae est ibi: *necesse est id esse summum bonum, & optimum*, & huic sententiae utpote verae omnia consonant, quae sequuntur. Vale. Post scriptas litteras aliud occurrit, quod subjiciam ad probationem, quod τὸ ἀγαθὸν significet summum bonum. Aristoteles in primo Ethicorum circa finem dum quaerit an felicitas sit laudabilium, vel honorabilium sic ait: videtur Eudoxus probe voluptati principatum defendere, quod cum non laudetur voluptas, & sit bonum, praestabilius aliquid significari putat, quam ea, quae laudantur. Talem enim esse Deum, & summum bonum, ad haec enim & alia referri. Litera habet in graeco talem esse Deum, & τὸ ἀγαθὸν, quod aliter exponi non potest, quam summum bonum. Nam dicere per se bonum alienum est a significatione graeci verbi, ut patet etiam mediocriter in ea lingua eruditis. Dicere autem bonum alienum est a sententia ut quivis intueri potest. Repugnaret enim sibi ipsi, si diceret praestabilius aliquid significari, quam bonum, & postea concluderetur esse bonum. Sed est dicendum summum bonum, quod Deo parificat, & ad ea referri cetera asseverat. Ut autem videant increduli, & pertinaces dicendum esse summum bonum, & non per se bonum, subjiciam Boetii verba, qui unus omnium nostrorum in graecis litteris doctissimus fuit. Ex hoc enim Aristotelis dicto, quo asseritur ad Deum & summum bonum cuncta referri, Boetius probat Deum & felicitatem esse idem. Verba illius haec sunt. Quod a summo bono diversum est sui natura, id summum bonum non est, quod nefas est de Deo cogitare, quo nichil constat esse praestantius. Sed summum bonum beatitudinem esse concessum est.

Igi-

Igitur Deum esse ipsam beatitudinem necesse est confiteri. Item paulo post inquit: Duo summa bona, quae a se diversa sint, esse non possunt: Atqui & Deum, & beatitudinem summum bonum esse collegimus.

Finis secundae & ultimae Partis Epistolarum Familiarium Leonardi Arretini.





LEONARDI BRUNI ARRETINI ALIQUOT EPISTOLAE

POPULI FLORENTINI NOMINE AD CONCILIUM BASILEENSE CONSCRIPTAE.



I.

SACROSANCTAE SYNODO BASILEENSI.

Nullam Urbem Florentia aptiorem ad Concilium recipiendum.

REverendissimi in Christo Patres, & Domini post humilem recommendationem. Jampridem audientes mirabilia, ac fructuosissima opera Sacrosanctæ Synodi Basileensis incredibili affectione, immo potius devotione erga illam inflammati

mati eramus. Quis enim non admiretur illius opera? Quis non ad coelum laudibus extollat? a qua conspiciat usque adeo pestiferas haereses amputatas, ac sanata tam periculosa populi vulnera, a qua etiam prolapsa permulta sanctiori disciplina correpta, ac deformia reformata esse videamus. Quid dicemus de pace atque concordia Christifidelium ab eadem Synodo multis laboribus procurata? Quid de nefariis bellorum turbinibus, aut sublatis omnino, aut certe compositis? Fatemur nos quidem pro hujusmodi sollicitudinibus, atque curis, pro hujusmodi operibus, ac beneficiis in Populum Christianum collatis omnes teneri, atque debere sanctissimam Synodum praecipua reverentia, devotioneque complecti. Nunc autem cum ardet eadem sacrosancta Synodus circa reductionem unionemque Graecorum, ex eadem officina caritatis, & sapientiae, ac beneficentiae manat, ut ad ceteros labores pro communi utilitate susceptos hoc unum opus vere laudabilissimum superaddatur. Ad quod quidem conficiendum si dignabitur sacrosancta Synodus urbem nostram pro loco, quemadmodum Orator vester asserit, acceptare, gaudebimus nos quidem tamquam participes, atque coadiutores tanti boni. Et profecto affirmare audemus nullum in tota Italia locum magis idoneum ad tantam rem conficiendam reperiri posse, quam civitatem nostram, tum propter animos nostrorum Civium mirabili devotione erga eamdem Synodum affectos, tum propter capacitatem loci, tum propter opportunitatem situs, tum propter ubertatem, & abundantiam rerum ad vitam pertinentium, ac super omnia propter securitatem, & libertatem. Et de affectione quidem nostra satis superius dictum sit. De capacitate vero loci quid attinet disputare? Cum sit civitas nostra spatiosa, & ingens

gens, atque plena splendidissimorum aedificiorum infinitae quasi multitudinis capacium? Situs autem opportunitas major reperiri non posset, cum sit terra, marique accessibilis. Duobus siquidem maribus Italia cingitur, quorum alterum territorio nostro pertingimus, portumque in eo habemus inclytum, & famosum, ab altero vero littore nostro ultra viginti passuum millibus cum territorio nostro distamus, ut si Graeci per superius mare, quod est illis aptius, venire velint, & vel Ravennae, vel Arimino suis navibus applicare, propinquum sit territorium nostrum ad eos suscipiendos. Sin per inferius mare adventare velint, in Portum nostrum Pisanum statim descendent. Abundantia vero rerum summa est, cum & maria undique multa importent, & territorium habeamus uberrimum tritici, olei, vinique optimi, ac ceterarum omnium rerum inprimis abundans, tantaque latitudo est territorii nostri, ut supra centum millia passuum quoquo versus extendatur, habemusque in eodem territorio oppida permulta, & aliquot urbes longis spatiis inter se distantes, quarum unaquaeque sufficiens esset, si forsan aliquam ob causam expediret, Concilium recipere, atque optime alere. Securitas autem praecipua nostris in locis est propter libertatem civitatis, quae nullius dominio paret, sed se ipsam in justicia & aequitate gubernat, neque cuiquam patitur violentiam inferri. Hac igitur fiducia inducti quam large & affectuose responderimus praestantissimo viro Domino Guaspari de Perusio Oratori vestro super hac materia ad nos misso, Reverendissimae P. V. ab eo potuerunt intelligere. Nam & securitates postulatas plenissime dedimus, & circa summam septuaginta millium Florenorum ab eo requisitam, quoniam ipse mandatum non habebat, parati erimus,

cum

cum assignamentum, & cautiones ad hoc opportunae praestabuntur, quod postulatur efficere. De ceteris autem, quae pertinent ad pretia rerum, & taxationes domorum, & alia hujusmodi larga manu permisimus, atque concessimus recordantes, quod jam saepius Curia Romana fuit in civitate nostra, & semper Curiales inviti issimi, & contra eorum desiderium recesserunt. Ita se bene tractatos in illis rebus per experientiam cognoscebant, quod multo magis nunc facere parati sumus. Datum die III Julii 1436.

II.

SACROSANCTAE SYNODO BASILEENSI.

Pecuniam a Concilio postulatam promittit.

REverendissimi in Christo Patres, & Domini post humilem recommendationem. *Scripsimus* nuper *Sacrosanctae Synodo* per litteras duplicatas ostendentes sinceritatem devotionis nostrae, & quod gratissimum nobis foret, quodque summi beneficii loco acciperemus, si sacrosancta *Synodus*, quemadmodum nobis per Oratorem suum intimavit, civitatem nostram pro loco, atque sede Concilii in hac laudabilissima reductione Graecorum tractanda, & Deo auctore concludenda recipere dignaretur. Verum quia in eisdem litteris mentio fit de summa septuaginta millium Florenorum postulata, & dubia quaedam possent apud mentes aliquorum exoriri, ad declarandam, rectificandamque eam partem offerimus assertive, & expresse summam illam septuaginta millium florenorum juxta postulationem

fa-

factam nobis per Dominum Guasparem de Perusio Oratorem vestrum. Et rursus quia de assignamentis, & cautionibus faciendis pro restitutione ejusdem summae in litteris nostris fit mentio, ad declarandam quoque istam partem, & omnem dubietatem tollendam dicimus nos in Reverendissimorum Patrum, idest Sanctae Sabinae Legati, & Sancti Petri ad Vincula Cardinalium declaratione remittere hujusmodi assignamenta, & cautiones remansuri contenti ad illos modos, & ad illa assignamenta, & cautiones, quae per eosdem Dominos Cardinales sufficere fuerit declaratum. Cum igitur pars ista pecuniarum nullum habeat dubium, ac devotio populi nostri erga Sanctissimam Synodum sit explorata, & certa, & opportunitas hujus loci tanta sit, ut reperiri major non possit, humiliter supplicamus eidem Synodo, & omni prece instamus, ut dignetur pro gloria sempiterna civitatis nostrae hunc locum acceptare atque eligere, cujus quidem opportunitas tanta est, ut non sit facile majorem reperire. Sive enim de situ quaeritur, duplicia maria opportunissime illi deserviunt, & a terra insuper habilissimus est, sive salubritas, nullo in loco amoenior aer est, nullo purior, sive commoditas, nullo in loco speciosiora, & capaciora aedificia reperientur cum templorum magnificentissima amplitudine, atque ornatu, sive abundantia, & bonitas rerum ad vitam pertinentium, nullo in loco praestantiora omnia. Quid dicemus de securitate, & libertate? Quae una res maxime per Sanctissimam Synodum ponderanda. Certe dicere audemus nullo in loco parem securitatem, libertatemque reperiri propter aequalitatem civium, & popularem gubernationem. Accedit etiam nomen, & gloria civitatis nostrae, quae non est postrema, neque obscura, sed profecto talis, ut illum

lustrari a Sanctissima Synodo, & decorari a tanto coetu praestantissimorum virorum facillime possit, & ipsa certe nonnichil dignitatis, ac reputationis versa vice afferre. Quibus quidem rationibus nemo recte judicans alterum locum civitati nostrae in hac, quae tractanda est, materia anteferret. Datum die XIV. Augusti 1436.

III.

CARDINALI SANCTAE SABINAE, ET SANCTI PETRI AD VINCULA.

Eis gratias agit, eorumque arbitrio se permittit.

REverendissimi in Christo Patres, & Domini. Si de agendis dignis gratiis Reverendissimis Paternitatibus Vestris pro tantis beneficiis, quanta Reipublicae nostrae conferre studetis, scribere aggrederemur, longa nimis verborum series foret a nobis explicanda. Sed nos verba dimittentes, gratam, sempiternamque memoriam susceptorum beneficiorum mentibus nostris defixam perpetuo reservamus. Scripsimus autem prius Sacrosanctae Synodo, quae scribenda nobis videbantur per litteras duplicatas. Nunc autem materiam accelerantes & omnem dubietatem resecare properantes, & simul fiduciam eximiam, quam in Vestris Paternitatibus habemus, ostendere volentes iterato scribimus Sacrosanctae Synodo magis assertive offerentes summam septuaginta millium Florenorum juxta requisitionem nobis factam, & in declaratione V. R. P. remittentes assignamenta, & cautiones pro restitutione ejusdem summae septuaginta millium Floreno-

iorum nobis facienda remansuri contenti ad illos modos, & ad illa assignamenta, & cautiones, quae sufficere nobis per V. R. P. fuerit declaratum. Insuper hoc R. P. V. specialiter dicimus, quod etiam si majori summa indigebit Sacrosancta Synodus pro confectione tanti boni, quantum scilicet est reductio Graecorum, parati erimus de illa subvenire, atque supplere, si modo eligi locum istum, & hic tractari tantum bonum contingat. Quare R. P. V. hortamur, rogamus, atque etiam supplicamus, ut non tantum pro bono nostro, verum multo magis pro universali, & pro tantae rei confectione velitis hunc locum nostrum promovere, quia nullus habilior, nullus aptior, nullus efficacior ad tantam rem conficiendam posset faciliter reperiri, neque in quo securitatem, atque libertatem majorem possit sibi Sacrosancta Synodus absque ullo dubio repromittere. Datum die XIIII. Augusti 1436.

IV.

DOMINIS CARDINALIBUS SANCTAE SABINAE, ET SANCTI PETRI AD VINCULA.

Ostendit Picininum non invasisse ditionem Florentinam

REverendissimi in Christo Patres, & Domini. Deductum est ad notitiam nostram, quod nonnulli apud Sanctum Concilium fama divulgaverunt Nicolaum Picininum cum gentibus Ducis Mediolani territorium nostrum invasisse, ac pervenisse cum vexillis suis usque ad portas nostrae ci-

vitatis. Sive igitur ex calumnia, sive ex errore hujusmodi famam divulgaverunt, necessarium putavimus R. P. V. de veritate certiores reddere. Venit enim Nicolaus Picininus cum omni robore Ducis Mediolani in territorium civitatis Lucanae, & a nobis per litteras, & nuntios rogando petivit, ut transitum sibi per territorium nostrum concederemus, ut ipse duo millia equitum ad Franciscum Picininum filium suum, qui est in finibus Regni Apuliae posset transmittere. Promittebat vero indemnitatem pro suis, qui trasmitterentur, & quod non amplius una nocte in territorio nostro moram traherent. Nos autem utpote qui non satis de hujusmodi transitu confidebamus, magnificum Comitem Franciscum Sfortiam, ac reliquas gentes nostras Nicolao Picinino, & suis opposuimus aditus illos occupantes, per quos verisimiliter transitum ab eodem Nicolao, & suis fieri oportebat. Quo facto nec Nicolaus Picininus se se movit de territorio, nec transire tentavit veritus magnitudinem copiarum, quae sibi, & suis per nos fuerunt oppositae. Itaque sileant qui dicunt illum invasisse territorium nostrum. Neque enim intrare fines nostros ausus est, nec de territorio Lucano exivit, nec illum ipsum, quem postulavit, transitum potuit obtinere obstantibus, ac repugnantibus validissimis copiis nostrae civitatis. Quare Paternitates Vestras rogamus, ut velint de hoc ipso apud Sacrum Concilium notitiam praebere, ut forsan aliqui astute, & maligne famam istam vulgaverint ad opinionem civitatis nostrae deprimendam. Datum die 30. Octobris 1436.

CON-

XLV.

CONCILIO BASILEENSI.

Negat Florentinos foedus iniisse cum Pontifice.

REverendissimi in Christo Patres, & Domini post humilem recommendationem. Quia percepimus esse nonnullos, qui ad excludendam ivitatem nostram in sacrosancta Synodo divulgarunt ios habere confoederationem, & ligam cum Domio Papa, visum est nobis declarare per literas nostras veritatem, ut illi, qui falso vulgaverunt, de suo nendacio fructum non reportent. Noverint igitur R. P. Vestrae, quod haec Civitas nostra utpote Christiana, atque fidelis semper fuit, magnam habuit levotionem, ac reverentiam erga Romanam Eccleiam, ut probari potest per multos casus, & res estas. Cum Papa tamen Eugenio Romano Ponti ice hodierno neque ligam habemus, neque confoelerationem ullam, & praeter devotionem, & reveentiam, quam sibi ut Romano Pontifici debemus, n nullo penitus obligati sumus. Haec est veritas, uam illi ipsi non ignorant, qui contraria divulgant, ed faciunt causa decipiendi, atque fallendi. Quoirca V. R. P. humiliter rogamus, ne velint hujusmodi disseminatoribus fidem impartiri, utpote falsis, tque variis. Nostra enim civitas libertatem habet arissimam, & securitatem omnimodam, neque Romano Pontifici aliqua ratione obligata existit, nisi illa communi, per quam ipsi tamquam Pontifici reverentiam debitam impertimur, quemadmodum ceteri populi Christiani. Datum die XXIII. Decembris 1436.

INDEX I.

EORUM, AD QUOS EPISTOLAE SCRIPTAE SUNT.

A

B

C

Deme-

D

DEmetrio Lib. IV. Epist. XXII.

E

EUgenio Papae IV. Lib. X. Epist. XVIII.

F

FElici Lib. IV. Epist. VII.
Feltrino Bojardo Equiti Ferrariensi Lib. X. Epist. VII.
Flavio Blondo Foroliviensi Lib. VI. Epist. X. Lib. VIII. Epist. I., & Lib. X. Epist. X., & XI.
Francisco Barbaro Lib. IV. Epist. X. XVII.
Francisco Gonzagae Principi Mantuanorum Lib. X. Epist. XXV.
Francisco Piccolpasso Archiepiscopo Mediolanensi Lib. V. Epist. III. Lib. VII. Epist. IV. Lib. VIII. Epist. IV., & VI. Lib. X. Epist. II. VIII. XXIV.
Francisco Philelpho Lib. V. Epist. VI., & Lib. VI. Epist. XI.
Francisco Principi Cortonensium Lib. II. Epist. II. III. VII. VIII.

G

GErardo Landriano Cardinali Comensi Lib. VIII. Epist. VII. & VIII.
Guarino Veronensi Lib. IV. Epist. XIV. Lib. V. Epist. VIII. & Lib. X. Epist. XII. & XVI.

H

HUgoni Bentio Medico Senensi Lib. V. Epist. I.

I

JAcobo Foscaro Veneto Lib. VII. Epist. VIII. & Lib. VIII. Epist. III.

Pog-



INDEX II.

QUI EXHIBET RES, ET CLARISSIMORUM VIRORUM NOMINA, QUORUM IN HIS EPISTOLIS MENTIO FIT.

A

B

Can-

C

D

E

F

Gaspar

G

H

I

Jo-

L

Ma-

M

N

P

R

S

Ταγα-

T

U

V

Z



AD